



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google


El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

ÖSTERREICHISCHE
NATIONALBIBLIOTHEK

214957-A

ALT-

4
8



M. mag. glaucensis

JO. GOTTL:
HEINECCII
JC. ET ANTECESS.
PRÆLECTIONES
ACADEMICÆ
IN HUGONIS GROTII
DE JURE BELLI, ET PACIS
LIBROS TRES.



ROBORETI,
SUMPTIBUS BALLEONIANIS.
MDCCKLVI.

SUPERIORUM PERMISSU.

214957-A.

(4) Digitized by Google

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, written in a cursive script.





BENEVOLO
ET ÆQUO
LECTORI.

S. P.



I unquam post hominum memoriam lucem vidit opus, quod non solum doctis viris, verum integris gentibus acceptum fuit, sine dubio est viri vere magni, HUGONIS GROTII *de Jure Belli & Pacis*, libris tribus comprehensum. Adeo illi veritati ita fide credebatur, ut ab omni secte hominibus gentibusque, plane a se alienis invicem gratus acciperent. Maximi Reges atque Imperatores, tum suum cuique tribuisse sibi persuadebant, quam id præstarent, quæ

A 2

quæ

P R Æ F A T I O.

quæ magnus vir præceperat. Ut adeo *Doctor gentium* optimo maximo jure dicendus sit, cujus arbitrio earum res stant caduntve. Inde quoque factum, ut præstantissimi quique viri immortalitatem nominis non magis consequi posse, nec immerito, stantuebant, quam si in opus tale commentarentur, quod ad sæculorum Annem esset perduraturum. Immo triariis quoque hæc ad immortalitatem via placuit, quamvis successu non adeo felici, quum equidem illorum scripta adhuc supersint, verum quotidie risu ab harum rerum intelligentibus excipiantur. Quis fuerit GROTIUS, quæque ingenii reliquerit monumenta, superfluum esset hic enarrare, quum omnia, quæ dici possunt, jam dederit vir doctissimus, LEHMANNUS in *Hugonis Grotii Manibus ab iniquis obtrektoribus vindicatis*, ut taceam, quæ hinc inde ab historiæ juris naturalis scriptoribus prolata sunt, quæ vero cum laudato libro comparari vix merentur. Innumerus fere numerus eorum est, qui vel præclarum opus illustrare, vel interpretari, vel augere, vel denique hinc inde confutare voluerint: qui vero eorum rem acu tetigerint, nostrum

P R Æ F A T I O.

strum non est dijudicare. Id certum, firmumque manet, optimam consilii rationem esse, aut nullos plane, aut paucos legere prius, quam ipsum opus quasi edidiceris. Inter eos, qui critice ac philologice illustrare Grotium sunt aggressi, eminent critico- rum superioris sæculi facile princeps, JO. FRID. CRONOVIVS, cujus animadversiones plerisque editionibus jungi solent, ast interpolatas sæpe vel spurias esse, conquestus est gloriae avitæ heres dignissimus, ABR. CRONOVIVS. At quoque fuerunt, qui rebus explicandis vacarent, inter quos reliquis non solum prerogativam reddet dubiam, verum quoque longo post se intervallo reliquet viri post fata quoque celeberrimi HENRICI de COCCËJI, commentarius in idem opus absolutissimus, quem propriis animadversionibus auctum propediem quam splendidissime dabit illustrissimus filius, SAM. de COCCËJI, litterarum firmissimum præsidium, qui non contentus eruditionis omnis tutelam gerere, ipse aliquid dare constituit, quod admirationi posteris esset tam diu, quamdiu eruditioni suus constaret honos. Verum fuere quoque,

P R Æ F A T I O.

qui id tantum agere voluere, ut quæ Grotius late differuit, vel in breves quasi theses contraherent, vel denique vim argumentorum ostenderent, inter quos palma sine dubio debetur viro post fata quoque magno, Jo. GOTTL. HEINECCIO. Fecit id in *prælectionibus*, quas jam vides, benevole Lector, quasque ad palatum tuum, si sapias, fore nulli dubitamus. Atque certo adfirmare possumus, earum ope Grotium & faciliorem intellectu fore, & solidiorem, si argumenta spectes, quæ jam una serie exhibentur. Nihil jam superest, quam ut gratias publice agamus viro integerrimo Rudigero, qui novo hoc beneficio sibi insigniter obligavit rempublicam litterariam, & in posterum quoque grata exhibere officia non intermitteret. Vale, nobisque fave.
 Dab. Berol. A. D. x. Jul. c. l. ccc. xliv.

P R Æ



PRÆLECTIONES

I N

HUGONIS GROTII DE JURE BELLI, ET PACIS LIBROS TRES.

AD PROOEMIUM.



Ingre-
dimur opus, quo nullum
umquam sol vidit illustrius,
& quod vivet, quamdiu stu-
diis præclaris honos inter mor-
tales erit. Maximi semper eam
magni GROTII lucubrationem fecere cru-
diti, in quibus PAULLUS COLOMBESIUS in
Operib. p. 459. scribit, Grotium omnes in-
genii vires in hoc opus intendisse, cum-
que de libris his dicere potuisse, quod
CASABONUS scripserat de *commentario suo*
in Persium: In Persio omnem ingenii constantiam
effudit. Nec male judicavit COLOMBESIUS.

A 4

Ipse

Ipsè enim GROTIUS de hoc Opere suo in *Epist. 196.* scribit: *Mitto tibi Libros de Jure Belli & Pacis, cum non exigua accessione, Horum curam tibi & amicis commendo, ut inser mea opera, si quid video, EMINENTIUM.*

Antequam ad proœmium perveniamus, quædam præmittere juvabit, quæ ad libri hujus historiam pertinent. Scripsit illum GROTIUS jam exsul, quum magna invidiæ tempestate adversus se excitata, ob novas, quarum infimulabatur, in sacris opiniones, & factionem Oldenbarneveldianam, ex carcere ingenioso uxoris commento exportatus in Galliam profugisset. Id enim ipse indicat in *Proœm. §. 30.* In Gallia enim reperto præsidio, Nicol. Peirescius id egit, ut rex hoc novo hospite ad rem magnam & illustrem uteretur, & hinc facile obtinuit, ut Grotio istud opus de Jure Belli & Pacis, quale nondum existabat, conscribendum daretur. Præstitit hoc ipsum egregie, & hoc opus edidit anno 1625. quumque primum consilium cepisset, illud inscribendæ *Jus gentium*, postea id consilium abjecit, & operi præfixit titulum *de Jure Belli & Pacis*, ut hoc titulo invitati & summi rerum administri in aulis, & duces bellici librum legerent, neque illum tamquam opus umbratile & scholasticum adspernerentur. *GROT. Epist. 78. ad Gall. COLONIA. Epist. claror. viror. Epist. 3.*

Ceterum immortale hoc opus aliis bilinguem movit, ab aliis cum summo plausu receptum est.

EX

Ex Protestantibus etiam permultis hoc opus displicuit ob varias a receptis Ecclesie doctrinis discrepantes sententias, quas sæpe inspergit. Et profecto eodem fere tempore duo magna ingenia turpiter se dederunt, quum se rebus alienis immisce- rent; Grotius, dum theologicæ eruditio- nis; Salmasius, dum juridicæ lauream ad- fectaret. Et hinc est, quod tot Theologi notas scripserunt ad Grotium, de quibus paullo post erit dicendi locus.

Quo magis autem opus ob novos quos- dam displicuit, eo magis se probavit viris civilis prudentiæ gnaris: eoque factum est, ut nullus umquam auctor classicus tot com- mentariis illustratus sit, ac Grotii libri de J. B. & P. Sed illam commentatorum tur- bam nos in certas classes, ac veluti in tribus quasdam describemus.

I. Fuere, qui id egerunt tantum, ut tex- tum Grotii interpretarentur, & genuinum ejus sensum eruerent, in eoque genere re- liquis omnibus palmam præripit Jo. FRIDR. GRONOVIVS, cujus notæ ad intelligendum Grotium sunt utilissimæ, & bonæ frugis plenæ.

II. Fuere, qui Grotium magis illustra- rent, quam de ejus doctrinis disputarent, eoque in genere regnat Jo. HENR. BOECLERUS, qui conquistis ex omni antiquitate exemplis & testimoniis Grotium illustrat. Sed nec multum utilitatis extra scholam hi commentarii adferre solent, nec integri lucem adspexerunt. Pervenit enim Boecle- rustantum ad caput usque septimum libri II.

Ejusdem generis & commentarius GUIL-
VAN DER MUELEN, operosus & eruditus,
sed eadem methodo conscriptus, ULRICH
ORRECHTI, professoris & postea præto-
ris regii Argentoratensis, Boecleri gene-
ri, & JOANNIS TESMANI, Professoris Mar-
burgensis.

III. Fuere, qui Grotii doctrinas vel a
Philosophia scholastica, vel a recepta Ec-
clesiæ doctrina dissentientes potissimum re-
fellere in suis commentariis studuerunt, id
quod fecerunt JO. a FELDEN, JO. ANDR.
OSIANDER, JO. SIMON VELTMENIUS, & JO.
REINHARDUS HEDINGERUS. Verum ex his
parum proficit studiosus juris naturalis &
gentium, qui Grotium non eo fine tra-
ctat, ut inde Theologiam & Philosophiam
addiscat, sed ut juris naturalis & gentium
genuinis principiis imbuatur. Nec tamen
periculosæ sunt illæ Grotianæ Theologiæ
scintillæ, ut inde metuendum sit incen-
dium, ad quod extinguendum istis com-
mentariis absonis opus videatur.

IV. Denique fuere, qui Grotii doctri-
nas cum genuinis juris naturæ & gentium
principiis contulerunt, ea quæ recte posita
erant, inde demonstrarunt, errores mode-
ste indicarunt; quæ deerant suppleverunt.
Et horum tres potissimum sunt, qui omnes
reliquos Grotii interpretes longo post se
intervallo reliquisse videntur, CASP. ZIE-
GLERUS, Prof. Wittebergensis, cujus no-
ta in Grotium Wittebergæ anno 1666.
prodierunt, HENR. HENNINGES, qui ob-
servationalibus suis politicis & moralibus in
Gro-

Grotium anno 1673. editis aulae Brandenburgicae innotuit, a qua negotiis gravissimis, maxime legationi ad comitia Ratiſponenſia, adhibitus, ubi non ita pridem mortuus magnum desiderium Principi & toti Germaniae reliquit: ac denique Dn. *Barbeyrac* qui & versione sua & notis de Grotio bene mereri studuit. Prae omnibus tamen ZIEGLERUS & HENNINGESIUS commendari merentur.

His de opere Grotii praemissis, jam ad ipsa Grotii prolegomena progredimur, quae ad duas partes possunt reduci. Nam

- 1) Prior est generalis, in qua de jure naturali generatim disputat, a §. 1. 27.
- 2) Posterior specialis, in qua consilium suum exponit, §. 28. ad fin.

Parte priore agit 1) de juris naturalis praesentia, §. 1. 2. 2) de ejusdem existentia, §. 3. 27.

Ad §. 1. 2.

Praesentia hujus juris argumentis quam plurimis potest demonstrari, quamvis multi sint, qui eam in dubium vocent, & jurisprudentiam naturalem plane inutilem ac infructuosam esse reip. existiment, & in his HENR. REBHANN JCtus Argentoratensis, qui, cum Boecleri laudibus invideret, programma anno 1663. edidit, quo id studium plane inutile dixit, & Auctor anonymus libelli Halae editi sub titulo *Urim & Thummim*, qui eandem inflat tibias.

Rationes uterque duas potissimum urget.

- 1) Quod rationes justae & injustae commodius ex scriptura S. quam ex ratione

perantur, 2) quod ad causas quasvis decidendas, promendamque justitiam sufficiat jus civile humanum.

Sed rationes longe ponderosiores, ut ita dicamus, hujus juris præstantiam docent. Nam ut Grotius §. 1. dicit, *est jus commune, quod inter omnes omnino populos intercedit.*

1) Jus civile Romanum magnum usum in multis gentibus obtinuit, sed non ubique: nunquam in fora Danicæ, Suevicæ, Polonicæ, Russicæ, nunquam in Asiam & Africam penetravit. At jus hoc naturæ vere est jus Gentium omnium. Quum enim ex ipsa ratione fluat: non potest non omnibus gentibus commune esse, quæ ratione pollent: adeoque sive cum Turcis, sive cum Japanensibus, sive cum Scythis agas, non magis possunt negare jura naturalia, quam veritates arithmeticas, bis duo esse quatuor, quia illa æque ex ipsa ratione fluunt, ac hæc positiones arithmeticæ.

2) Jus gentium, inter gentium rectores intercedit. Jus Romanum cives tenet, non ipsos Principes & Respublicas. Principes enim solutos esse legibus, ipsam jus Romanum fatetur l. 31. ff. de LL. Hinc usum habet jus civile in causis privatis non publicis, quæ ex solo jure naturæ & gentium decidenda sunt. Rem illustrabo exemplo. Quum Philippus IV. Rex Hisp. obiisset anno 1665. Ludovicus Gallicæ Rex Belgium Hispanicum invadebat, Causa bello præregebatur **JUS DEVOLUTIONIS**. Brabantini enim eo jure utuntur, ut viri ad secunda vota transeuntis bona mancant liberis

ex

ex priore susceptis matrimonio, exclusis liberis ex secundo matrimonio genitis. Quum itaque Philippus IV. ex priore matrimonio suscepisset Mariam Theresiam, Ludovici uxorem; existimabat ei jure devolutionis deberi Belgium. Inde bellum.

Vid. ANDR. AUBRI *Traite des Droits de la Reine ses chresienne sur divers Etats de la Monarchie à' Espagne à Paris 1667.* 12.

Sed absurda erat ea defensio. Nam jus devolutionis est jus civile Brabantinis proprium, & quo soluti sunt Principes. Controversiæ autem inter gentes non ex jure civili huic vel illi genti proprio, sed ex communi omnium gentium jure decidenda sunt. Rectores civitatum possunt jure civili uti quoad subditos, sed non inter se.

3) Jus naturæ ab ipsa natura profectum ex divinis legibus constitutum est. Legislator est Deus, modus promulgandi dictamen rectæ rationis. Ergo est certum, quam jus civile sæpe incertum sit. Est immutabile, quàm jus civile sæpicule mutetur. Est sanctum & divinum, quum de jure civili usurpari possit illud TACITI, *lib. 14. Ann. cap. 44. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica reponitur.*

4) Jus naturale & gentium, uti Grotius ait §. 2. versatur in foederibus, pactionibus, conditionibus populorum, regum, exterarumque nationum, in omni denique belli jure & pacis. Quam præclare hæc res sunt! Non hic agitur de stillicidiis & tribus capellis, uti Martialis in jus civile ludit, sed

sed de negotiis publicis gentium cum gentibus, de foederibus, bello pace, controversiis illustribus, praetensionibus, &c. Est ergo haec scientia fere regnatrix. Et si quis Bartolum vel Baldum mitteret ad comitia pacis caussa Comeraci instituta, universa scientia juris civilis non tantum proficeret, quantum unus Grotius vel Henningensius vel Pufendorffius, in hac disciplina versatus.

Hinc quamvis paradoxum videatur, Euripidem hoc jus rerum divinarum humanarumque cognitioni praeferre, (vid. §. 2) id tamen rationem habet, quia eo magis prodest reip. quam omnis philosophia theoretica, ejusque magis interest, pacem servari, bella componi, quam reperiri circuli quadraturam vel perpetuum mobile.

§. 3. 4. 5.

Sequitur altera quaestio, quam demonstrata juris hujus praestantia, tractat Grotius. Quum vero duplex hic occurrat error, quum 1) alii negaverint, jus aliquod existere; alii 2) jus belli esse: utrumque errorem profligare nititur.

I. Qui jus negarent: haud pauci reperti sunt. Ipse GROTIUS §. 3. allegat EUPHEMUM apud Thucydidem, qui nihil injustum esse ait quod utile, & §. 4. CARNEADEM, philosophum Platonicum, qui Romam missus, se de omnibus rebus in utramque partem disputare posse, convocatis civitatis proceribus uno die laudavit justitiam, & justum aliquid natura esse polita oratione demonstravit: altero die ipse argumenta sua destruxit, & nihil natura justum, nul-

Nullum jus naturæ existere defendit, Ca-
tonis suafu ideo Roma expulsus. Vid. LA-
CTANT. *Inft. div. lib. 5. cap. 16.* ubi ejus
argumenta occurrunt.

Sed his adjungi possunt alii, veluti ARIS-
TIPPUS Cyrenæicus, qui nihil natura justum
honestumque esse statuit, sed lege & consue-
tudine, addiditque, sapientem & furcis,
adulteriis & sacrilegio dasurum operam, quam
impessivum fuerit. Neque enim horum quid-
quam natura surps esse, si auferatur vulga-
ris opinio. DIOGEN. LAERT. lib. 2. *segm. 93.*
Non absimilis fuit Epicuri sententiæ, quam
ita expressit Horatius, lib. 1. sat. 3. ipse
Epicureus:

Nam natura potest justo discernere iniquum:

Sola est utilitas justæ prope mater & æqui.

II. Hi ergo omnes in universum aliquid
justum esse negarunt, sed fuere etiam, quæ
sacrum belli aliquod jus esse inficiarentur:
eoque pertinent loca ENNI, HORATII, MA-
RII, TERTULLIANI, quæ auctor §. 3. 4. ad-
ducit: quæque eo redeunt, quod leges
fideant inter arma, bellumque, quod vi &
fraudibus geritur, nullum jus admittat.

Sed hos auctores utriusque generis præ-
clare refellit auctor, & contra priores de-
monstrat, esse jus naturæ §. 6. 24. contra
posteriores, esse etiam jus belli §. 25. 27.

Esse jus naturæ, septem argumentis de-
monstrat, quæ ordine perlustrare juvabit.

§. 6.

Primum argumentum hoc est: Cui na-
tura est appetitus societatis tranquillæ, et
est jus. Homini natura est ejusmodi appete-
tus

titus societatis. Est itaque ei jus. Ergo datur jus aliquod naturale & commune omnibus hominibus. Resolvimus illud in formam syllogismi, ut ejus vis & nervus eo magis adpareat,

Prima propositio est: Cui est adpetitus societatis tranquillæ, ei est jus: eaque certissima, quia societas nulla sine jure consistere potest. Societas enim consistit in conjunctione animorum, ea fit per pacta, pacta non profunt nisi serventur. Quis vero pacta servabit, nisi jure aliquo se ad id obligari credat? Fingamus decem latrones coire in societatem. Injustissima hæc societas est, & tamen sine jure consistere nequit. Cocunt enim per pacta, stipulantur sibi invicem mutuam auxilium, mutuam taciturnitatem, commune lucrum: si isti homines in se injustissimi hæc pacta non servant, dissolvetur societas. Hinc recte CICERO lib. 2. de Off. cap. XI. *Justitia tanta vis est, ut nec illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine ulla particula justitia vivere, &c.* Est ergo certissimum, societatem sine justitia consistere non posse: quumque justitia nulla sit sine jure, certissima quoque est propositio: cui est adpetitus naturalis, ei est jus.

Propositio secunda non minus certa est. Hominem enim natura adpetere societatem tranquillam, experientia docet, nec facilius potest iste adpetitus probari, quam si consideremus hominem vel in solitudinem, vel ad gentem barbaram & feris truculentiorē deportari. An non mori illi suavius vide-

videbitur, quam vel extra societatem hominum, vel inter homines sine securitate in perpetuo periculo vivere. Sequitur itaque, ut & conclusio sit certissima. Ergo est aliquod jus commune, quod ex societate fluit, id est jus naturæ.

§. 7.

Sed priusquam ad secundum argumentum progrediatur: objectionem removet, §. 7. Argumentatus erat a naturali appetitu, quo homines ad societatem feruntur, ad existentiam juris. Posset obverti, & bruta ad societatem sui generis ferri, veluti columbas, formicas, & præcipue apes, adeoque & his jus naturæ esse, quod quum sit absurdum, absurdam quoque esse consequentiam, quod qui naturæ ad societatem feruntur jus naturæ habeant.

Sed respondemus, distinguendum esse inter desiderium & impetum naturalem. Desiderium est affectus voluntatis tendens in aliquem finem, & adpetens simul media, quæ ad hunc finem simul idonea sunt. Et tale desiderium est in solo homine, quia solus voluntate gaudet, & ratione, qua media inveniat.

Impetus vero est naturalis tendentia sine ratione & conscientia: Sic e. g. lapis tendit deorsum, sed nec voluntate deorsum cadendi instructus, nec sibi conscius est, se deorsum tendere, nec de mediis, quæ ad hunc motum requirantur sollicitus est. Et talis impetus est in brutis.

Jam facile hac distinctione observata respondebimus argumento: Quicumque desiderio naturali fertur ad societatem tranquillam, illi

illi jus est: Bruta hujusmodi desiderio ad societatem tranquillam non feruntur, sed impetu quodam & instinctu naturali ad eam tendunt: Ergo non habent jus.

Non autem voluntatem cum ratione conjunctam brutis inesse, inde probat Grotius:

1) Quod actiones eorum non sint uniformes & sibi similes. Nam canes e. g. tuentur catulos, eosque defendunt aliquamdiu: mox illos morfu abigunt, & plane obliviscuntur, illos esse ex se natos.

2) Quia & infantes simili adpetitu tenentur, etiam si ratione utantur. Adeoque potest in brutis esse impetus sine voluntate, quia & in infante est, qui clamat, si ab hominibus solis relinquitur.

3) Quia destituuntur precipue instrumento societatis nempe sermone vel oratione. Nam quia homines desiderio societatis tenentur, de medio cogitarunt hanc societatem tuendi. Hinc invenerunt sermonem, quo sibi invicem sensa animi communicarent, & quo non esset opus, nisi vivere cuperemus socialiter. Quum ergo bruta, tametsi iisdem instructa organis, tamen non sermocinentur, nec desiderio societatis ea teneri patet, sed solo impetu ad societatem aliquam ferri. Conf. *de oratione societatis conciliatrice* Cic. *l. de LL. 9.*

§. 8.

Ex hoc primo argumento colligit Grotius principium juris naturæ & gentium esse SOCIALITATEM.

Itaque ea in re convenit Grotius cum Hob-

Hobbesio & Pufendorffio. Omnes enim hi auctores jus naturæ & gentium derivant ex principio socialitatis. Posito enim homine, qui mecum in societate vivit, ponitur jus. Sed in eo differunt hi auctores, quod quisque eorum principium hoc diversis fundamentis inædificat. Secundum Grotium enim socialiter est vivendum, quia id congruit naturæ humanæ & naturali ejus desiderio: secundum Hobbesium vivendum est socialiter, quia alias nasceretur bellum omnium in omnes. Secundum Pufend. socialiter est vivendum, quia ita jussit Deus. Ita facile conciliabimus diversa horum auctorum principia.

Ast meministis procul dubio, nos hoc principium socialitatis rejecisse in prælectionibus Pufendorffianis, quia quidem verum est, & evidens, sed non adæquatum, idque tum inde probavimus, quia officia erga Deum & se ipsum ex societate non fluant, ad quæ quippe præstanda obstricti sumus, tametsi soli essemus in hoc mundo. An itaque & hic rejiciemus Grotii doctrinam?

Resp. in Grotio laudandum esse, quod culpavimus in Pufendorffio. Et ne id mirum videatur, rationem statim reddemus. Pufendorffius tractat jus naturæ & gentium. Ad jus naturæ etiam officia erga Deum & proximum pertinent, quæ quum ex societate non fluant, principium ejus est inadæquatum adeoque rejiciendum. Ast Grotius non tam jus naturæ tractat, quam jus Gentium; jura belli & pacis. Hæc vero omnia
 omni-

(3)

omnino societatem humanam supponunt; adeoque ejus principium est adæquatum.

Paucissimi hoc recte capiunt; & hinc quia audiunt a tot auctoribus principium Pufendorffianum rejici, statim existimant, eodem modo rejiciendum esse principium Grotii: quos tamen toto cœlo errare jam vidimus.

Ex hac ergo societate omnia jura hominum adversus homines fluunt. Posito enim me societatem inire cum contubernali: statim sequetur, 1) ut abstinere debeam ab ejus rebus, 2) ut si damnum ei fecerim, restituam, 3) ut pactum quod cum eo inii, servem, 4) ut eum feram, nec illi ullam faciam injuriam. Si quid horum omitto: societas dissolvitur. Idem in majoribus societatibus, veluti civili, immo in maxima illa societate generis humani obtinet.

§. 9.

Hactenus primum Grotii argumentum, quo existentiam juris N. & G. probat, sequitur alterum:

Q. instructus est judicio & delectu boni & mali, is & jure aliquo obstringitur.

Homo hujusmodi judicio & delectu instructus est: Obstringitur ergo jure.

Consequentia majoris propositionis hæc est. Deus nihil fecit frustra. Dum ergo hominem eo judicio instruxit, ut possit bonum & malum, non solum physicum, sed & morale discernere, & ea voluntate, quæ in bonum fertur, & malum averfatur: procul dubio voluit, ut bonum faciat, malum fugiat, non ut illud imitetur MEDEÆ:

M.
m supponunt;
adæquatum.
iunt; & hinc
us principium
im existimant,
esse principium
velo errare jam

nia jura homi-
t. Posito enim
ntubernali: sta-
ere debeam ab
um ei fecerim,
od cum eo ini,
, nec illi ullam
horum omitto:
n majoribus so-
mmo in maxima
ni obtinet.

ii argumentum,
& G. probat,

o & delectu boni
iquo obstringitur.
tio & delectu in-
gitur ergo jure.
positionis hæc est.
Dum ergo homi-
ut possit bonum
hysicum, sed &
a voluntate, quæ
m averfatur: pro-
um faciat, malum
tur **MEDEÆ:**
Vi.

PROŒMIUM.

Videō meliora proboque,
Deteriora sequor.

Si Deus hoc voluit, peccat, dum id non facit. Si peccat, injustus est, si injustus est, etiam jus esse debet. Ergo est jus.

Possumus ex eodem fundamento ita ratiocinari. Deus nos instruit judicio & delectu boni & mali. Ergo voluit, ut nobis bene non male sit. Ergo possumus malum omne a nobis amoliri. Ergo nemini ex voluntate Dei fas est, nobis malum inferre. Ergo & nobis nefas est, aliis inferre malum. Ergo est jus.

Minor propositio denuo nititur conscientia cujusque & experientia. Ratione enim homo instructus est & judicio, clarissimam & distinctissimam habet ideam boni & mali. Bonum est, quod durationem nostram promovet, malum quod nos destruit. Experientia & ratiocinatio illum quotidie docet, quid hominis durationem conservet, quidve eundem destruat. Ergo gaudet judicio & delectu boni & mali.

Hoc argumentum post Grotium præcipue urget doctissimus Anglus RICHARDUS CUMBERLAND *de LL. Nat. cap. II. §. 4.* ubi simul docet has præclaras facultates, homini concessas, nihil aliud fore, quam gladium in manu furiosi, nisi accederet jus, quod illas dirigit.

§. 10.

Duobus his argumentis Grotius probavit dari jus naturæ proprie dictum, quod alias jus perfectum, item justitia expletrix vocatur: jam demonstrat etiam dari jus imperfectum,

Etiam, vel justitiam attributricem. Entertium argumentum:

Si discrimen est boni & perfectionis majoris & minoris, est etiam naturale aliquod jurius discrimen.

Verum est prius. Ergo & posterius.

Justitia enim attributrix respicit ad meritum vel indigentiam personæ. Prout illud vel hæc majus minusve est, ita & jura differunt. E. g. majus bonum nobis sunt parentes quam alii concives, Ergo iis plus debemus obsequii & honoris, quam illis. Major est perfectio hominis docti, quam indocti. Ergo illi plus præmiorum debetur quam huic. Quum itaque ea facultate instructi simus, ut possimus discernere, quid altero sit melius & perfectius, vel pejus & imperfectius, sequitur ut ex jure aliquo obligemus singulis tribuendi, quod eorum perfectiones & qualitates exigunt.

S. II.

Sequitur quartum argumentum, quod tamen omnium primum esse debuisset. Argumentatur enim:

Si omnes agnoscimus Deum aliquem, sequitur, ut & ejus præceptis parere teneamur.

Si præceptis ejus tenemur, obligamur.

Si obligamur, etiam jus aliquod est quod nos obligat.

Meretur totus §. ponderari, ex quo sequentes quæstiones fluunt:

1) An recte dixerit Grotius, jus aliquod fore, si vel maxime non sit Deus?

2) Unde

M.
icem. Entor-

perfectionis
etiam natu-
rrimen.
posterius.

cit ad meri-
ta & jura
nobis sunt

Ergo iis plus
quam illis
docti, quam
miorum debe-

ue ea facultate
discernere,
perfectius, vel
itur ut ex jure
tribuendi, quod
tates exigunt-

mentum, quod
e debuisset. Ar-

Deum aliquem,
præceptis parere

nemur, obliga-

jus aliquod est
ari, ex quo se-

rotius, jus ali-
me non fit Deus?
2) Unde

2) Unde sciamus nos præceptis divi-
nis obligari?

3) Quomodo ad notitiam horum præ-
ceptorum perveniamus?

I. Quod ad quæstionem primam attinet,
non solus Grøtius ita loquitur, sed & Scho-
lastici omnes, qui miro consensu docent, jus
naturæ fore, etiamsi non sit Deus, vel ali-
quid justum esse *antecedenter ad Deum*.

Dicunt enim 1) ipsam rectam rationem
docere, societatem humanam consistere
non posse, si unicuique liceret furari, adul-
teria committere, occidero. Hinc etsi Deus
nunquam dixisset: ne furare, ne occide-
re, tamen unamquemque, qui rationem sequi
velit, secum cogitaturum, sibi ab his fa-
cioribus abstinendum esse. Ex quo sequi
putant, ut jus aliquod futurum esset, etsi
non esset Deus.

2) Idem probant experientia. Nam si
consideremus atheos in rep. viventes, ii
plerumque civiliter boni sunt, & id de
plerisque atheis ostendere conatus est BAR-
LUS in *Dictionario historico critico* sub ar-
ticulis *Spinoza, Zeman* & aliis. Cur vero?
quia ratio eos docet abstinendum esse ab
his criminibus, etsi non esset Deus. In-
primis urgeri posset exemplum Sinensium,
Maximi hi sunt Spinosistæ, nihilque eor-
um Philosophia differt a dogmatibus Spi-
noze: & tamen LAIBNITIVS in *professione*
novissimi Sinicis præmissa docet, non esse
ullam gentem justitiæ studiosiorem Sinensi.
Quis itaque dubitet, juri naturali locum
fore, etiamsi non sit Deus?

Sed

Sed falsissima nihilominus hæc est doctrina. Nullum enim jus est sine obligatione, nulla obligatio sine lege; nulla lex sine legislatore. Si ergo ponamus, non esse Deum, nec legislator esset, nec lex, nec obligatio: adeoque nec jus.

Ad argumenta in contrarium allata facile potest responderi. Obligatio vel proprie sumitur, vel improprie. Proprie accepta est juris vinculum, quo a superiore obstringor ad aliquid faciendum vel omittendum. Et hujus effectus est jus. Qui enim obligationi suæ non satisfacit, injustus vocatur, & poena adficitur.

Improprie vero obligari dicimur, quoties nos proprii commodi contemplatione ad aliquid faciendum vel omittendum ferimur. Et hujus effectus non est jus, sed prudentia. Qui enim nec id facit, quod sibi utile fore animadvertit, is imprudens non injustus dicitur, nec poena adficitur, sed damnum sua culpa sentit.

Res exemplo fiet clarior. Miles obligatus est parere duci suo. Id legislator jubet: nisi illi pareat, tanquam injustus punitur. Est ergo hæc obligatio propria. At & ægrotus existimat se obstrictum esse, ut pareat medico. Nulla lex id jubet, sed propria utilitas suadet. Si non pareat, non injustus habetur, sed imprudens. Nec punitur, sed damnum sentit.

Jam facile patet, cur & utilitas publica ipsis atheis persuadeat, ut vitent graviora facinora. Non hæc obligatio propria est, sed impropria, non omittunt peccata, ne contra
jus

M.
 us hæc est do-
 est sine obliga-
 ne lege, nulla
 ponamus, non
 esset, nec lex,
 nec jus.
 rarium allata fa-
 obligatio vel pro-
 prie. Proprie ac-
 quo a superio-
 faciendum vel
 stus est jus. Qui
 satisfacit, inju-
 stificatur.
 ri dicimur, quo-
 i contemplatione
 omittendum se-
 non est jus, sed
 ec. Id facit, quod
 rrit, is imprudens
 ec poena adficiunt,
 sentit.
 rior. Miles obliga-
 . Id legislator in-
 nquam injustus pu-
 obligatio propria.
 se obstrictum esse,
 la lex id jubet, sed
 Si non pareat, non
 nprudens. Nec pu-
 ntit.
 ur & utilitas publica
 ut vident graviora fa-
 ctio propria est, sed
 ut peccata, ne contra
 jus

jus peccent, sed ne damnum patiantur.
 Itaque si Deus non esset, posset quidem
 contingere, ut homines ea facerent, quæ
 jus naturæ jubet, sed non ea facerent ut
 juri naturæ pareant, sed ut proprio com-
 modo velificentur.

II. Quæstio secunda est, unde intelliga-
 mus, nos esse obstrictos, ut Deo para-
 mus? Resp. Ex dependentia nostra. Con-
 templantes enim nos ipsos, animadverti-
 mus, 1) nos non esse a nobis ipsis, quia
 nihil a se ipso est, nisi quod æternum
 est. 2) Deum non solum existentiam no-
 bis dedisse, sed & illam conservare, quum
 ne per momentum quidem ipsi durationem
 nostram continuare possumus.

Quum ergo Deus & existentiam nobis
 dederit, & eam conservet: sequitur sane,
 ut ab ejus voluntate pendere teneamur. Nam
 is, a quo dependemus, est superior. Qui
 superior est, inferiori potest leges præscri-
 bere. Qui leges præscribere potest, ei pare-
 re tenemur. Itaque Deo parere tenemur.

§. 12.

III. Sed unde intelligimus hanc volun-
 tatem Dei? Tertia hæc est quæstio, pau-
 cis expedienda.

Resp. Deum posse bifariam voluntatem
 suam promulgare: vel per rationem, vel
 per revelationem.

Per rationem, quoties ratiocinando ad-
 sequi possumus, quid Deus velit fieri; e. g.
 nos non debere occidere, debere contra pa-
 tris servare, &c. Per revelationem, quoties
 ratiocinando id sane non possumus, sed ex

Hein. de Jure Belli, &c. B ver-

verbo quodam divino vel ore prolato vel scripto. Sic ratiocinando nunquam intellexisset Abrahamus, sibi opus esse circumcissione, nisi Deus id ei revelasset. Nec hodie possemus intelligere, Christianos esse baptizandos, nisi S. S. id doceret.

Ex eo sequitur, jus divinum duplex esse, naturale & voluntarium.

Naturale, quod ex ratione addisci posset, etiamsi non existeret decalogus vel S. S. e. g. non esse occidendum.

Voluntarium, quod non nisi ex revelatione addisci potest, veluti leges V. T. de sacrificiis, & quæ hodiernum obtinent leges de gradibus consanguinitatis & affinitatis prohibitis.

Quod vero jus naturale ex ratione intelligi possit, jus voluntarium intelligi non possit, id exinde est, quod illud naturalem connexionem habet cum natura humana, hoc non habet. Conf. de hac distinctione infra lib. I. cap. I. §. 13.

Notetur falsa derivatio vocabuli **JUS** sub finem §. proposita. Non enim jus dicitur a Jove, sed a jubendo. A jubendo est *jussum*, a jusso, *jus*. Vid. **GRONOV. Not. ad h. §.**

§. 13.

Docet ea occasione Grotius, cur Deus leges suas naturales, quæ jam ex ratione innotescunt, revelatione veluti de novo promulgarit, e. g. in decalogo:

Factum id est 1) quia non omnes homines ea ratiocinandi facultate potent, ut possint sine revelatione speciales quasvis leges scire.

2) Quia

2) Quia adfectus saepe abripiunt homines, ut non ratiocinentur, e. g. dum libido hominem urit, parum ratiocinatur, justum injustumve sit quod agat, sed commissio demum delicto, tum conscientia ratiocinari incipit.

§. 14.

Ut ad jus naturale redeamus: quantum id ex recta ratione jam satis innotescat, magnum tamen robur ei ex historia sacra accedere ait. Ea enim docet nos ab iisdem omnnes primis parentibus descendere. Ex hoc vero sequitur, 1) ut cognatio quaedam sit inter homines omnes, 2) ut socialiter vivere debeant, 3) ut omnes se agnoscant aequales, 4) ut nemo alterum laedere debeat, &c.

Sed hoc argumentum inter Christianos tantum robore quodam pollet, unde magis illustrat quam probat.

§. 15.

Sed superest ultima questio, quae occasione hujus argumenti tertii tractatur: quid opus sit jure civili, quum habeamus jus naturae & gentium ab ipso Deo datum, & unde oriatur jus civile?

L. Necessarium fuit jus civile, 1) quia naturale caret medio togendi & coercendi. Vetat e. g. homicidia, sed non addit, supplicio affectum iri, qui occiderit. 2) Quia in societate humana multi sunt actus indifferentes, qui ob communem reip. salutem restringendi sunt, e. x. venari, piscari, donare, testari, sunt actus indifferentes, in se nec boni nec mali. Sed interest

B 2 tamen

U. M.
ore prolato vel
nunquam intelle-
sus esse circumci-
elasset. Nec hodie
ristianos esse ba-
oceret.

num duplex esse,
one addisci pos-
decalogus vel S. S.

on nisi ex revela-
uti leges V. T. de
enim obtinent le-
gunitatis & adfi-

de ex ratione intel-
arium intelligi non
quod illud natura-
cum natura huma-
Conf. de hac distin-
I. §. 13.

o vocabuli JUS sub
Non enim jus dicitur 2
A jubendo est *justum*,
GRONOV. Not. ad h. §.

3.
Grotius, cur Deus
quae jam ex ratione
ne veluti de novo
decalogo:
quia non omnes ho-
nandi facultate pot-
ine revelatione spe-
ges-scire.
2) Quis

amen societatis civilis, ne omnes promiscue venentur, piscentur, ne pro lubitu donent, legent, testentur. Ergo opus fuit legibus civilibus.

II. Unde vero leges civiles originem habent? Ex pactis, respondet Grotius. Homines enim in statu & libertate naturali viventes non potuere aliter in resp. coalescere, quam per pacta. Pacti enim primo sunt, se repub. constituturos: pacti sunt, se hac vel illa imperandi forma uti velle: pacti denique, se huic vel monarchæ vel concilio se & voluntates suas submissuros. Ex eo ergo pacto nascitur obligatio, & juri civili parendi. Et eatenus recte veteres definivere legem esse communem sponsonem civitatis. l. 1. §. 2. ff. de LL.

§. 16. 17.

Sequuntur quintum & sextum arg. quibus demonstratur, jus aliquod esse, quorum alterum ab indigentia humana, alterum a relatione gentium inter se desumitur.

Ex indigentia humana ita argumentamur:

Si Deus nos voluit esse multarum rerum indigos, sequitur, ut voluerit hominem homini subvenire.

At homo homini sine jure quodam cogente non subveniret.

E. voluit esse jus quoddam.

Consideremus infantes: quam indigi sunt auxilii humani? & quis infans ad justam ætatem perveniret, nisi essent, qui iis vitum, amictum & reliqua necessaria suppeditarent? Quis autem suppeditaret, nisi jus cogeret parentes, propinquos, tutores?

Ergo

Ergo Deus, qui non voluit infantes perire, omnino jus aliquod constituit, eoque certas personas obligavit, ut eis subvenirent. Ergo est aliquod jus.

II. Ex relatione gentium inter se argumentamur :

Si gens sine gente subsistere non potest, sequitur, ut inter eas jus sit commune.

At verum est prius, E.

Gentem sine gente subsistere non posse probat experientia. Opus enim est commerciis, quibus unius indigentia alterius copiis suppleatur. Opus est auxilio gentium, adversus adgressores, opus est foederibus, legationibus, &c. Atqui hæc omnia non essent, nisi communi aliquo jure continerentur. Ergo est jus Gentium omnibus commune, adeoque datur jus aliquod naturale. Conf. §. 2. l. de J. N. G. & C. verb. *Jus autem gentium omni humano generi, &c.*

Sed an a jure Gentium recte argumentari licet ad jus naturæ? Licet omnino. Nam jus gentium proprie nihil aliud est, quam jus naturæ negotiis gentium applicatum. Adeoque non sunt diversa jura, sed unum idemque, quod a diversis objectis, quibus applicatur, diversa nomina sortitur.

§. 18.

Antequam ad ulteriora progrediatur auctor, duas objectiones evertit: quarum altera est CARNEADIS, altera HORATII.

CARNEADES stultitiam dixerat justitiam, idque ita probaverat. Stultus est, qui utilitatem suam negligit, & alii potius quam sibi prodest. Atqui qui justitiam colit, pro-

priam utilitatem negligit, aliisque potius, quam sibi prodest. E. qui justitiam colit, stultus est.

Minoris veritas in oculos incurrere videtur. Nam e. g. justus etiam si altero pauperior sit, tamen non furatur, dum justitiæ causa a furto abstinet, propriam utilitatem negligit, & alteri potius quam sibi prodest. Et hinc Carneadi stultus videtur.

Sed resp. 1) distinguendum esse inter utilitatem veram & adparentem. Qui furatur, non veram, sed apparentem utilitatem sectatur. Quæ enim hæc est utilitas aliquot numis fieri ditiores, & eo ipso amittere bonam existimationem, excidere hominum consortio, omnis fidei & securitatis jacturam facere? Deinde 2) distinguendum inter utilitatem præsentem & futuram. Qui enim justitiam colit, utat præsentem utilitatem negligat, eo ipso tamen in futurum sibi consulit, dum tranquillianimi est, dum non metuitur, sed amatur, dum nec alios metueri tenetur. Ergo negamus, eum, qui justitiam colit, utilitatem propriam negligere.

§. 19.

Altera objectio est HORATII ex lib. I. Serm. sat. 3. Ejus sunt verba:

Jura inventa metu injusti, fateare necesse est.
Existimat itaque Horatius, jus non tam ideo inventum esse, quod aliquid sua natura justum injustumve sit, sed ex metu hominum iniquorum. E. g. Adulterium non ideo prohibitum, quod id rationi vel naturæ humanæ repugnet: sed quod metuerint homines, ne parum tuta futura sint matrimo-

monia, nisi prohiberentur. Quæritur itaque, an hæc sententia sit admittenda?

1) Distinguit Grotius inter ea instituta, quæ connexionem cum natura humana habent, & quæ ad executionem juris reperta sunt. Priora non præcipiuntur aut prohibentur, ob metum injuriæ; sed quia sua natura justa vel injusta sunt, ut, pacta esse servanda, neminem lædendum. Ast posteriora omnino ex metu reperta, e. g. ne quis armatus ad judicium veniat, ne milites vigiliis deserant.

2) Sed magis perspicuæ hujus theses falsitas potest demonstrari inde, quod quædam jura locum haberent, etiamsi nulli alii essent homines, e. g. hominem teneri colere Deum, hominem debere se ipsum conservare. Sane hæc jura ex metu non possunt esse profecta, quia locum etiam haberent, etiamsi nullus esset in mundo homo, quem metuas.

§. 20.

Reliquum est septimum argumentum, quod demonstratur, esse aliquod jus naturæ, quod Grotius ex conscientia humana petit. Ita enim ratiocinatur:

Si sunt morsus conscientiæ in male agentibus, tranquilla contra conscientia in probis, sequitur, ut sit aliquod jus omnibus hominibus commune. Ast verum est prius, E. & posterius.

Antecedens tam certum est, quam quod certissimum. Neque enim experientia nos ignorare patitur, tranquillum esse animum, recti sibi conscium, contra læniatus sentire, qui

male egit. Et hæc furia ita sæpe agitant maleficos, ut malint sibi manus inferre violentas, quam ista tormenta perferre.

Consequentia autem paullo accuratius demonstranda. Eam demonstramus ex ipsa definitione conscientia. Conscientia est ratiocinatio vel syllogismus de nostris actionibus, quo ad liquidum perducere conamur, justæ an injustæ sint. Si ergo homines natura ratiocinantur de actionibus, justæ an injustæ sint, oportet aliquod jus esse. Nam hoc nisi esset, nihil vel justum vel injustum posset appellari.

Sed objiciunt Athei, imprimis **TOLANDUS** in *Tito Livio* vel tractatu de *superstitione*: conscientia morsus non tam ex consideratione juris naturalis proficisci, quam ex jure civili, ex metu nimirum poenæ. Nam homicidam non ideo angere, & stimulis conscientia fauciarum, quod hominem occiderit, sed quod sciat, homicidis imminere supplicium capitale.

Sed resp. id falsum esse, idque inde probamus, quod illos conscientia stimulos & illi perferant, qui non possunt metuere supplicium, e. g. summi imperantes. Exemplum est in Nerone apud **SÆT.** *vit. Ner. cap. 34.* Accedit, quod conscientia tormenta & illi senserunt, quorum facinora non poena, sed præmia manebant. Sic **Judas**, Christo tradito, non ulla imminere poena, sed præmia amplissima. Et tamen tam favos conscientia cruciatus perferbat, ut suspendio vitam finire mallet, quam diutius ferre conscientia morsus.

Quis

Quis ergo jus esse negaverit, ab ipsa conscientia convictus? Conf. Cl. VVESTENBACH de causis obligat. cap. 2. §. 2. seq. ubi hoc argumentum ulterius persequitur.

§. 21.

Finita hac demonstratione aliquot confectaria inde elicit Grotius, quibus insignem juris utilitatem demonstrat.

Plerique homines optime sibi consultum fore existimant, si sine lege essent, sine jure viverent. Hinc jura & leges vulgo odio habentur. Sed contrarium probat auctor.

1) Quia nemo sine jure securus esset. Nullum est animal magis improbum homine, qui ambitione, avaritia, libidine in quavis præcipitia rapitur. Huic impotentis hominis libidini frenum nulla alia re injicitur, quam jure. Sine jure & lege vita piscium viveretur, major devoraret minorem. Conf. versus elegantes HESIODI, quos auctor infra adfert. *Lib. 1. cap. 1. §. XI, 1.*

§. 22. 23.

2) Quia nec gentes sine jure securæ essent. Quamvis enim gens sit potentissima, & opulentissima, carere tamen non potest commerciis & foederibus. Hæc vero nulla essent sine jure.

3) Quia ne societas quidem humana sine jure subsisteret. Societas enim omnis per pacta coalescit. Pacta vero essent frustranea, nisi jus esset, quod pacta servari juberet. Hinc Grotius ad h. §. eleganter observat ex Aristotele, quod nos supra ex Cicerone observavimus, ne latronum quidem socie-

zatem sine jure posse contineri. Quanto minus societas totius humani generis?

§. 24.

4) Quia nec pax secunda esset sine jure. Pax enim est pactum: nulla autem pacti sine jure esset obligatio.

Elegans est apophthegma, quod hoc §. refert Grotius, quidam Rex Spartanorum dixerat, beatissimam esse remp. cujus fines, hasta & gladio terminarentur, id est, quæ quam latissime circumferret arma victri-
cia. Pompejus id corrigens dicebat, bea-
tissimam esse remp. quæ justitiam pro fini-
bus habeat. Et recte. Nam.

- 1) Arma sine justitia sunt latrocinium.
- 2) Fortitudo nulla est sine justitia: is enim est fortis, qui pro æquitate pugnat.
- 3) Resp. quæ arma injusta expedit, omni-
bus exosa est.

§. 25. 26. 27.

Diximus supra ad §. 3. 4. 5. Auctori no-
stro rem esse cum duorum generum homi-
nibus. Alios enim negasse, jus aliquod esse:
alios id concessisse quidem, sed negasse ta-
men, jus belli esse. Quum itaque priorem
errorem jam satis profligarit Grotius: inter-
esse sua existimat, etiam posteriorem refelle-
re, quia alias absurde scripsisset **JUS BELLII**,
ET PACIS, nisi jus aliquod in bello esset.

Quinam auctores jus in bello negent,
jam supra vidimus §. 3. 4. qui hic con-
ferri possunt. Eos errare his argumentis
demonstramus.

- 1) Quia bellum est loco judiciorum.
Duo enim sunt status hominum, naturalis
& ci-

& civilis: ille inter hos qui non subsunt communi imperio, hic inter eos, qui sub uno imperio vivunt. In statu civili controversæ a iudice jure definiuntur: in statu naturali iudex nullus est, ergo opus est bello, adeoque bellum est loco iudiciorum. Quemadmodum vero norma iudiciorum jus est, ita nec bellum sine jure intelligitur. Hinc Alexander M. quum omnibus promiscue bellum inferret, non quod justa belli causa esset, sed quod utile putaret, gentes subjugare: dictus est a Scythis *latro generis humani*.

Objicere quis posset vulgatum illud: *Silent leges inter arma*: nec non illud Pompeji, qui a Mamertinis legatis ex legibus convictus: *Armatas, inquit, leges ut cogisom?* PLUTARCHUS *in vita Pompeji*. Sed respondetur

1) Silere in bello leges civiles, non naturales. Nam e. g. omnino absurdum esset, si hostis putaret, se adversus hostem instituere posse actionem L. Aquiliae, quod ille sibi damnum intulerit: ass nihilominus recte dicitur hostem peccare adversus jus naturæ, si virgines constupret, infantes animi causa occidat, homines multis cruciatibus adficiat. Hæ leges juris naturæ non silent inter arma.

2) Quia & in bello conscientia docet aliquod jus esse. Nam milites conscientia justæ causæ fortius pugnant, cives libentius conferunt sumtus belli: hostes contra sceleris sibi consciï plerumque facilius despondent animum. Hinc Atheniensium fortitudo

titudo in bello Marathonio. Vid. CORN. NER. in vit. Miltiad, Hinc Jugurthæ metus in bello adversus Romanos, de quo Sallustius refert, eum nec in duce nec in milite habuisse fiduciam, ac omnia tutâ metuisse. Si ergo tanta conscientia vis etiam in bello est; sequitur sane, ut & belli aliquod jus sit. Nam paullo ante probavimus ex conscientia humana demonstrari posse existentiam juris naturæ.

§. 28. 29.

Hactenus pars generalis: sequitur specialis, in qua auctor exponit:

- 1) Consilium suum. §. 28. 31.
- 2) Partitionem operis. §. 32. 35.
- 3) Ejus necessitatem. §. 36. 38.
- 4) Subsidia quibus usus. §. 39. 55.
- 5) Leges quasdam, quas sibi in toto opere dixit. §. 56. ad fin.

I. Consilium suum auctor exponit hoc §. 28. Ait enim se expositurum esse jus inter populos commune, quod & ad bella & in bellis valeat. Quod nullum aliud est, quam jus gentium, id est, jus naturæ diversis gentium negotiis applicatum. Unde facile animadvertimus, quid intersit inter Grotium & reliquos scriptores juris naturæ.

² Pufendorffius non modo jus Gentium tractat, sed & J. N. Nam & hominum & civium officia erga Deum, se ipsos, & proximum late exsequitur. Idem consilium est HOBBS: I in libello de cive & Leviathane. Sed Grotius potissimum tractat jura belli & pacis, id est, jura gentium.

Equidem multa hinc inde occurrunt, quæ ad

ad jus naturæ pertinent, veluti lib. 2. § cap. 2. 17. de acquisitione rerum, de contractibus, de promissis, & præcipue de jurejurando. Sed hæc omnia Grotius non tractat, tanquam negotia hominum & civium, sed tanquam negotia gentium.

Ceterum consilii sui scribendi jus gentium duas causas allegat Grotius, quarum prior his §§. posterior duobus sequentibus tractatur.

Prima est, quod circa bellum duas esse animadverterit plane contrarias sententias. Nimirum

1) Alii peccant in excessu, ut omne jus in bello cessare existiment, partim in eo suscipiendo, partim in eodem gerendo.

2) Alii in defectu, ut omne bellum injustum putent, & Christianis indignum. Ejus sententiæ patroni fuere olim TERTULIANUS in libro de resurrectione carnis, JOANNES FERUS, Monachus Franciscanus sæculi decimi sexti, vir admodum moderatus in Commentariis ad §§. pane omnibus, ERASMUS ROTTERODAMUS in Milite Christiano, & ex ipsis commentatoribus Grotii JO. a FELDE in notis ad h. §. ubi absurde vir ille argumentatur, quia jus naturæ inter homines magis exigit judicia quam bella, multo minus inter se bella gerere debere Christianos, quasi in statu naturali locum habeant judicia.

Quum itaque utraque sententia falsa sit, Grotius dicit, se medicinam utrisque voluisse adhibere, tum ne nihil, tum ne omnia licere crederentur. Adeoque egregie defendit.

dit, licere bellum gerere, sed & præclare docet, in bello non promiscue omnia licere.

§. 30. 31.

Altera causa, quæ Grotio persuasit, ut huic operi manum admooveret, hæc erat, ut jurisprudentiæ etiam exsul consulere.

1) Notum est jurisprudentiam constare ex jure naturali, gentium & civili. *L. 1. §. 1. ff. de l. & l.* Itaque non potest non egregie consulere jurisprudentiæ, qui hæc confusa digerit, & naturalia & gentium jura a reliquis sejungit. Ita enim, quæ certa sint, quæ immutabilia, quæ ubique eadem facile addiscere licet.

2) Ex jure naturæ pleraque fluunt etiam civilium jurium rationes. Quæ utilitas de-
nuo egregia est. Sic e. g. tota *L. Rhodia de jactu*, & maxima pars doctrinæ de quasi contractibus ad jus quidem civile pertinet, sed ratio tamen ejus juris repetenda est ex jure naturæ, quod docet, neminem debere cum alterius damno locupletari.

3) Inprimis egregie Grotius consulit juri publico universali. Id enim quum ante Grotium pæne ignoraretur, ejus opera primum caput exseruit tenebris. Hinc vere dici potest, Grotium plus Jurisprudentiæ profuisse, quam centum legulejos vel rabulas, quæ magna commentariorum, systematum, decisionum volumina reliquerunt.

Ceterum quod Grotius §. 31. optat, ut plures singularibus materiis hujus juris manum admooverent, id postea contigit. Nam

1) De

- 1) De jure circa sennonem scripsit VESSELMANNUS tractatum plane incomparabilem.
- 2) De juribus majestatis GASP. ZIEGLERUS, cujus liber omnibus eruditis in deliciis est.
- 3) De judicium officio idem edidit libellum egregium, quem vocat *Disasticien*.
- 4) De legatis multa preclare collegunt VVICQUEFORT & MARSHLABR.
- 5) De foederum jure VVAHRMUND ab EHRENBURG in *Mediantantis*.

Alios hujus generis auctores infra suo loco passim laudabimus.

§. 32. 35.

II. Sequitur jam operis totius partitio, quam hoc versiculo complecti solent interpretes.

Quid bellum? belli causae? quae juraque belli. Habemus tres libros Grotii. Nam

Libro primo agit de bello generatione & quaerit, quid bellum sit: an liceat gerere bellum? quid bellum publicum & privatum? & denique qui bellum gerere possint.

Libro II. de belli causis, quales sunt ex mente Grotii 1) defensio rerum nostrarum, Lib. I. cap. I. 2) exactio ejus quod nostram est, vel reparatio injuriae, Lib. II. cap. II. XV. 3) poena Lib. II. cap. XVI. ad fin.

Libro III. de juribus belli 1) in laedendo hoste Lib. III. cap. I. V. 2) in acquirendis hostes Lib. III. cap. VI. XVIII. 3) in pactis cum hoste initis. Lib. III. cap. XIX. ad fin.

§. 36.

III. Necessitatem hujus scriptiois suæ inde demonstrat Grotius, quod hujusmodi opus nec a recentiore compositum, quod suis numeris absolutum sit. Aristotelis enim liber de jure belli perit. Ciceronis liber de officiis magis ad jura privata quam publica pertinet. Ambrosii libellus de officiis magis catechesin aliquam refert, quam opus politicum. Quin LUD. ELLIES du PIN dans la Bibliothèque des auteurs ecclésiastiques observat, in Codicibus MSC. hunc libellum inscribi de officiis clericorum.

Operat Grotius, veterum Christianorum aliquem hujusmodi quid scripsisse, patrem nimirum aliquem ecclesiasticum. Sed, si video quid video, parum utilitatis ex hujusmodi scriptioe caperemus. Nam 1) patres ecclesiæ tantum non omnes fere expertes fuisse principiorum moralium, egregie docuit DN. BARBEYRAC in aurea præfatione Pufendorffii §. 9. p. 22. 2) Eisdem plane ignaros fuisse rerum civilium, res ipsa docet.

Unde nec multum juvant Casuistæ. Quæ enim casus conscientiæ definiunt, id faciunt ex S. S. Jura vero belli non modo ex S. S. sed & præcipue ex recta ratione & principiis moralibus petenda. Unde omnino necessarium fuit hujusmodi opus, cui solus par erat Grotius.

Ex recentioribus quibusdam de belli jure scripserunt Theologi æque ac Icti, quos recenset §. 37.

FRANC. de VICTORIA, Theol. Hispanus Salamanticæ Professor scripsit librum de Indis & jure belli, ubi disceptat, an jure Indis occidentalibus bellum intulerint Hispani? sed facile patet, quam egregium quid ea in re potuerit ab Hispano homine expectari?

Similia sunt scripta HENR. GOCICHEMI, VVILH. MATTHÆI & JO. CARTHAGENA, Pontificiorum theologorum, qui jura belli ex Theologiæ scholasticæ & juris canonici principiis explicant: quemadmodum Jo. LUPUS, FR. ARIUS, Jo. de LIGNANO, & MART. LAUDENSIS Jcti ex jure civili & legibus corporis juris. Hinc varias conclusiones proponunt, e. g. potuisse Hispanos Americanis bellum inferre, quia fuerint Barbari, ethnici, ἀδραροφάγοι. Possē christianos Turcis bellum perpetuum inferre, quod sint infideles, & sepulcrum sanctum possideant. Justum fuisse bellum Hispanorum cum Elisabetha Angliæ Regina, quia fuerit hæretica. Sed modeste eos notat ex duabus tantum causis:

1) Quod confuderint jura naturæ, gentium, civilia & canones.

2) Quod lumine historiarum caruerint. Hinc reliquis scriptoribus præfert tres Jctos.

2) PETRUM FABRUM, Cujacii discipulum, sed in Græcis doctiorem ipso magistro, cujus egregia plane extant semestria, quæ libris III. constant. Est opus miscellaneum, sed in quo plura juris gentium,

rium; publici & privati capita præclare illustravit.

b) BALTH. AYALAM, Antvverpiensem, & postremo in suprema Mechliniæ curia Senatorem, qui obiit 1584. scripsit librum *de jure, officiis bellicis ac militari disciplina*. Nam ipse aliquamdiu Prætorem vel judicem bellicum egerat in exercitu Hispanorum. Vid. FRANC. SVVERTII *Arbenas Belg.*

c) ALBER. GENTILEM, cujus exstant *Advocatus Hispanicus*, libellus *de jure maris* & alia. Sed in his tamen haud pauca desiderantur. P. Faber non scripsit justum systema, sed hinc inde quasdam materias illustravit: Balth. Ayala non egit de causis belli justis: Alb. Gentilis nec ordinem servat, nec jura naturalia & positiva discernit, nec omnes quæstiones tractat, & magis exemplis & auctoritatibus nititur, quam rationibus. Unde hi non obstare potuerunt Grotio, de jure B. & P. scripturo.

§. 39.

Postquam, quid sibi consilii sit, explicavit auctor, quæstio sequitur, ex quibus fontibus Grotius I. N. & G. deduxerit? Resp. Ex rationibus & principiis hujusmodi, quæ non magis possunt in dubium vocari, quam quæ sensibus percipiuntur. e. g. triangulum includi tribus lineis.

Est hoc ipsum principium: *Socialiter est vivendum*, de quo §. 8. Ex hoc enim per justam ratiocinationem omnes deinde fluunt doctrinæ reliquæ. Quum itaque socialitatis desiderium omnium pectoribus tam alte insideat; facile patet, cur jus N. dicatur

om-

omnium cordibus inscriptum. Rom. 2. non actu, quasi hæc omnia nobiscum nascantur: sed potentia, quia hoc principium tam clarum est, ut nisi obbrutescat homo, is statim conclusiones omnes pervidere possit quam facillime. Non nasci nobiscum I. N. demonstratur 1) exemplo infantum, 2) ex natura embryonis, qui nec respirat in utero materno, nec cogitat, 3) exemplo eorum, qui ita obbrutescant, ut plane negare audeant principia I. N. e. g. adultèria, furta non esse peccata.

§. 40. 41.

Et hoc in principio adquiescere debuisset Grotius. Sed præter socialitatem & testimoniis philos. hist. Poetarum & oratorum I. G. probari posse putat. Dicit enim jus Gentium esse jura multis gentibus receptum. Quid a multis gentibus receptum sit, ex his auct. testimoniis liquere, jus gentium.

Sed hoc in Grotio permulti reprehenderunt, & maxime ipse Pufendorfius. Nam

1) Non recte definitur jus Gentium, quod apud multas gentes receptum sit, sed quod naturalis ratio inter omnes peræque gentes constituit. Illud pertinet ad mores gentium; hoc ad jus gentium.

2) Mores quidem gentium probari possunt ex testimonio auctorum: sed non jus gentium, quod naturalem rationem habet. Illa quæstio est facti, quæ testimoniis probatur, hæc juris, quæ rationibus solvitur.

3) Falsum est, quod ubi multi diversis

tem-

temporibus ac locis idem pro certo adfirmant, id ad causam universalem referri debeat, id est, ad rectam illationem, ex naturæ principiiis procedentem, uti auctor loquitur §. 40. Nam sic & idololatria, & πολυθεότης referri deberet ad jus naturæ & G. quam multi diversis temporibus ac locis defendunt.

Improbanda itaque hæc methodus Grotii, quod jus Gentium e testimoniis veterum arcessit. Testimonia enim veterum non probant, sed illustrant. Et hinc quod §. 41. promittit, non præstat. Promittit enim

1) Se accurate distinguere jus naturæ & gentium: sed non distinguit. Jus enim naturæ ipsi est, quod ex ratione fluit, jus gentium, quod ex libera gentium voluntate. Quod falsum. Jam supra enim docuimus, non dari jus Gentium a jure naturæ diversum, nec hæc jura aliter differre, quam adplicatione. Quod tam luculenter docuit *Pufendorffius* l. 3. c. 3. §. 23. J. N. & G. ut nihil scrupuli reliquerit.

2) Se accurate distinguere jus civile & Jus N. & G. jus perf. & imperfectum. Sæpe enim ad jura G. refert, quæ sunt juris civilis, cujus rei exemplum infra in successione testamentaria videbimus.

§. 42. 43.

Jam ad ipsos auctores, quos in consilium adhibuit, pergat, ubi inter philosophos primum locum concedit Aristoteli, sed ita, ut facile pateat, eum renitente quodammodo conscientia scribere. Eo tempore tyrann-

tyrannidem quandam affectaverant Aristotelici, sola hæc philosophia ubique dominabatur. Ne crabrones irritaret, principatum hunc philosopho relinquit, sed ita ut quædam cordate moneat.

1) Non principatum hunc degenerare debere in tyrannidem, sed cuique relinquendam esse prudentem *ἐκλογικῆς*, ut ex omnibus sectis quod optimum eligat. Et hæc methodus eclectica vere optima est, quamvis in eam invehantur & Aristotelici & Cartesiani. Nam 1) methodus sectaria homines perducit ad præjudicium auctoritatis. Præjudicia vero omnem intellectus aciem obtundunt. 2) Methodus sectaria homines fingit infallibiles, & qui errare non potuerint, quum tamen id repugnet conscientię. Quia itaque nec omnes veritatem vidisse verosimile est, nec nullos: opus est selecta, adeoque philosophia eclectica. Vid. ARN. VVESENFELD *de philos. sectaria & eclectica.*

2) Quod non accurate definiverit virtutem, quod consistat in mediocritate. Quid vero in reliquis doctrinis moralibus sperandum esset ab homine, qui ne virtutis quidem ideam claram & distinctam animo concepit? Falsum vero hanc esse definitionem multis probat.

1) Quod inde sequatur, ut liberalitas & parsimonia sint eadem virtus.

2) Quod inde sequatur, vitia quædam dici, quæ non existant, e. g. iræ vacuitas.

3) Quod justitiæ nullus reperiatur exitus & defectus.

4) Quod quædam vitia ex mente Aristote-

Stotelis non sint vitia, e. g. adulterium ex libidine, cædes ex ira.

5.) Quod non ipse excessus virtutis vitia facit, sed modus in ejus usu non adhibitus, e. g. non qui Deum nimium colit, superstitiosus est, sed qui perperam colit, non qui nimis liberalis est, vitiosus est, sed qui perperam liberalis, cet.

§. 46.

Philosophos sequuntur Historici, ex quibus duplicem utilitatem capi posse putat Grotius, 1.) Exempla & 2.) Judicia. Utraque autem prodesse putat ad demonstrandum jus Gentium. Sed hunc errorem jam profligavimus, diximusque jus gentium æque ac jus naturæ demonstrandum esse ex recta ratione. Exempla autem & judicia ex historicis non probant, sed illustrant. Et hunc usum habet historia temporum mediorum, id est, Romana ante bellum Punicum 3.) Græca ante bellum Peloponnesiacum. Nam postea, inquit VELLEI. PATERC. *Lib. 11. cap. 1.* non gradu, sed præcipiti cursu a virtute descitum ad virtutes transcursum, cet.

Sed quamobrem historiarum non probant jus gentium? Id ita demonstro. Nec exempla probant jus gentium, quia jus non spectat, quid factum sit, sed quid fieri debeat: nec judicia, quia gentes de uno eodemque factò diversimode judicant, E. plane ex historia jus gentium non demonstratur.

E. g. Tarquinii superbi filius Arvus con-
rupraverat Lucretiam, quæ sibi ideo ipsa
manus violentas inferebat. Hinc Brutus &
universus populus regem ejiçiebant regno.

Si

Si exempla jus faciunt: hoc & similia exempla complura probabunt, posse legitimos reges ejici ob sola liberorum delicta. Si judicia jus faciunt, idem dicendum erit. Nam Græci Romanique scriptores omnes hoc Bruti facinus collaudant, tanquam egregium: & tamen egerunt Romani contra jus gentium, uti infra demonstrabimus, & præclare jam demonstravit DN. BUDAËUS in *Specim. Jurisprud. hist.*

§. 47.

Ufus est Grotius & testimonio oratorum & poetarum, sed ipse agnoscit, eorum testimonia illustrare magis, quam probare, quia vix iis ullum inesset pondus. Nam in oratorum hoc est calliditatis, ut cum opus sit, eisdem rebus ab utraque parte, vel a contrariis utantur. Cic. *pro Cluent. cap. L. 21.* Poetæ fingunt, & Horatio iudice:

- - - pictoribus atque poetis

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Si ergo ex poetarum relationibus judicandum esset, & adulteria & incestus defenderentur, ac si essent juris gentium. Talia enim de diis, heroibus & hominibus optimis referunt. Sin ex eorum sententiis & judiciis, & vitia horrenda ex jure gentium defenderentur.

§. 48.

Pergit ad libros V. T. & iis quaque se usum fatetur. Qua occasione primo quaeritur, an ex libris V. T. peti possit jus naturæ & gentium?

Adfirmat JO. BODINUS in *colloquio Heptaplo-*

plomere satis pravo, * ubi jus veteris T. ipsum jus nat. esse contendit: sed eum recte refutat Grotius. V. T. enim res innumeratas inculcat, quæ non nituntur ratione naturali, e. g. ut Judæi se circumciderent, ut non uterentur vestibus mixtis, ut uno tantum loco sacrificarent, cct. Ait quidem Bodinus, quamvis horum legum rationes non intelligamus, tamen inde non sequi, ut nullæ sint. Sed resp. Idem est ac si quis diceret, & bruta loqui, quamvis non audiamus. Et, si istas rationes non intelligere possumus, quomodo dici possunt esse juris naturæ, quum naturæ jus ab omnibus percipi debeat.

* Colloquium istud Heptaplomeres adhuc in MSc. laet, & est colloquium inter septem personas diversarum religionum de religione. Habetur in bibliotheca Thomasiانا, qui & excerpta quædam communicavit.

2) Deinde observat, jus divinum positivum & J. N. non pugnare. Posset existimari id falsum esse, quam plane alia inculcet jus divinum positivum, quam naturale, immo ea, quæ I. N. plane ignorat, e. g. gradus prohibitos, circumcissionem, etc. sed resp. distinguendum inter aliud & contrarium. Alia inculcat I. N. sed non contraria. Sic medicina & Jurisprudencia non pugnant, quamvis alia doceat illa, quam hæc.

Sed objiciunt quidam, leges divinas positivas etiam contraria docere, e. g. jus nat. docet, non esse furandum, & tamen Deus dixit Israelitis, *abire & mutua a vicinis vestris*
acci-

accipite vasa aurea & argentea; Jus N. prohibet parricidium, & tamen Deus jussit Abrahamum immolare Isaacum. Hic varia comminiscuntur interpretes. Sed rectissime Grotius dicit, distinguendum accurate esse jus Dei, quod Deus per homines interdum exsequitur, a jure hominum inter se. Leges N. & positivæ divinæ ea in re consentiunt, quod non sit furandum, vel occidendum: sed hæc officia homines tantum inter se servare tenentur, nec ideo sequitur, ut Deo non sit jus homini vel bona vel vitam eripere. Si id jus Deo est, potest etiam ex justis causis idem jus exsequi per homines. Jam facile patet, cur Deus jusserit ab Ægyptiis vasa argentea & aurea accipi: quia id debebant Ægyptii Israelitis pro laboribus: ergo hic tamquam judex Israelitas immisit in bona Ægyptiorum. Deinde potuisset Deus Isaaco vitam eripere, quam dederat, potuisset & per patris manus eripere: sed noluit tamen, & Abrahamum jussit id facere temptationis & typi causa. Unde hoc exemplum huc plane non pertinet.

3) Postremo removet errorem: quod antiqui foederis in novo nullus usus sit. Id quidem recte fecit, sed cavendum tamen, ne omnia promiscue recepta putemus. Distinguenda enim præcepta, quæ nullam habent rationem nisi typicam, e. g. ut abstineant Judæi a certis animalibus impuris, ut ne vestibus ex lino & lana mixtis utantur, ut leprosi certo modo expientur, ut ea quæ fundamentum habent in hone-

Hein. de Jure Belli, &c. C *state*

state naturali. Nam de his demum vera sunt, quæ dicit Grotius: *Nos contra censemus, &c.*

§. 49.

Quia itaque sæpe usus est V. T. libris: æquum etiam putavit, libros Hebræorum adhiberi in subsidium, quia mores & sermones patrios habuere percognitos. Sed Rabbinus isti parum conferunt ad hanc scientiam. Nam

1) Fuere homines, qui clavem genuinam ad explicandam S. S. non habent, dum mysterium Christi ignorant, adeoque non possunt docere, quid in lege habeat rationem typicam, quid rationem moralem.

2) Omnes Rabbinus destituti sunt scientia morali & politica, sine qua leges interpretari velle, est nihil agere.

3) Omnes abundant fabulis & traditionibus absurdis, ex quibus tamen conclusiones suas ejiciunt.

Quid ergo sani ex horum hominum scriptis discamus? Grotio id ab omnibus jure imputatur, quod justo magis judicaret. Primus tamen & fere solus inter Rabbinos desipere desit R. Moses Maimonides, de quo ideo fertur proverbium: *A Mose usque ad Mosen, non fuit, sicut Moses.* Scripsit hic librum sub titulo *Mora nobushim*, id est, *Doctus dubitantium*, qui & latine exstat a Buxtorffio versus. Hic satis multa egregie disputat de moribus, quæ ad illustrationem I. N. faciunt. Reliqui Rab-

bini

bini numerus sunt, & fruges consumere nati.

§. 50.

Pergit ad libros N. T. quibus ideo se usum dicit, ut doceret, quid Christianis liceret. In his duo fugienda sunt extrema.

1) Ne existimemus sufficere Christianis, si secundum I. S. & G. vivant. Sane ita non differrent a paganis. Majorem a Christianis sanctimoniam exigit Deus; e. g. Jus naturæ permittit, ut hostem utiscamur vel per judicia in statu civili, vel per bella in statu naturali: at libri N. T. docent, cum & amandum, eique benefaciendum esse; I. N. & G. docet, damnum datum resarciendum esse: in libris N. T. laudatur Zachus, qui septuplum reddiderat.

2) Ne existimemus, omnia esse præcepta in N. T. Plura enim sunt consilia tantum evangelica, quæ sub certis circumstantiis utiliter possumus exsequi, sed non absolute tenemur. Tale 1. Cor. VII. de celibatu.

Ut paucis dicamus: Ex libris V. & N. T. non demonstratur jus N. & G. sed ostendi potest, qui termini sint naturæ & gratiæ: quousque progrediatur æstus ratio, quidque novi accesserit per revelationem.

§. 57.

Sequuntur conciliorum & synodorum canones, nec non scripta patrum. Ubi quaeritur:

1) An aliqua sit synodorum auctoritas?

C 2

2) Quæ

- 2) Quæ utilitas inde capienda ad illustrationem juris naturæ?
 3) Quid ex patribus utilitatis sperandum?

1) Quod ad quæstionem 1. attinet, videndum quid sit synodus? Est ea nihil aliud, quam congregatio virorum ecclesiasticorum & doctorum, in qua de controversia & moribus disceptatur. Ergo 1) synodus constat ex hominibus, adeoque nulla ei tribui potest divina auctoritas. Constat ex 2) hominibus ecclesiasticis & doctoribus, quumque & hi ab affectibus non sint immunes, possunt & hi labi, errare, decipi. 3) Convocantur ad decidendas controversias & disceptandum de moribus: qua in re quum non alia norma sit, quam S. S. sequitur, ut non sit synodorum alia auctoritas, nisi quatenus eorum decreta conveniunt S. S. Hinc si conveniunt, synodorum canones non minus valent, quam scripta doctoris unius, qui recte docet: si discrepant, non magis valent, quam scripta unius pseudo-doctoris, qui falsa inculcat. Multitudo enim errantium non præstat errori patrocinium.

Dicunt: plus videre oculos, quam oculum: credendum esse tot viris doctis, qui unanimiter hoc decreverint: sed resp. oculos centum cæcos vel catarrhis offusos non plus videre quam oculum unum sanum, & viros etiam doctos affectibus abreptos falli & fallere posse.

- 2) An ergo aliqua ex synodis militas ad J. N. redundat? Adfirmat Grotius, quia
 offen-

ostendant, quid veteres Christiani singulis
 sæculis crediderint, quique mores apud
 eos fuerint recepti. Sed quid tum? An er-
 go quod Christianis visum, quodque apud
 eos fiebat est juris gentium? V. c. Multi
 existant synodorum canones ex quibus pa-
 tet, nuptias olim ante Sæculum IX. pro-
 hibitas fuisse usque ad septimum gradum
 computationis canonicæ. Exstat alius ca-
 non, ex quo patet, Innocentium Pontifi-
 cem nuptias permisisse post gradum quar-
 tum: an ideo hoc juris gentium? Sic jus
 Gentium admodum erit mutabile?

Accedit, quod & synodi & patres sæ-
 pe utantur rationibus satis absurdis, e. g.
 nuptias prohibendas usque ad quartum gra-
 dum, quia sint quatuor elementa, & qua-
 tuor humores in corpore humano. *cap. ult.*
X. de consangu.

3) Patrum quanta sit auctoritas, nemo
 ignorat. Nam quamvis omnes concedunt
 eos sæpe errasse, tamen & largiuntur, eos-
 dem testes esse idoneos circa quæstionem
 facti, quid Christiani singulis sæculis cre-
 diderint? Modo 1) omnes vel plures con-
 sentiant, 2) propius abfuerint a sæculis
 primis, & 3) nullius convicti sint hære-
 ticos, nam quidam patres, ut Tertullianus
 & Origenes pro orthodoxis non habentur.

Sed ad J. N. & G. probandum exiguum
 adferunt momentum, partim quia vix
 philosophiæ moralis elementis imbuti fue-
 runt, partim quod non queritur in jure
 N. & G. quid factum sit, sed quid fieri
 debuit. Perpetuus est hic Grotii error;

ut jus gentium & plurium gentium consensu probet, & ideo omnia convalescere sudeat, unde hujusmodi consensus posset elici.

§. 52.

Sequuntur Scholastici, quos Grotius ab ingenio & modestia laudat, sed navos eorum temporum infelicitati adscribit, ut satis adpareat eum in Gallia scripsisse, ubi quam male eruditus credere soleat censura Aristotelico-Scholasticæ philosophiæ, vel Petri Rami fata doceat. Vid. Jo. Launoii *de var. Arist. fortuna in Acad. Parisiensi libellus elegantissimus.*

Ceterum quam male de L. N. & G. meriti sint Scholastici, paucis demonstrabimus.

1) Non solum ducem elegerunt Aristotelem, sed & scriptores Arabes Mahumedanos, Aristotelis interpretes, qui totam philosophiam moralem maxime observant.

2) Omnia sine ordine tradunt.

3) Principium supponunt obscurissimum, sanctitatem divinam.

4) Jus N. & G. probant inepte ex Aristotele, jure can. civili.

5) Proponunt quæstiones absurdissimas e.g. an ob alapam intentatam aliquis possit occidi? An possit adorari hostia, de qua dubites, an sit consecrata? An sacerdos ebibere teneatur calicem, si vermes venenati inciderint? Hæ scilicet sunt quæstiones egregiæ juris naturæ & gentium, hæc abstrusæ illi disputationi stolidi ma-

gistelli VVittebergensis, qui Decano Fac. Philos. offerebat disputationem Juris gentium, de dolore dentium, quumque Decanus eam rejiceret, mutabat titulum: Annuente summo Eate, Facultate concedente, de dente dolente, morbo noto in omni gente, praesidente M. Dente, disputabitur a Respondente Carolo Eate.

Accedit 6) quod scholastici immiscent principia impia de probabilitate, de methodo dirigendi intentionem, de reservatione mentali, & de peccato philosophico, de quibus conferri meretur LUD. MONTALTIUS in *Epistolis ad Provinciales*, & Theol. Lugduno Batavus, HOORNBEK in *praf. Tom. II. Theol. moral.*

§. 53.

Sequuntur denique JC. quos in tres ordines dispescit Grotius, 1) veteres, quorum fragmenta in ff. occurrunt, 2) mediis aevi, qui glossas scripserunt, ut BARTOLUS, BALDUS, ACCURSIUS, 3) novos, qui jurisprudentiam a vetere barbarie repurgarunt. De prima classe agit §. 53. de secunda §. 54. de tertia §. 55.

Antiquos laudat, quod multa juris naturalis & gentium capita tractent, & rationes perquam elegantes adferant: sed & novos quosdam in iis notat, veluti 1) quod confundant jus naturæ & gentium, 2) quod quæ paucis gentibus communia fuerunt, pro jure gentium venditent, 3) quod omnia immisceant juri Romano.

Sed non potuisse non doctissimos illos

viros in describendo jure gentium sapissime falli, inde colligimus.

1) Quod ne sciverint quidem, quid sit jus naturæ & gentium. Illud enim dixerunt esse, quod natura omnia animantia docuit, quum in bruta non magis cadat jus, quam in horologia vel alias machinas.

2) Quod jus gentium recte quidem definiunt, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit: sed multa referunt ad jus gentium, quæ sunt voluntaria, e. g. testamenti factionem, manumissiones, servitutem captivorum, cet.

3) Quod in plerisque sequuti sunt Stoicos, quorum philosophia moralis multis erroribus referta est. Jctos veteres stoicos esse, docet Ev. OTTO. Orat. de Stoica Jctorum philosophia. Errores autem Stoicorum morales singulari tractatu detexit Jo. FRANC. BUDDÆUS.

S. 54.

Glossatores fuere homines satis ingeniosi, sed barbari & ab historiarum ac litterarum præfidiis destituti. Hinc & in jure gentium stolidè errant. Nam

1) Id probant ex jure Rom. & Canonico.

2) Inde formant jus publicum, tum universale, tum particulare Germanorum. Hinc egregiæ doctrinæ juris Gentium in glossatoribus obviæ, Imperar. Germ. esse mundi dominum: reges apud illum posse accusari. Electores esse præfectos prætorio. Supremam majestatem consistere in jure gladii.

3) Fue-

3) Fuere pontificii. Hinc ubique re-
gnant in eorum scriptis principia papatus,
verò juri Naturæ quam maxime repu-
gnantia, c. gr. Papam esse supra Principes, cet.

§. 55.

Jurispr. primus barbarie purgavit ALCIATUS. Hinc sequuti CURIACIUS, FABRI, BUDDÆUS BALDUINUS, HOTTO-
MANUS & alii, maxime in Gallia. Sed
quum hi operam tantum dederint juri civili
privato: hinc parum illustrent jus N. & G.

Excipit tamen auctor duos Hispanos &
duos Gallos. Ex Hispanis COVARRUVIAM
& VASQUUM, ille scripsit *varia*, hic *con-
versas illustres*. Ille modeste: hic, ut
ait auctor, liberrime, adeo ut & princi-
pes delinquentes deponi statuatur, quam sen-
tentiam refutat auctor infra Lib. II. cap. I.
§. IX. §. 2. sequ.

Ex Gallis laudat Jo. BODINUM, cujus ex-
stant *libri de republica*, in quibus tamen
multa sine ordine & justa demonstratione
traduntur, & FR. HOTTONANUM, cujus
questiones illustres elegantes sunt, nisi quod
auctor fuit Monarchomachus, ceu ex ejus
opere, quod *Franco Galliam* inscripsit, ad-
paret.

§. 56.

Reliquum est ultimum partis specialis
membrum, in quo leges quasdam expli-
cat, quas ipse sibi in hoc opere elaboran-
do præscripserit.

1) Primo sibi hanc legem dixit, ut om-
nia demonstraret evidenter, proponeret ordi-

se, & quæ diversa sunt, distingueret. De duobus posterioribus nihil est, quod moneamus, nisi quod paullo scrupulosius distinxit jura naturæ & gentium, quum tamen, uti diximus, unum jus sint. Ast in primo sæpe defecit. Multa enim juris gentium esse, demonstravit testimoniis & exemplis, quod quam periculosum sit, supra exemplo idololatriæ docui.

§. 57.

2) Secunda lex est: ne quid quod ad rem non pertinet immisceret. Quod religiose præstitit. Alii enim auctores immiscerent philosophiam moralem, ut Cicero; alii theologiam & casus conscientiæ, ut Scholastici; alii politicam, ut Bodinus. Ast hæc disciplinæ omnes differunt.

1) Philos. mor. tradit, quid bonum vel malum: jus naturæ, quid justum vel injustum: Politica, quid utile vel noxium. Ista perducit ad felicitatem internam vel tranquillitatem animi, illud ad justitiam, hæc ad prudentiam.

2) Omnes hæc disciplinæ conclusiones suas ex recta ratione petunt. Theologia ex revelatione, ex qua etiam casus conscientiæ decidendi.

§. 58.

Tertio lex: se nolle immisceri controversiis nostri sæculi, inter Pontificios putata & Protestantem. Hinc protestatio elegans sub finem §. *Hæc enim professio est.*

Et sane potuisset id Grotius, si ex sola recta ratione quæ apud pontificios & protestantes est eadem, disputasset. Quia autem

tem

tem multa ex S. S. immiscuit, quam aliter sæpe Pontificii, aliter alii coetus & sectæ explicant, fieri non potuit, quin modo huic, modo alteri sectæ favere videretur. Unde & ab omnibus vapulat vir bonus, & quasi Arminianis & aliquando Socinianis justo plus faveret, accusatur.

§. 59.

Quarta lex: Ut dicendi genus sectaretur breve & concisum, quia id ad docendum sit aptissimum. Et sane nec elegantia, nec brevitatis, nec pondus & gravitas deest Grotii stylo. Inprimis enim hæc virtute eminebat vir doctissimus, ut varios styli characteres exprimeret. In historia Belgica Tacitum expressit; in his libris non infeliciter imitatur Ciceronis libros philosophicos.

§. 60.

Quinta lex: Ut verba auctorum ipsa non allegaret, nisi quid ponderis vel elegantiae insit. Fuit eo tempore is gustus eruditorum, ut hujusmodi auctorum testimoniis delectaretur, uti patet ex scriptis Grotii, Seldenii & aliorum.

Sed jam alii monuerunt: sic quidem eruditione multiplici refertum esse Grotii opus, at minus perspicuum, quam si allegationes has, quæ nihil ad demonstrationem I. N. & G. faciunt, omisisset. Hinc tantum applausum meruere Hobbesius & Pufendorffius, quod ille in suo libello *de cive*, hic in libello *de offic. hom. & civis* non nisi suas meditationes proponerent, nullaque allegarent veterum testimonia.

Nos in posterum parum solliciti de his corticibus, ipsum nucleum ex Grotii opere quaeremus.

§. 61.

Postremo §. imitatur pontificios, inter quos scripsit: & ne forte libri impressio prohiberetur, addidit sollemnem protestationem, ut si quid bonis moribus & pietati contrarium a se dictum sit, id ne dictum esset. Sed hæc protestatio facto procul dubio contraria visa est Pontifici Rom. qui, ut jam supra monui, & Grotii opus in indicem librorum prohibitorum referri iussit.





LIBER PRIMUS.

C A P U T I.

Quid Bellum? Quid Jus?

§. 1.



Um hoc opus inscribatur de jure Belli & Pacis, prius Grotius de Bello sçendum putavit, quia illud propter pacem geritur. Ut autem titulus cõterius intelligatur, explicat hoc capite 1) quid bellum sit §. 2. 2) quid & quodplex jus sit §. 3. ad fin.

§. 2.

Quod ad belli definitionem attinet, ante omnia tenendum illud bifariam accipi, vel 1) pro ipso hostium certamine, vel 2) pro statu hostii .e. g. Quando bellũ Marathonium describunt historici, intelligũt ipsũ illud memorabile certamen vel proelium, quo Miltiades maximum Darii exercitum confecit. Si vero dico bellum de successione Hispanica, non intelligo sola proelia in Italia, Hisp. Ger. & Belgio facta, sed statum statum hostilem, qui sex annos

annos duravit inter Gallos & Imperia vicina confederata.

Jam si quæro, quid sit bellum priore sensu acceptum? definitionem suppeditabit Cicero. *Bellum est certatio per vim.* Si de posteriore sensu quæstio est, definitio Grotiana obtinet: *Bellum est status per vim certantium.* Unde & bellum inter paucos, immo inter duos esse potest, idque auctor illustrat vocabulo Latino & Græco. Latinis olim bellum dictum est *duellum*, quia duo ad minimum certant per vim: Græcis πόλεμος a πολλός multus, quia multi inter se digladiantur. Ex quo collogit auctor, quamvis usu obtinuerit, ut bellum hodie vocemus statum, quo duo vel pauci inter se certant, seu quo iusti exercitus inter se concurrunt, tamen re ipsa perinde esse sive multi sive pauci certent.

Hæc Grotius noster. Sed quamvis ea omnia facile admittamus, dici tamen non potest, definitiones vel Ciceronis vel Grotii iustas & accuratas esse. Nam 1) ante omnia distinguendi sunt status, naturalis & civilis. In statu civili qui communi magistratui subsunt, illi non possunt inter se per vim certare, sed iudicium implorare auxilium. Qui vero in statu naturali vivunt, iis per vim certandi jus est, adeoque hi soli gerunt bellum: quis enim dixerit cives Franequeranos inter se bellum gerere, si quando iis furor arma ministrat? Rixæ hæc sunt & jurgia vel singularia certamina a magistratu punienda, non bella. 2) Si vera est definitio utraque, etiam ii qui ludos

dos equestres instituunt, quos veteres *romani* vel *corniers* vocant, bellum gerunt, quia & ipsi per vim certant: quod tamen nemo dixerit, quum non sint in statu hostili, sed virtutis exercendæ causa concurrant.

Quum itaque definitio suo definito paulo latior sit, ea ita erit emendanda: *Bellum est status hominum vel societatum liberarum, (id est, in statu naturali viventium) de jure controverso per vim certantium.*

§. 3.

Sequitur jam altera pars capituli de jure, ubi quaritur:

- 1) Quotupliciter jus accipitur? §. 3. 8.
- 2) Quotplex sit? §. 9. ad fin.

Jus accipitur vel pro jussu, vel pro attributo personæ. Primo sensu jus generatim vocatur quod justum est, vel quod non est injustum, id est, quod leges permittunt. Et hoc sensu *ULPIANUS in l. 1. pr. ff. de J. & J.* dixit *jus a justitia defendere, non grammaticè, (nam ita, ut supra monuimus, a jussu dicitur) sed moraliter, quia jus est, quod justum est.*

Quumque supra probatum sit, homines socialiter vivere debere, & hunc esse universi juris fontem: sequitur ut id demum jus vocetur, quod naturæ societatis ratione utentium non repugnat, quod variis exemplis illustrat ipse *Grotius*. Sic jus est, neminem alteri detrahere, jus non est, alterum alteri insidiari, furari, occidere, falsum testimonium dicere, quia hæc omnia naturæ repugant.

Hæc

§. 2. Hæc prima est vocis acceptio, quando jus dicitur pro lege. Et tunc jus dividitur in rectorium & æquatorium.

Rectorium est, quod intercedit inter inæquales, id est, superiores & inferiores, e. g. Deum hominesque, inter patrem & liberos, imperantem & subditos.

Æquatorium, quod intercedit inter æquales, e. g. foederatos, resp. vicinas, fratres, concives.

Effectus utriusque juris sunt diversissimi. Nam rectorium non habet mutuas præstationes e. g. princeps jure exigit tributa a subditis, sed non subditi a principe. Pater jure castigat liberos, sed non liberi patrem. Contra jus æquatorium exigit præstationes mutuas & reciprocas. e. g. foederatus alteri debet auxilium, civis civi officia humanitatis ex utraque parte.

§. 4.

Altera vocabuli juris acceptio est, quando sumitur pro attributo personæ, & tunc est qualitas moralis personæ competens, ad aliquid juste habendum vel agendum, e. g. jus huic personæ est piscandi, venandi, navigandi, cet. Hic jus non pro lege, sed pro qualitate quadam personæ, non physica, (quia in natura hominis nihil mutatur,) sed moralis.

Et ita acceptum jus JCrus dividitur in jus in re & ad rem. Jus in re est facultas hominis in rem competens, sine respectu ad certam personam, e. g. dominium, servitus, pignus, hereditas.

Jus ad rem est facultas competens personæ

fontē in personam, ut hæc aliquid face-
re vel dare teneatur, e. g. jus ex contra-
ctu vel delicto natum, quod & obligatio
dicitur.

Illud dat actionem adversus quemcum-
que possessorem, quia ipsa res mihi ob-
stricta est: hoc tantum adversus eum,
quocum mihi negotium intercessit, quia
persona mihi obligata est.

Hoc jus, quod pro attributo personæ
accipitur, Grotius denuo dividit in facult-
tatem & aptitudinem: vel quod perinde
est, in jus perfectum & imperfectum, de
eoque agitur §. seq.

§. 5.

Facultas seu jus perfectum est jus, quod
ex legibus nascitur, eoque pertinent om-
nia jura in re, ut Dominium, hereditas,
pignus, servitus; & omnia jura ad rem,
uti obligationes ex contractibus, delictis
& diversis causarum figuris.

Aptitudo autem est jus, quod ex virtute
ex honesto & decore nascitur, ut liberalitas
erga pauperes, officia humanitatis cet.

§. 6.

Facultas iterum dividitur in vulgarem,
& eminentem. Illa competit privato cui-
vis, hæc summo imperanti. Sic domino
est jus in re sua; sed dominium eminent
penes imperantem. Patri est jus in filium,
sed eminent potestas apud summum impe-
rantem. Sed hic notandum

1) Illud jus eminent magis imperium
esse, quam dominium aut patri potestatem
cet.

2) Il-

2) Illud locum non habere nisi 1) in casu extremæ necessitatis, & 2) in poenam ob satisfactionem reip.

3) Si ob necessitatem hujusmodi jus exerceatur, reliquos cives teneri ad indemnitate præstandam. Unde Juri hic concedunt actionem utilem ex L. Rhodia de jactu. Elegans exemplum de civitate Imperiali Svevica, quæ cæsis ad Hochsterum Gallicis & incendium minantibus menstruum tributum pro tota Svevia solvere fuerat coacta, & adversus reliquas civitates instituebatur actionem utilem ex L. Rhodia de jactu, & victoriam reportabat.

§. 7.

Hactenus de jure perfecto vel facultate: sequitur aptitudo vel jus imperfectum, quod Aristoteles dignitatem vocat. Per illud intelligimus jus ex sola honestate vel virtute natum, quod nullam producit actionem.

Rationes jam reddimus. Nam 1) nec virtus potest cogi, nec 2) subjectum aliquod determinatum hic adest, quod hujusmodi officia solum debeat.

Jam id addimus, ex aptitudine fieri posse facultatem, ex officio imperfecto perfectam, 1) in extrema necessitate, & 2) si princeps vel imperans lege lata, & poena proposita hoc officium inculcet. e. gr. Nemo cogitur ex fonte suo etiam pati haurire aquam: sed cogi potest, si urbs obsessa alium fontem non habeat. Non cogitur quis dare pauperibus, & famelicis panem: sed si princeps poenali edicto id
ju-

subeat, cogitur: quia jam obligatio non ex sola virtute, sed ex lege est.

S. 8.

Ex hac distinctione juris in perf. & im-^{n. 1.} perfectum nova nascitur distinctio justitiæ in explettricem & attributricem: illa suum cuique tribuit, quod jure perfecto debetur; hæc, quod jure imperfecto.

Ut autem, cur Grotius hanc distinctionem invenerit, pateat: sciendum est, Aristotelem jam justitiam distinxisse in *συμβαλλετικήν* seu *commutativam*, & *διανεμητικήν* seu *distributivam*, quam distinctionem JOCI in omnibus compendiis repetunt. Sed Grotio hæc distinctio non satis accurata visa est, atque hinc novam & meliorem substituit, in explettricem & attributricem.

Videbimus itaque, 1) quomodo Aristoteles hanc distinctionem explicet. ^{n. 2.}

2) Quomodo alii doctores illam emendare conentur.

3) Quid in illa desiderandum sit.

1) Aristoteles ait justitiam commutativam servare proportionem arithmetica, eamque locum habere in contractibus: distributivam contra servare proportionem geometricam, eamque locum habere in præmiis & poenis.

Proportio autem arithmetica servari dicitur, quoties ad rem ipsam respicitur, non ad personæ dignitatem & merita: e. g. pistor panem eodem pretio vendit & nobili & ple.

& plebejo. Proportio autem geometrica, quando non respicitur ad solam rem, sed ad personæ dignitatem & merita, e. gr. princeps in distribuendis officiis inter duos cives ambientes munus jure præfert doctum indocto, bene de rep. meritum ei, qui nullo sibi merito temp. obstrinxit.

2) Ita Aristoteles. Quia autem hæc non usque quaque recte se habent: ideo alii, nempe HORNBJUS Prof. Helmst. *Erbæ. lib. 3. cap. 11. §. 24.* rem paullo aliter explicat, & Justitiam commutativam versari dicit circa res singulorum, contra distributivam circa res communes. E. g. ærarium est commune. Ex eo non singuli concives, milites, ministri idem accipiunt salarium, sed pro sua quisque dignitate & merito: itaque in eo servatur proportio geometrica, id est, justitia distributiva. Contra panis est res propria pistoris, in eo vendendo non servatur alia proportio quam arithmetica, adeoque justitia commutativa.

3) Sed queritur, quid in his omnibus desideretur? Resp. 1) Vocabula rem non satis exprimunt, nam *συναλλακτικὴ* dicitur a *συναλλάγματος*, a contractu: quum tamen etiam in restitutione damni dati locus habeat, ubi nullus contractus præcessit. Hinc Grotius rectius dixit justitiam esse, vel explictricem, vel attributricem.

2) Definitiones quoque falsæ sunt: nam falsum est in solis contractibus servari proportionem arithmetica; siquidem jam vidimus eam locum habere etiam in restitutione damni. Falsum etiam, in solis delictis

his & præmiis locum habere geometri-
cam, siquidem & in testamentis, legatis
cet. locum habet.

3) Falsum est, commutativam versari
in rebus tantum propriis, nam & respubli-
ca debitorum non plus ex communi ærario
solvit creditoribus, quam debet; falsum
quoque distributivam versari tantum in re-
bus communibus, nam & testator de suo
legat cuicque, quantum mereri videtur.

Quum itaque hæc Aristotelis doctrina
falsa sit, præclare Grotius eam emendavit
dixitque justitiam vel explettricem esse vel
attributricem, & illam cuicque tribuere,
quod ipsi debetur jure perfecto, hanc,
quod jure imperfecto.

§. 9.

Hactenus prior pars, articulus de juris
diversa acceptione, sequitur alter de divi-
sione juris.

Dividitur autem jus in naturale & vo-
luntarium, de naturali agitur §. 9. 12. de
voluntario §. 13. fin.

Divisio hæc pertinet ad jus pro lege ac-
ceptum. Hinc queritur quid sit lex?

Resp. Grotius legem esse regulam actuum
moralium, obligantem ad id quod rectum
est.

Dicitur itaque lex *regula*, quia ad eam
actiones componimus, *actuum moralium*,
vel humanorum, id est, qui ab intellectu
& voluntate pendent, quia actionibus na-
turalibus leges non præscribuntur, *obligans*
ad id quod rectum est.

Sed

Sed quaeritur hic 1) an haec definitio recte se habeat?
2) An & lex permissiva sit lex?

1) Ad prius respondemus, non adeo accuratam esse legis definitionem, ob verba postrema: *obligans ad id quod rectum est*. Ita enim sequitur, ut aliquid sit rectum ante legem: quod absurdum, quia nisi lex esset, nec rectum aliquid esset, nec pravam. Sed non aliter potuit Grotius definire, immerfus scholastico praedicio, quod aliquid sit justum ante legem, adeo ut jus naturae futurum sit, etiamsi non esset Deus, uti vidimus *Protog.* §. 11. Hinc dicimus, legem esse *regulam actuum moralium a superiore praescriptam subditis & obligantem ad id, ut actiones secundum hanc legem instituant*. Non enim lex obligat ad id quod rectum est, sed ideo aliquid rectum est, quod lex ad id obligat.

2) Qu. an lex permissiva sit lex. e. g. *Studiosis gladiis incedere licet*? Resp. Grotius, non videri, quia proprie non obligat? Sed recte se ipsum deserit: lege enim permissiva obligantur omnes cives, ne alterum in exercitio juris sui turbent. Ita etiam de privilegiis recte dicitur, quod sint leges, non quidem privilegiatos obligantes, sed alios, ne illos in exercitio privilegii sui turbent.

Jam itaque ad ipsam divisionem juris progreditur auctor. Jus vel naturale est, vel voluntarium: illud Hebraei vocant Mizuoth, hoc Chikkim; illud jus, hoc pracepta.

Jus naturale est, quod ex ipsa recta ratione fluit, e. g. ne occidito: voluntarium, quod ex sola legislatoris voluntate, e. g. ne comede carnem suillam. n. 1. 2.

Hujus ratio itaque est honestas ac turpitudine naturalis. Et hinc hoc jus est necessarium, quatenus Deus nihil velle potest turpe, nihil quod recte rationi repugnet. E. g. Si lex vetat homicidium, ejus legis nexus tam manifestus est cum natura rationali, ut unusquisque, cui sana ratio est, facile intelligat, id vetitum esse. Qui enim non vult, ut alteri sit libertas se occidendi, is nec sibi eam licentiam debet arrogare. Ast, quod non licet ducere fratris filiam, quod Deus vetat Lev. 18. & quod non liceat merces inferre provincie sine vectigali, quod imperantes constituunt: ejus rei ratio naturalis nulla est. Illud itaque jus est naturale, hoc voluntarium.

Queritur, quotuplex sit jus naturale? respondet auctor, quaedam juris naturae esse proprie, quaedam minus proprie. Sed rectius dixeris, quaedam esse juris naturae permissivi, quaedam preceptivi. n. 3.

1) Juris naturae permissivi sunt, quae recta ratio nec praecipit nec vetat, e. g. pacta facere, bellum gerere, testamentum condere.

2) Juris naturae preceptivi, quae vel praecipit sana ratio, vel vetat, e. g. pacta servare, bellum injustum non gerere, testamento nemini jus suum auferre.

Hac jura permissiva & preceptiva maxime inter se discrepant. Illa enim producant

ducunt tantum impunitatem, hæc poenam vel præmia. Illa obligant non eum, cui quid permittitur, sed alios, ne illum impediunt, hæc obligant omnes. In illis aliquid licet summis Imperantibus, e. g. ut pacta nuda non valeant, sed certis ritibus inita, ut testari non liceat de bonis immobilibus, feudalibus, cet. sed nihil licet in his. Nam nullus imperans potest prohibere, ut pacta plane nulla valeant, ut possit alicui jus suum auferri.

n. 4. Novam divisionem reperimus n. 4. Quod jus naturæ versetur vel circa actus, qui citra humanam voluntatem consequuntur. Sed quum hæc paullo obscuriora sint, dici potest, jus naturæ esse vel *absolutum*, vel *hypotheticum*.

Absolutum est, quod nihil ponit ad obligationis effectum, quam aliquem esse hominem, e. g. neminem læde, damnum datum refunde cet.

Hypotheticum, quod supponit certa instituta humana, hisque non introductis non valeret. Sic e. g. furtum non esset jure naturæ prohibitum, nisi introductum ab hominibus esset dominium.

Talia instituta humana, uti ex Pufendorfio meminimus, sunt quatuor, sermo, dominium, rerum pretium, vel civitas.

Ceterum probe observanda est divisio, partim, quia ejus neglectus viros maximos in errorem induxit, e. g. Salmasium, qui negavit, furtum repugnare juri naturæ, partim, quia & natura & effectu hæc jura quam maxime differunt. Nam

1) Ab-

1) Absoluta sunt pura , hypothetica conditionata. Pacta serva, pura est propositio, adeoque semper & omnes obligat. Ne furare, est propositio in se conditionata, si dominium introductum. Nam eo non introducto cessat lex. Sic e. g. nec Adamus nec Eva inter se furtum committere potuerunt.

2) Jura absoluta ab initio mundi valuerunt: hypothetica non. E. g. Neminem lædite & protoplastis dictum, iis vero dici non potuit: parete imperantibus, quia tunc nulla adhuc erat resp.

Post divisionem auctor agit de attributo n. 5. 6. juris naturæ primario, quod sit immutabile. Id probatur ex duplici ejus fonte. Alter est DEI voluntas, atqui quum in DEO nihil sit mutabile, nec ejus voluntas mutari potest. Alter fons est recta ratio, quum vero impossibile sit, ut quod semel rectæ rationi convenit, eidem repugnet, impossibile quoque est, juris hodie naturæ aliquid esse, quod cras ei repugnet.

Objici posset, Deum esse omnipotentem, adeoque posse eum & jus naturæ mutare. Sed resp. Omnipotentia est facultas DEI infinita faciendi, quod vult. Ergo quod non vult non potest. Hinc non potest mentiri, uti ait scriptura, quia non vult. Non potest facere, ut bis duo sint sex, quia non vult, non potest mutare jus naturæ quod non vult. Non vult autem, quia nihil absurdum vult.

Objici posset 2) nonnunquam tamen Deum mutasse jus naturæ, e. g. jubentem

ut Israelitæ vasa auferrent ab Ægyptiis, ut Abrahamus mactaret filium: sed resp. 1) non jus mutatum esse sed rem. Nam non Deus jubebat furari, sed auferre, quod jam Israelitis debebatur: non jubebat Abrahamum occidere filium, sed tentabat, an occisurus sit. 2) Furtum est, si homo homini quid aufert, non si Deus homini: homicidium est, si homo homini vitam aufert, non si Deus homini.

n. 7.

Accedit adhuc monitum. Quædam non simpliciter juris naturæ esse, sed pro certo rerum statu, quamvis non sint officia hypothetica. Et talia sunt omnia præcepta affirmativa, quæ tantum obligant data occasione, vel positis circumstantiis habilibus. e. g. Cole Deum cultu externo, puta si id fieri potest. Hinc non obligabantur eo præcepto Judæi obsessæ urbe, cet. Homi- nibus aliis inservi, si occasio sit. Hinc vitio verti non potest medico, quod neminem sanet, si desint ægroti.

Ex quo etiam sequitur, ut omnia hæc præcepta cedant necessitati. e. g. nemo pauperi dare tenetur id, quo ipso indiget, nemo alium servare tenetur, quum ipse sit in periculo.

§. II.

n. 1.

Hactenus actum de jure naturæ: jam querit, an discrimen quod in legibus nostris inter jus naturæ & gentium occurrat, recte se habeat?

Definit Ulpianus jus naturæ, quod natura omnia animalia docuit: jus gentium, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit.

Quid Bellum? Quid Jus? 67

nis. Juste enim vivere, Stoicis erat secundum naturam vivere. Natura vel communis erat hominibus & brutis, vel illis propria. Ergo & jus vel utrisque commune erat, vel proprium, illud naturale, hoc gentium jus vocabant. l. 1. §. 3. 46 ff. de just. & jur. Quæritur, itaque, an hæc doctrina recte se habeat?

Negat Grotius 1) quod bruta non possunt obligari. Obligatio enim supponit rationem, vel intellectum & voluntatem liberam. Utraque brutis deest.

2) Quod bruta omnia agunt ex impetu instinctuque naturali, sine ratione & conscientia, uti jam supra ad Prolegom. §. 7. docuimus.

Objici potest. Ast & brutis quædam tribuitur justitia & injustitia. Multas historetiolas hujus generis narrat Aristoteles, Plinius & Ælianus, veluti quod canes grati fuerint adversus dominos, quod aspis catulum suum, qui hospitem interemerat, nocaverit, quod equus noluerit coire cum equa, ex se nata, cetera. Sed 1) istæ narratiunculæ fabulam sapiunt. 2) Si quid hujusmodi factum, id ex impetu, non ex proposito aliquo aut obligatione legis factum.

§. 12.

Quum itaque hætenus, quid jus naturæ sit, fuerit explicatum: quærit, quomodo probetur, aliquid juris naturæ esse? Respondet, vel a priori, vel a posteriori.

A priori per rectam rationem: si conveniat aliquid naturæ hominis rationali, &

D. 2 socia-

sociali: e. g. si probo neminem lædendum, quia alias homo cum homine in societate vivere nequeat.

A posteriore per inductionem, si plures gentes hujusmodi jus loquuntur sint. Posterius hoc inde probat 1) quia universalis effectus requirat universalem causam, talis autem nulla excogitari possit alia, quam sensus communis. Hinc multas adducit sententias veterum, quæ idem inculcant. Sed primo falsam esse hanc illationem, jam in prolegomenis demonstravimus exemplo idololatriæ, & πολυθεότητος.

Deinde falsum quoque est, consensus istius causam non aliam excogitari posse, quam sensum communem. Vera enim causa, uti ipse GROTIUS in libello, *de veritate religionis Christiana* falsus, est traditio, quia gens a gente mores adsumsit. Sicc. g. clarissimum est, nullam esse causam naturalem, cur septem dies numerentur in hebdomade, quum æque facile cyclum octo, novem vel decem dierum servare potuissent: itaque per traditionem id ad omnes gentes manavit. Ita etiam quod homines numerant usque ad decem, quum & ad quatuor numerare potuissent, nullam habet rationem naturalem, causa enim quod decem sint digiti, quam ARISTOTELIS allegat, admodum diluta est. Est itaque traditio. Et sic in reliquis res habet.

Unde sane sequitur, non esse alium genuinum jus naturæ probandi modum, quam a priori, ex recta ratione.

§. 13.

Hactenus actum de jure naturali: jam sequitur voluntarium, idque Grotius noster in *humanum & divinum* recte dispescit. Humanum a voluntate humana; divinum a divina proficiscitur. e. g. Humanum jus voluntarium est: Qui furtum fecerit, suspendio adficitur, nulla enim est ratio naturalis, cur præcise fur suffocandus & non alia poena adficiendus sit.

Divinum a voluntate divina est: e. g. Qui sanguinem humanum fuderit, ejus sanguis fundatur.

§. 14.

Humanum denuo dividit Auctor in *jus n. i. civile*, sive arctius patens, & *jus gentium*, sive latius patens. Illud singulæ gentes sibi ipsæ constituunt, vel nomine gentium suprema majestas. Hoc vel omnibus vel multis gentibus commune est. Addit multis gentibus. Vix enim præter jus naturæ ullum jus commune omnibus gentibus esse fatetur.

Sed multipliciter hic labitur auctor, ut a Pufendorffio, Zieglero, aliisque observatum est. Nam

1) Falsum est, jus gentium esse voluntarium: si enim voluntarium est, aut a Deo est, aut ab hominibus; si a Deo, falsum est, illud non omnibus esse commune; si ab hominibus, est mutabile, & singulæ gentes illud possunt abrogare.

2) Falsum est, jus gentium esse, quod apud multas gentes receptum. Nam ita & juris gentium erit, quod pileum detrahimus salutantes, quod absurdum.

D 3 3) Fal-

3) Falsum est, esse humanum. Nemo enim hominum potuit gentibus leges præscribere. Nec gentes unquam pacto huiusmodi quid statuerunt.

Ut itaque error pateat, observandum est, jus gentium diversimode accipi.

1) Pro attributo diversarum gentium, seu facultate morali, per quam gentes aliquid licite agunt, & tunc jus gentium ex ipso jure naturæ est. e. g. jus bella gerendi, mittendi legatos. cetera.

2) Pro moribus plurium gentium, e. g. quod olim omnes captivi in servitutem detruderentur, quod bella declarentur solemniter. Hoc jus plane arbitrarium est, & a singulis abrogatur gentibus, immo vix jus dici potest.

3) Pro jure civili, a multis gentibus recepto, ut hodie jus Romanum ubique viget. Hoc improprie dicitur jus gentium, quia vere & proprie civile est.

4) Pro jure quodam omnes gentes obligante, necessario & perpetuo. Et hoc negamus differre a jure naturæ, nisi sola applicatione. Hinc a) quum Grotius dicat, hoc jus esse voluntarium, nobis est naturale, b) quum Grotius illud dicat multis gentibus commune, nobis illud omnibus commune est. c) Quum Grotius sit jus humanum, nobis illud divinum est.

B. 2.

Unde nec admittimus probandi modum, quem commendat Grotius. Nam quum jus G. sit ipsum jus naturale: non aliter probari potest, quam a priori, ex ipsa ratione naturali.

§. 15.

Progreditur auctor ad jus divinum voluntarium. Id ex solo DEI arbitrio vel voluntate liberrima descendit, cujusque nulla alia reddi potest ratio. e. g. gradus in matrimonio prohibiti.

Illud A. dividit in universale, & particulare. Universale omnes homines obligat, particulare populū unum, veluti Judaicum.

Universale aliqui negant reperiri, uti Thomafius, & quidem 1) quia nullus excogitari possit modus promulgandi. 2) Quia justitia DEI non ferat, ut quis puniatur, cui lex non publicata sit.

Sed prævidit hanc objectionem Grotius, dixitque omnino esse modum promulgandi. Nam ter esse jus universale promulgatum a DEO 1) per Adamum, quod vero Adamo dictum, id universis dictum esse, 2) per Noachum post diluvium, ejus familia denuo genus humanum universum representavit, & 3) per Christum. Sed quamvis hæc omnia concedantur, tamen non concipi potest, quomodo promulgatae sint leges de gradibus prohibitis, a Mose quippe præscriptæ. Enimvero, quamvis postremum fateamur, de prioribus tamen promulgationibus nihil constat: adeoque tutissimū erit dicere, leges illas non fuisse universales antequam Christus illas universo orbi publicavit.

§. 16.

Jam de voluntario particulari, quod datum Hebræis. Iis leges dedit Deus partim criminales, partim forenses, quæ solos Judæos obligabant. Id probatur

D 4 1) Ex

1) Ex locis a Grotio allegatis Deut. IV. 7.
Pf. CXLVII.

2) Ex ratione typica. Ritus enim Judaici erant typus Christi exhibendi, adeoque non pertinebant ad gentiles, quibus illa promissio ignota erat.

3) Ex ratione legum civilium. Lex forensis erat lex civilis. Lex civilis non obligat, nisi ipsam civitatem.

n. 2.

Quærit autem Grotius:

1) An & alienigenæ ad Judaïsmum transeuntes legibus his obligati? n. 2. 7.

2) An & nos teneamur? n. 8.

3) Qualem usum hæc leges præstare possint? §. 17.

1) Alienigenas ad Judaïsmum transeuntes non obligatos fuisse legibus cærimonialibus, probat inde,

a) Quia iis lex non promulgata, sed Israel: *Audi Israel*. Sed objici potest 1) etiam decalogo hæc verba præmissa: *Audi Israel*. 2) Promulgatas quidem has leges non fuisse gentibus, sed tamen iis, qui ad Judaïsmum transferint.

n. 3.

b) Quia & inter Judæos vixerint circumcisi pii & timentes dominum. Eoque refert exempla Syrophænissæ, Cornelii, Græcorum.

n. 4.

c) Quia & extraneis licebat adorare in templo.

d) Quia nec Elisæus Naamano, nec Jonas Ninivitis leges has imperavit.

n. 5.

e) Quia lege circumcisionis soli Abrahami posteri tenebantur. Unde & conjecturam profert, gentes circumcisas, quarum

rum meminit HERODOTUS, ab Abrahamo ex Cethura descendere. Quamvis autem verum sit, solos Abrahami posteros obligatos esse circumcisione, falsum tamen est, gentiles circumcisos. ab Abrahamo descendere. Ægyptios enim a Chamo Noachi filio descendere ex ipsa S. S. constat. MARSHAMUS igitur in *canone Chronol.* & SPENCERUS in libro erudito de *LL. ritualibus Hebr.* existimant, Judæos circumcisionem ab Ægyptiis didicisse: sed id falsum esse docuit cl. WITSIUS in *Ægyptiacis*. Tutissime itaque dixeris, Ægyptios imitatos esse Hebræos inter se viventes, eosque circumcisione non usos tanquam signo & sigillo fœderis, sed tanquam curatione physica, quemadmodum etiamnum Æthiopes, qui Abissini vocantur, circumciduntur, quum tamen sint Christiani. Qua de re erudite egit JOB. LUDOLFFUS in *Historia Æthiopica*.

f) Quia gentibus data sit lex naturalis n. 6.
tantum, id quod probat ex Rom. II. 14. Vbi non obscure prodit sententiam suam, quod gentiles & per legem juris naturæ Deum propitium habere potuerint, quod veteres patres statuerunt, CLEMENS ALEX. ORIGENES & JUSTINUS MARTYR. Sed hanc opinionem jure rejiciunt theologi: quum extra christum nulla sit salus, nec lex naturæ ulli mortalium ostendat mediam propitiandi Deum. Lex ergo naturalis data est gentilibus, non tamen, ut per illam justi fierent, sed ut ea servata lumine augustiore digni haberentur.

Quum itaque hæc argumenta pro parte n. 7.

vix admittenda sunt: an recte inde intulit Grotius, gentiles alienigenas obligatos non esse lege Judæorum particulari?

Resp. Distinguendum esse 1) inter profelytos justitiæ, & profelytos quos peregrinos vocabant. Illi in Judæorum numerum recipiebantur, & hinc opuserat circumcissione & impletione legum omnium. Hi tantum baptismo initiati satisfecisse credebantur, si fervarent septem præcepta Noachi.

2) Distinguo inter leges cæremoniales & forenses. Illis non nisi profelyti justitiæ tenebantur: his, quicumque in civitate vivere vellent cum Israelitis.

n. 8.

II. Quum itaque certum sit, profelytos non omnes legibus Jud. fuisse obligatos: quæstio altera nascitur, an nos Christiani teneamur? Haud obscure id negat Grotius. Dicit enim Christum non tam nos a lege Mosaica liberasse, quam sepimentum sustulisse, ut Judæi & gentes in unam ecclesiam coalescerent. Sed omnino nos liberatos esse ab hoc jugo, patet inde 1) quia quoad cæremoniale cessat ratio legis typica. Cessante ratione legis cessat lex. 2) Quia Paulus in tota epistola ad Galatas graviter disputat adversus illos, qui circumcissionem aliasque cæremonias etiam Christianis obrufas vellent. 3) Quia, quoad legem forenses, certum est, illam esse tantum civilem, qua non tenetur, nisi civitas, quæ sibi hanc legem tulit.

§. 17.

n. 1.

Reliqua est 3. quæstio: Quem usum leges istæ

isto Judaicæ habere etiamnum possint? Eam enim planè inutilem esse, credere vix licet. Grotius itaque triplicem adsignat usum.

1) Primum, quod ea, quæ illa lege n. 2. præcipiuntur, non sint injusta. Deus enim non potest sibi esse contrarius, adeoque lege voluntaria quid statuere contra legem naturalem. Sed tamen distinguit inter leges præceptivas & permissivas, & de illis solum intelligendum monet, quod scripserit. Nam e. g. Judæis permissa erat polygamia, permissum divortium ob quamcumque causam: quod tamen non ideo justum arbitramur.

Sed nec hæc Grotii distinctio rem conficit. Nam addenda erat altera inter leges cærimoniales & forenses. Illæ justæ erant, nec repugnabant jurî N. pro statu & conditione illorum temporum: repugnant autem hodie.

2) Alterum in eo consistere putat Grotius n. 3., quod & inter Christianos possint similes ferri leges. Sed recte excipit leges cærimoniales. Nam illæ hodie rationi repugnarent, Christo jam exhibitæ. Adeoque non ferenda esset hodie lex, quæ injungeret circumcissionem, sacrificia, cet.

3) Virtutes Judæis præceptas nos Christianos eo magis obligare, 1) quia promissiones nobis majores factæ, 2) quia nobis vires gratiæ majores sunt. Sed quamvis hæc recte se habeant: Distinguendum tamen inter virtutes morales & civiles. De moralibus nemo dubitat: ast quod Grotius in hunc censum etiam refert decimas

facerdotibus dandas, id indicio est, Gro-
tium etiam ad leges forenses & crimina-
les respexisse.

C A P U T II.

An bellare unquam justum sit?

EXpenso generatim titulo, propositif-
que iis, quæ generatim ad defini-
tiones belli & juris pertinent, sequitur
jam altera quæstio: An bellare unquam
justum sit? Hæc ita tractat auctor, ut

- 1) Probet bella geri posse, §. 1. 6.
- 2) Argumenta adversariorum refellun-
tur §. 7. ad fin.

§. 1.

Quæstio ipsa est, an bellare unquam ju-
stum sit? Ea enim nisi expediatur, frustra
disputabitur de jure belli. Quemadmodum
frustra quis disputaret de jure furti, quum
ipsum furtum injustum sit. Et sane quum
plerumque bellum cum cladibus innocen-
tium, cum furtis, rapinis aliisque conjun-
ctum sit delictis: facile quis existimare pos-
set, omne bellum juri repugnare, idque plu-
res statuerunt, veluti Anabaptistæ, Menno-
nistæ quidem, e Socinianis Christophorus
Ostorodus & alii, contra quos auctor con-
trarium demonstrat ex jure naturæ §. 1. ex
historia §. 2. ex consensu & jure gentium
§. 3. 4. Ex jure divino voluntario §. 5. 6.

n. 1.

Quod ad jus naturæ attinet, prima ar-
gumentatio Grotii hæc est:

Quæ

An bellare unquam iustum sit? 79

Quæ congruunt & primis naturæ & post cognitæ, illa sunt juris naturæ.

Bellum illis primis naturæ congruit, E. est juris N.

Quæritur itaque 1) quid sint prima naturæ, (*τοῦτα τῆς φύσεως?*) quid post cognitæ? Respondemus, esse prima naturæ propositiones quasdam practicas, quarum veritatem humana ratio statim agnoscit, simul ac ratiocinari incipit, quæque adeo non ab aliis nobis inculcandæ sunt, sed sponte incidunt. Unde eleganter Cic. in *Orat. pro Milone*: *Est hæc non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum e natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* Perinde enim est, ac si diceret, esse quædam *prima natura*. Rationem vero, cur istæ propositiones, quæ prima naturæ vocant philosophi, statim nobis innotescant, hanc adsignat CICERO *lib. 5. de finib. cap. 6. quod ipsa per se inveniunt ac alligant appetitum animi.* E. g. ut incolumitatem nostram velimus, & conservacionem omnium partium, ut abhorreamus a dolore, & quæ sunt hujus generis alia. In hæc enim omnia & sine ratiocinatione, ita fertur appetitus noster, ut nihil antiquius nobis sit illa nostrum conservacione. Elegans locus SENECE *Epist. 121.*

Unde facile patet, quid sint *post cognitæ*, quæ Cicero a *primis natura* distinguit. Ea enim sunt conclusiones de virtute, vitiis, de honesto & utilitate vera, quæ ex veris
primis

principiis per ratiocinationem eliciuntur. Hæc non sunt prima naturæ. Nituntur enim hujusmodi fundamentis, in quæ non fertur appetitus humanus. e. g. quod virtus sit præferenda utilitati propriæ, quod voluptates sint fugiendæ. Has enim propositiones non omnes homines veras putant, natura adducti, & quod ex appetitui sui congruant, sed profundiore instituta meditatione de natura & beatitudine humanæ mentis.

n. 3. Quum itaque quid honestum sit, id ex post cognitum pateat: porro quæritur A. quotuplex sit honestum? & resp. id vel *stricte* vel *latius* accipi.

Honestum *stricte* dictum consistit in puncto, id est, ita comparatum est, ut si a lege vel minimum decedas, id degeneret in vitium.

Honestum *latius* dictum, quod admittit aliquam latitudinem.

Res illustrari potest similitudine e. g. inter lineam rectam & curvam nihil interest medium. Tam *stricte* enim accipitur rectitudo, ut si ab ea linea vel minimum deflectat, illa statim fiat curva. Ast album & nigrum admittunt aliquam latitudinem, e. g. si colori albo addas guttulam nigredinis vel atramenti, color quidem paullo minus albus est, sed non statim fit niger.

Eodem modo se res in honesto habet. Quædam tam *stricte* honesta sunt, ut si vel minime a lege deflectas, statim fiant inhonestæ, e. g. neminem lædere. Quædam aliquam admittunt latitudinem, e. g. moderamen

An bellare unquam iustum sit? § 1
ramen inculpatæ tutelæ. Nam si quis ad-
gressorem occidit, quem repellere poterat,
abscissa manu, non ideo statim poena di-
gnus est, vel contra iustitiam egit, quia
hic ad vivum omnia refecari nequeunt in
tanta animi perturbatione.

Hiscæ itaque præmissis, jam demonstrat
Auctor 1) bellum congruere primis na-
turæ. n. 4. 2) idem convenire post co-
gnitæ. n. 5. 6.

Quod congruat primis naturæ, inde de-
monstrat, 1) quod omne animal sui con-
servationem & defensionem intendit, &
appetitus eo maxime feratur. Id non so-
lum in hominibus deprehendimus, verum
etiam in ipsis brutis etiam tenerrimis. Quo
pertinet locus elegantissimus GALENI, a
Grotio hoc n. 4. allegatus.

2) Quod omne animal rationale & ir-
rationale facultate quadam sese conservandi
defendendique instruxit natura, vel Deus
potius, qui nihil frustra fecit. Hinc alia
cornu petunt, alia calcitrant, alia denti-
bus, alia unguibus, alia aculeis pro armis
utuntur: hominibus autem ingenium &
manus ad defensionem data. Quis itaque
neget, velle Deum, ut quisque se con-
servet ac defendat adversus omnem viam?
Quare inde argumentari licet:

Quod convenit appetitui sese conservan-
di defendendique, ab ipso Deo nobis
instito: id convenit primis naturæ:

Bellum huic appetitui sese conservandi
defendendique divinitus instito conve-
nit, congruit itaque primis naturæ,
adeo-

adeoque, quod inde consequitur, est juris naturæ.

5. 6. Jam porro Grotius demonstrat, bellum congruere post cognitum vel honestati: idque argumento societatis humanæ.

Societas humana in eo consistit, ut alter cum altero honeste & commode vivere, & jure suo perfrui possit. Quumque in prolegomenis §. 6. demonstratum sit, voluntati Dei ipsique naturæ humanæ consentaneum esse, hominem vivere socialiter: sequitur sane inde principium: *Quidquid societatem destruit, est contra jus naturæ, quidquid eandem conservat, est juris naturæ.*

Jam consideremus statum hominum, qualis futurus esset, si non liceret vim vi repellere. Tunc nemo suo jure tutus perfrueretur: tunc nec vitæ, nec bonorum ulla esset securitas: tunc vita piscium viveretur: major devoraret minorem.

Quia itaque sine hujusmodi defensione non consisteret societas: defensio autem, qua vim vi repellimus, nihil aliud est, quam bellum: hinc planum est alterum Grotii argumentum:

Vim vi repellere consentaneum est juris naturæ.

Vim vi repellere est bellum gerere.

Est E. bellum gerere consentaneum J. N.

§. 2.

1. Sic Grotius bellum geri posse demonstrat ex jure naturæ. Sequitur altera ejusdem demonstratio ex historia. Quamvis enim ex historia non jura, sed facta probari posse, supra

supra observatum fit: aliud tamen dicendum de eo casu, si ex historia sacra demonstrari potest, Deum bella non improbasse. Id vero probat.

1) Exemplo Abrahami, qui debellatis regibus quatuor benedictionem impetravit a Melchisedeço. Gen. XIV, 22. Ubi quidam obijciunt, Abrahamo tanquam privato jus belli gerendi non fuisse: sed alii addunt, illum non fuisse privatum, sed eum familia sua quasi singularem remp. constituisse: unde & foedere eum fecisse legitimus, quod non est privati: Saltem inde patet, bellum in se à Deo non improbari.

2) Exemplo Israelitarum, qui Amalecitas vim sibi inferentes profligarunt, Deo hoc factum probante. Exod. XVII.

3) Ex legibus, quibus Deus jura belli præscripsit. Deut. XX, 10; 15. quod in istis legibus de belli causis nihil sanxit. n. 2.

4) Quod Israelitæ Deo probante fines suos tuerentur sub Jephtha. Jud. XI. quod Davides bellum, Deo probante, gereret ob violatos legatos. 2. Sam. X.

5) Quod bellicæ actiones Hebr. XI, 33. 34. tribuantur fidei. Ex fide autem nihil nisi bonum proficisci potest.

6) Quod Davides præliatus est prælia Domini. 1. Sam. XXV, 28. Addi potest

7) Quod nec Jo. Baptista venientes milites, nec Christus accedentem ad se centurionem Capharnaiticum nuncium mittere militiæ jussit.

8) Quod & Cornelius centurio Deo placuit, quum militiæ adhuc yacaret. Quæ omnia

omnia locum non haberent, si bellum in se injustum esset.

§. 3.

B. I.

Tertium argumentum Grotius desumit ex consensu Gentium. Eumque consensum probat 1) ex testimoniis Ciceronis, Florentini, & Caji Jctorum, nec non Josephi historici Judæi.

2) Ex jure illo civili, quod & in quadrupedibus distinguit, inter vim quæ infert injuriam & quæ illatam propulsat. Vid. l. 1. §. 8. §. 11. ff. si paup. fecisse dii.

Sed hoc argumentum 1) non est necessarium, quia postquam semel probatum, bellum jure naturali & divino positivo licitum esse, parum ad rem facit consensus gentium. 2) Magis illustrat, quam probat, quia sæpe gentes in ea consenserunt, quæ non sunt justa, 3) non sufficiens. Ciceronis enim & duorum Jctorum testimonia bellum consensu omnium gentium probatum esse non evincunt. Nec 4) sequitur, ut bellum consensu gentium probatum sit, quia jus civile Rom. in quadrupedibus quoque distinguat, quæ alteram adgressa sit.

§. 4.

B. I. 2.

Jam ad jus gentium, quod duplex esse ait Grotius, divinum, & humanum voluntarium. Prius & nos agnoscimus, & illud non aliud est quam jus naturæ: posterius supra explosimus. Priori non repugnare bellum jam probavimus: Jam itaque videbimus, quomodo id de posteriore probet.

Nimirum bellum ipsum, inquit, juris natu-

natura esse, formam autem belli ex jure gentium. Nam gentes

1) Statuisse constat, quibus armis utendum sit. Hinc hodie bella non geruntur bestiis, veluti Elephantis, non utuntur gentes honestiores falcibus aliisque instrumentis, non sagittis venenatis, &c.

2) Jura quaedam introduxisse arbitraria, e. g. ne capti fiant servi, ne inconditis absque necessitate grassentur in terra hostili.

3) Bella distinguisse in sollemnia & minus sollemnia: Sollemne esse voluerunt, quod indicitur sollemniter. Hæc omnia quum non fluant præcise ex jure naturali, Grotius derivat ex jure Gentium, eoque refert omnia loca Ictorum, veluti *l. 5. ff. de I. & T.* ubi bella dicuntur ex jure gentium esse.

Sed nemo non videt, Grotium confundere jus gentium, & mores gentium. Illud ex lege est, hi ex arbitrio: illud obligatorium, hi minime. Omnia hæc moribus invaluerunt, quia cum humanitate conveniunt, sed non ideo contra jus G. peccant Russi & Turcæ, quod captivos in servitutem detrudunt, &c.

S. 5.

Jam Grotius magno cum apparatu sese accingit ad expendendam questionem: an & jure divino concessum sit bellum? Poterat hæc quæstio videri supervacua. Nam si probatum est, bellum esse iustum jure naturæ: non sane potest jure divino voluntario injustum esse, quum Deus velle non possit contraria.

Sed

Sed recte resp. Grotius, jam supra ostensum esse (lib. I. cap. I. §. 17. n. 2.) regulam hanc quidem valere in jure præceptivo, sed non in permissivo. Nimirum sunt quædam quæ jure N. permessa sunt, & tamen a Deo prohibentur lege positiva, e. g. jure naturæ potest quisque orare, ubicumque velit: sed jure divino orandum erat Hierosolymis. Jure naturæ licet ulcisci hostem: ast jure positivo Deus dicit: *Amate inimicos, benefacite osoribus vestris, precamini pro iis, qui vos ladunt, sic eritis filii patris cœlestis.* Matth. V, 44.

Quum itaque & bellum non sit juris divini præceptivi, sed permissivi: non sequitur, ut prohiberi non potuerit jure divino voluntario.

Sed nihilominus tamen demonstrat A. & jure divino voluntario bellum permitti, & ante omnia objectiones quasdam removet.

n. 2. Prima objectio desumi solet ex Genes. IX, 5. 6. Ex eo enim loco quidam colligunt, absolute prohiberi sanguinis humani effusionem: quumque bellum sine sanguinis effusione geri nequeat, etiam bellum prohiberi. Et quamvis eodem loco dicatur, qui sanguinem fuderit, ejus sanguis fundetur: respondent tamen, hic non adesse præceptum, sed comminationem, non velle Deum ut homicidæ interficiantur, sed prædicere, quid iis immineat. Sed respondet Grotius utrumque falsum esse.

1) Prohibere Deum effusionem sanguinis injustam, uti præcepto illo sexto: *Ne occi-*

An bellare unquam iustum sit? *Et*
occidito, non autem iustam, de qua hic
quæstio sit.

2) Non mirari tantum Deum, sed &
præcipere, ut sanguis homicidæ fundatur,
id enim Deum postea lege Mosaica cla-
rius ostendisse, quum iuberet homicidas
gladio feriri.

Sed denuo objiciunt, ex historia sacra
adparere, initio mundi conditi homicidium
non fuisse capitale, idque probant exem-
plo Caini, qui admissio parricidio tamen
a Deo non fuerit morti addictus.

Ut itaque Grotius hanc objectionem fun-
ditus tollat, totam historiam hujus supplicii
homicidarum explicat operose n. 3. 10.

Nimirum 1) supponit non injustum esse,
homicidam supplicio affici, ob jus talio-
nis, quo nihil est justius. n. 3.

2) Concedit quidem Deum Caino pe-
percisse, sed causam fuisse existimat 1)
hominum raritatem, 2) quia nondum tam
frequentia fuerint homicidia, ut exemplo
opus fuerit. Hinc & alias gentes quam-
plurimas homicidium non morte, sed mul-
ta punivisse. Cujus rei argumentum est
in LL. Alamannicis a LINDENBROGIO edi-
tis, ex quibus adparet, nullam gentem
origine Germanicam homicidis supplicium
capitale irrogasse.

3) Hoc factum Caini aliquamdiu in-
star exempli fuisse, & hinc primos mor-
tales existimasse non debere homicidas gla-
dio feriri. Quam in rem allegat exem-
plum Lamechi. Gen. IV, 24. n. 4.

4) Quum autem jam ante diluvium n. 5. 6. 7.
nascere-

nascerentur gigantes, genus hominum ferrox & improbum, quod omnes promiscue adgressum sit: Deum permisisse ut homicida & quilibet delinquens occideretur, idque probat exemplo Abrahami, Gen. XIV. Mosis, qui Amalecitas aggressus sit bello, Ex. XVII, 9.

n. 8. 9.

5) Denique Deum & leges tulisse de homicida plectendo, Lev. XVIII, 24. seqq. Num. XXXV, 31. 33.

n. 10.

6) Easque leges deinde imitatas esse gentes alias. Unde fere ubique locum habuerit supplicium capitale.

Inde ergo colligit Grotius, non absolute Deum prohibuisse effusionem sanguinis, sed secundum quid, nempe cædem injustam, adeoque hunc locum non applicari posse bello, quod justam causam supponat.

Sed sunt quædam in hac Grotii tractatione, quæ animadversionem merentur. Nam

1) Quod Caino pepercit Deus, non ob paucitatem hominum factum, sed quod pœna & supplicium supponunt magistratum civilem, qualis nondum erat Caini temporibus: nec antea lex erat lata de supplicio homicidæ.

2) Quod Grotius existimat, primos mortales non sumisse supplicium capitale, id non probari potest. Quam enim mundus antediluvianus steterit annis 1657. quumque tam longo temporis spatio variaz floruerint respublicæ: quis dubitet, quin & pœnae suppliciumque locum habuerint?

3) Ex

3) Ex Lamechi exemplo non constat; nullum tunc locum habuisse supplicium capitale. Nam Lamechus tantum minas spargit, ut ille medicus apud **COMINEUM** *Hist. Franc. lib. X.* qui Ludovico XI. Regi minabatur, illum post discessum suum non octo dies victurum.

§. 6.

Sequitur alterum argumentum contra bellum ex N. T. ubi

1) Præmittuntur quæstiones, an omnia præcepta in evangelio habeant naturalem rationem. n. 1. 2.

2) An Christus sit novus legislator. n. 3. 5.

Quod ad prius attinet: 1) succenset Grotius iis, qui in Evangelio præter articulos fidei & sacramenta quidquam contineri negant, existimatque eo etiam leges & præcepta proprie sic dicta contineri, c. g. Ama Deum, diligite vos invicem: novum hoc præceptum do vobis, ut vos invicem diligatis. 2) Deinde agnoscit quidem, nihil continere evangelium, quod adverteretur rectæ rationi: sed ideo non sequi docet, ut euangelium nihil ultra inculcet, quam quod ex ratione fluat.

Posterius Grotio facile unusquisque concedet. Multa enim docet Evangelium, ad quæ ratio non pertingit, c. g. fidem in Christum, beneficentiam adversus hostem, vitationem concupiscentiæ, de qua ipse Paullus: *Ignorassem concupiscentiam esse peccatum, nisi lex dixisset, non concupisces.*

Ast de priore thesi observandum: distinguen-

gnendum esse, utrum evangelium opponatur legi, ut Joann. I. *Lex per Moſen lata, gratia per Chriſtum facta*; an accipiatur pro libris novi teſtamenti, adeoque libris V. T. opponatur. Priori ſenſu evangelium nulla complectitur præcepta proprie ſie dicta, ſed eſt doctrina de gratia per Jeſum Chriſtum. Poſteriori agnoſci poteſt, multa in libris N. T. præcepta occurrere, a Chriſto repetita & explicata.

n. 4.

Majoris momenti eſt quæſtio altera: An Chriſtus ſit novus legiſlator? Adfirmant Romanenſes & Sociniani, quumque eandem ſententiam ex Arminianis plerique tueantur, non mirum eſt, Grotium quoque eaſdem inflare tibias.

Aſt negant Proteſtantes omnes Chriſtum non eſſe novum legiſlatorem, ſed ad officium ejus propheticum tantum pertinuiſſe, ut leges interpretaretur. Rationes ſatis prægnantes ſunt. 1) Opponuntur officia Moſis & Chriſti, lex & gratia. Ioh. I. 2) Officia Chriſti non alia commemorat SS. quam regium, ſacerdotale & propheticum. Regium exercet in ſtatu exaltationis, ſacerdotes non ferunt leges, nec propheta eſt leges ferre, ſed interpretari, 3) Chriſtus notanter dicit Matth. V; 5. 17. *Non veni ſolvare legem (aliasque novas ſubſtituere,) ſed implere.*

Jam videbimus, quomodo contrarium probet Grotius. 1) Provocat ad verba Matth. V. toties repetita: *Audiſtis dictum fuiſſe veteribus: ego vero dico vobis. Sed reſp. Chriſtus ibi nullum novum proponit præ-*

præceptum, sed Mosaica vindicat a falsa Pharisæorum interpretatione, & interpretatur.

2) Dictum fuisse veteribus: Diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum. Sed Lev. XIX, 21. ubi hoc præceptum occurrit, nihil legitur de odio inimicorum. Est itaque additamentum Pharisæorum, quod merito Christus data meliore interpretatione sustulit. Objicit Grotius, aut ipse Deus præceperat inimicitiam cum Amalekitis Exod. XXV, 11. & cum septem populi Cananeis Exod. XXXIV, 11. Sed resp. Distinguendum inter odium morale, & inimicitiam politicam.

3) Legem sumi vel pro præcepto carnali, quod actiones tantum externas dirigit, vel pro spirituali, quod internam inculcat puritatem & sanctimoniam. Prioris generis fuisse Mosaicam ex interpretatione Pharisæorum: posteriorem Christum restituisse. Sed resp. 1) Ex intentione Dei lex Moysi non fuit carnalis, sed spiritualis. Dixit enim Deus: Diliges Deum tuum de toto corde, de toto animo, ex omnibus viribus: quid magis spirituale & internum? 2) Christus itaque legem non novam dedit, quæ sit spiritualis, sed eam interpretatus est ex mente primæ legislationis.

4) A Christianis virtutem exigere majore gradu, quam ab Hebraica gente. Resp. Major & minus non variant speciem. Eadem ergo lex est Mosaica & Christi, adeoque non Christus fuit novus legislator, sed interpretis legis Judaicæ glossis depravatae. De quo plura Theologi...

Hain, de Jure Belli, &c.

E 57.

His præmissis probat, Evangelio non sublatam esse bellandi facultatem.

n. 1. I. Ex 1. Tim. II, 1. 2. 3. Exinde colligit, 1) Deum esse jubere leges & magistratus, 2) Eisdem subditis præstare debere vitam tranquillam. Idque fit vel ita, ut subditi sint securi inter se, vel ab aliis exteris.

n. 2. Inter se id-aliter fieri nequit, quam iudiciis & jure gladii, quod probat Paullus Rom. XIII, 4. Quumque judicia inter gentes diversas locum non habeant, consequens est, ut bello sint compescendæ. Atque hinc ita argumentare licet:

Si fas est gladio coercere subditos, tranquillitatem turbantes: fas etiam est bello coercere gentes turbantes tranquillitatem humanam.

Prius verum est, E. & posterius.

Consequentia inde patet, quia alias plus liceret extraneo quam civi, & quod alias principi liceret minus periculum, a nobis avertere, non autem majus, quod absurdum.

n. 3. 4. II. Ex eodem Rom. XIII. urget, quod Paullus jubet honorare & obsecundare magistratui, tamquam ordinationi divinæ. Quo sensu autem est ordinatio divinæ? Non ratione permissionis tantum, qualis etiam in actibus vitiosis est, quos Deus permittit, nam sic non esset honorandus magistratus, sed tantum ferendus, verum ratione institutionis & voluntatis divinæ. Deus vult, ut sint magistratus, Deus ad-

PRO-

probat eorum officium. Si obijciatur, atqui tempore Paulli fuisse Imperatores & magistratus technicos, crudeles, tyrannos: respondemus, tanto magis inde sequi, ut Deus adprobet magistratum officium, quia ne gentilibus quidem & crudelibus Imperatoribus, honorem & obsequium detrahi voluit. Eleganter Grotius sub finem n. 4. Sic ut ergo olim pia erant sacrificia, &c.

Ex his ergo jam ita argumentum ducimus:

Si Deus probat magistratus officium, probat etiam defensionem a magistratu per bellum susceptam.

Ast verum est prius, E. & posterius.

Consequentiam inde probamus, quia ob id precipue in civitates coaluere, & principes constituere gentes, ut defendentur ab aliorum insultibus.

III. Argumentum petitur ex Luc. III, 14. quod Joannes militibus ad se venientibus non injungit, ut nuncium mittant militum, sed ut militares leges observent.

n. 5.

Posset obijci, Joannis doctrinam a doctrina Christi potuisse discrepare. Sed recte respondet Grotius, 1) eadem praedicasse Joannem & Christum, poenitentiam & fidem. 2) Joannem fuisse ministrum novi testamenti. Matth. XI, 13. Evangelii Luc. III, 18.

n. 6.

Quartum argumentum inde generatim ducitur, quod tota S. S. abhorreat a fornicatione, caedibus, rapinis, aliisque sceleribus, quae Deus omnino vult omitti, & impediri. Jam vero non omitteremur, nisi jus

gladii & adversus subditos & adversus externos haberet magistratus. Ergo voluit Deus, ut jus gladii haberent. Itaque sic argumentatur Grotius.

Qui vult finem, vult etiam media.

Deus in tota S. S. vult finem, ne furta, caedes, rapinae fiant.

Vult itaque & medium, nempe jus gladii & belli.

Esse vero id unum medium, inde probatur, quod scelera etiam nunc vix omituntur, postquam id jus gladii magistratibus relinquitur. Quid fieret, si nullum esset jus gladii?

n. 7. 2.

Quintum argumentum desumitur ex *extemplo* Judaicae reip. in qua jus gladii viguit, quamdiu nondum excisa esset resp. Quamvis enim jus gladii non esset penes Judaeos, uti fatentur ipsi Joh. XVIII, 31. quum municipia non haberent merum imperium, uti singulari dissertatione docuit ZACH. HUB. *Diff. Part. I. diff. I.* fuit tamen apud Romanos.

Jam Christus ante excisam urbem officium suum inchoaverat & absolverat. Quum itaque venisset, ut nos liberaret a iugo legis, omnino etiam docere debuisset jam legem de judiciis, de suppliciis capitalibus, de jure gladii cessare debere. Quum itaque id non docuerit, omnino voluit ut essent, & hinc jus gladii non repugnat doctrinae N. T.

Immo tantum abest, ut Christus docuerit jus gladii cessare debere, postquam advenit, ut potius tum ipse, tum Apostoli.

ejus

ejus re ipsa docuerint, & factis ostenderint, sibi placere judicia & jus gladii.

1) Dum ipsi se stiterunt cor. tribunalibus. Christus cor. Pilato, Apostoli coram Synedrio, Paullus cor. Anania. Act. XXIV, 3.

2) Dum homines remiserunt ad iudices. Hinc Christus ei, qui rogabat, ut familiae ereiscundæ inter se & fratrem præficeret, respondit: Homo, quis me iudicem constituit?

Objici posset, Christum tamen prohibuisse ukionem. Matth. V, 38. seqq. Sed resp. distinguendum esse inter legem & consilia. Consilium istud exsequi recte possumus, sed non ideo peccat, qui jure suo utitur, nec iudex, qui secundum legem animadvertit.

Sextum exemplum Cornelii Centurionis, jam aliquoties ursumus. Conversus enim ad Christum non legitur mutasse militiam, immo nec id ei imperatum a Petro, quum tamen diceret Cornelius: *Jam adsum audisurus, quacumque tibi præcepta sunt a domino.* Act. X, 33. n. 9.

Objiciunt, Lucam quidem non meminisse missionis a Cornelio flagitate, sed credibile tamen est, eum flagitasse missionem. Sed resp. 1) id nec probari posse, nec 2) verosimile esse, quum alias Lucas hujusmodi quid narrare soleat. Sic cum Magi converterentur, refert Lucas, eos nuncium misisse huic vitæ generi, & combussisse libros magicos. Act. XIX, 19. An hic prætermisisset, quod Cornelius deseruerit militiam, si prævum hoc esset vitæ genus?

n. 10.

Septimum argumentum Grotius petit ab exemplo Sergii Pauli, Procos. Cypri a Paulo conversi, & unde plerique dicunt Apostolum nomen Paulli adsumpsisse, quum antea diceretur Saulus. Act. XII, 6. seqq.

Procos. habebat jus gladii & militiæ, l. 8. ff. de off. Procos. Si itaque hoc injustam esset, non potuisset non post conversionem magistratu se abdicare. Quum vero se abdicasse non legatur: omnino jus gladii nihil injusti complectitur.

n. 11.

Octavum est a Paulli exemplo desumptum, qui & 1) insidias Judæorum ad Tribunal detulit, & 2) præsidium militare ab eo accipere non dubitavit. Act. XXIII, 18. 23. An id passus esset Paulus, qui omni occasione veritatem prædicandam dicit? 2. Tim. IV, 2.

n. 12.

Novum argumentum. Qui probat media, is & finem probat. Jam nemo dubitat, tributa dari, ut magistratus haberet, quo tueretur bonos, coerceret malos. Rom. XIII, 3. 4. 6. Quum itaque probet tributa, procul dubio etiam approbat eorundem finem, puta bellum.

n. 13.

Decimum argum. verbis Paulli Act. XXV, 11. desumptum non magni momenti est. Nam non sequitur: Paullus non recusat mori, E. probat judicia, quæ supplicium capitale infligunt. Possent quis ad latrones quoque dicere: Nisi tibi dederò omnia, non recuso mori.

n. 14.

Ultimum argumentum rectissimum est, si recte proponatur. Christus non sustulit politias, E. non sustulit bellum. Quod non

sustu-

subtulit politias, inde patet, quod nihil de ea re sanxit, nihil præcepit, nihil vetuit. Immo quod statum rerump. qualis tunc erat non improbavit, sed ipsi Pilato dixit: Non haberes potestatem vitæ & necis in me, nisi tibi coelitus data fuisset.

§. 8.

Sequitur jam altera pars capitis, quo aliorum argumenta bello opposita refutantur, & quidem octo.

1) Primum obijcere solent verba Isaia II, n. 1. 2.
4. Dominus judicabit inter gentes, & animadvertet inter populos. Tunc gladios mutabunt in ligones, & lanceas in falces. Neque enim populus gladium evaginabit adversus populum, neque discant amplius bella gerere.

Respondet Grotius: 1) aut id intelligendum esse hypothetice, si omnes homines essent Christiani veri, neminem alteri facturum injuriam, adeoque omnino cessatura bella: aut 2) pure, & tunc implementum vaticinii adhuc instaret eo tempore futurum, quo lætior futurus sit status ecclesie. Inde ergo non sequi, ut bellum temporibus N. T. cessare debeat, aut ut repugnet evangelio.

Sed neutra responsio vera videtur & sufficiens. Non prior, quia Dominus absolute prædicit, id futurum, non, fieri id posse si omnes essent Christiani veri. Non posterior, quia ut ex versu antecedente patet, Isaias non loquitur de ultimo illo & lætiore statu ecclesie: sed de eo, quo gentes dicturæ sunt: *Venite, et amemus in mentem Domini,*

ad Domum Dei Jacob, ut nos doceat vias suas, ut ambulemus in ejus semitis. Loquitur de eo tempore, quo lex exitura esset ex Sion, & verbum Domini ex Hierosolymis. Tunc, inquit, Dominus judicabit inter gentes, &c. Id omne impletum est, quum Apostoli exeuntes Hierosolymis evangelium annuntiarent universo orbi. Ergo ab eodem tempore impletum fuisse oportet vaticinium de gladiis contusis in ligones.

Quid ergo? Totum caput est spiritualiter intelligendum, non secundum litteram. Nam v. 2. dicitur, eo tempore altiore fore montem Domini omnibus reliquis montibus. Quod secundum litteram intelligi nequit. Itaque verba nihil aliud significant, quam Christum allaturum pacem spiritualem, pacem illam omni ratione eminentiorem. Adeoque inde nihil inferri potest contra bella.

n. 3.

Alterum argumentum: Matth. V, 38. Sed resp. Grotius non magistratibus hæc dici, sed ipsis læsis, ut potius concoquant injuriam, quam ultionem spirent. Consilium sane optimum & saluberrimum, sed non lex.

Simile sane quid reperimus in 1. Cor. VI, 1. seqq. ubi Paulus reprehendit prurimum litigandi coram magistratibus ethnicis: non quod id injustum esset, aut quod officium magistratus improbaret, quod sane maximi æstimat, uti supra vidimus, sed quod lites hæc scandalum præberent gentilibus. Consilium ergo & hoc est, non lex.

n. 4.

Simile quid dicendum de verbis sequentibus:

abus: Qui velit tecum litigare, &c. Nam
1) non magis hic improbantur iudicia,
quam si amicus amico suaderet, ne ob rem
levem tribunalia fatigare velit. 2) Loqui-
tur Christus procul dubio de iis persecu-
tionibus, quas tanquam Christi discipuli
laturi essent. Iis omnino non resistendum.
Et hinc primi Christiani condemnati quoti-
die ad gladium, ad vivicomburium, ad be-
stias, bonisque omnibus propter Christum
spoliati, non restiterunt persecutoribus,
sed omnia animo tranquillo, & patientia
plane invicta pertulerunt. Sic sane qui iis
eripiebat tunicam, ei & pallium concessere.
3) Ipse ULPIANUS L. 4. §. 1. ff. de alien.
iur. iud. caus. fact. provocandum dicit
ejus factum, qui tanti habuit re carere, ne
propter eam sæpius litigaret, hanc enim
verecundam cogitationem ejus, qui lites
exsecratur, non esse vituperandam: an ideo
Ulpianus iudicia exsecratur?

Eodem modo intelligenda verba sequen-
tia: Qui angariabit te ad milliare unum,
abi cum eo duo. Recte respondet Gro-
tius, Christum velle ut levem potius in-
juriam ferant Christiani, quam litigent.
Hinc non dicere: Abi cum eo centum,
quæ gravior esset injuria; sed abi duo,
quia non tam incommoda futura sit hæc
deambulatio, quam lis molestissima.

Sed simul observandum, angarias fuisse
publicam provincialibus impositam onerum
vehendorum bajulandorumque necessitatem.
l. 7. l. 18. §. 4. 21. ff. de mun. & bon. l. 10.
§. 2. ff. de vocat. mun. Dum itaque iis non

resistendum, sed aliquid indulgendum esse monet Christus, qui nos angariant, perinde est ac si diceret, ne resistite summis imperantibus, & magistratibus, ut adeo nec judicia nec bella improbet.

n. 6.

Sequuntur verba: *Petenti abs te dato, &c.* Sed miror hæc verba adduxisse Grotium, quum nihil inde inferri possit adversus judicia. Si enim vel maxime petens tuam repulsam a me ferat, non tamen habebit adversus me actionem. Sed & verba ipsa ita comparata sunt, ut salvis judiciis & salva jure bellandi unusquisque alteri dicere possit, petenti abs te dato. Nam idem est, ac si diceret: *Officia humanitatis alteri ne negato.*

n. 7.

Ex eodem capite inferri posset: Christum tamen prohibere jus talionis: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Adeoque & omnem talionem, & propulsationem violentiæ violentam esse prohibitam.

Sed resp. 1) Falsum est Christum prohibuisse jus talionis. Nam & ipse statim cap. 7. inculcat v. 2. *Quo judicio judicabitis, eo judicabimini, qua mensura metiemini, eadem metientur vobis.*

2) Sed ut recte Grotius observat, Judæis permissam fuisse privatam talionem, e. g. ut læsus posset alterum similiter lædere, immo ut si quis occisus esset, ejus proximus agnatus vindicem ageret, & homicidam ultore ferro persequeretur. Hanc ultionem suis inhibet Christus, quippe permissam Judæis ob duritiem cordis, uti divortium & alia.

3) Ni-

3) Nihil ergo sibi vult Servator, quam ferendam potius tolerabilem injuriam, quam ut statim ad vindictam prorueamus.

Objici posset: sed absurdum tamen esse, percutienti alteram maxillam sponte offerre, & ita patiēdo novam provocare injuriam. n. 8.

Sed elegans est Grotii observatio: Maxillam præbere esse phrasin Hebræam, quæ nihil aliud significet, quam patienter ferre injuriam. Id quod eleganter probat loco Isai. L, 6. ubi Christus dicitur *maxillam præbuisse percutientibus.*

Tertium argumentum ex eodem Matth. capite v. 43. 44. *Audistis dictum esse, &c.* n. 9. 11.

Respondet Grotius 1) proximum hic significare Hebræum, & tamē inter Hebræos ipsos viguisse iudicia & jus belli. Jud. XXXI. 2) Christum id præceptum porrexisse ad alios homines. Adeoque non minus amorem hunc tollere bella, quam amorem Judæis præceptum erga Judæos. 3) Amorem hunc nobis præcipi exemplo Dei patris cœlestis: qui quum omnes amet, non tamen ideo non justitiā exercet in puniendis, coercendisque malis. Ita & nobis facere non nefas est.

Quarta objectio perita ex Rom. XII, 19. n. 12. 13.

Respondet Grotius: 1) eo tempore, quo hæc dixit Deus, *meum est ulcisci: ego rependam.* Lev. XIX, 18. Deut. XXXII, 35. jam & iudicia capitalia fuisse & bella, adeoque non ob stare hæc verba posse bellis. 2) Et hostes jubentur diligi, Exod. XXIII, 4. 5. nec tamen eo tempore cessabant sup-

plia capitalia & bella. 3) Quia verba sequentia statim docent cap. XIII, 1. verba hæc intelligenda esse cum exceptione. 4) Distinguendum ergo esse inter ultionem boni publici causa exactam, & ultionem privatam, Illa non prohibetur, sed hæc.

n. 14.

Objectio 5. ex 2. Cor. X, 3. Sed 1) Paulus non loquitur de Imperantibus Christianis, sed de Apostolis. Illi Christianos non faciebant armis carnalibus sed spiritualibus. 2) Non carnalia dicuntur arma, quasi mala & vitia, quo sensu peccata vocantur opera carnalia: sed ut opponantur armis spiritualibus, qualia sunt preces, lacrymæ, verbum Dei.

3) Inprimis Paullus in hoc textu alludit ad potestatem illam Apostolis concessam miraculose puniendi refractarios, cujus plura exstant exempla. Sic Petrus verbis occidit Ananiam ejusque uxorem Sapphiram. Act. V, 5. Sic Paullus incesti reum Satanæ tradidit. 1. Cor. V, 5. Sic idem excoecavit Elymam. Act. XIII, 13. Eleganter hæc extraordinaria & miraculosa potestas vocatur *virga Apostolica*. 1. Cor. IV, 21. de qua ea præclare egit Scriptor Anglus GUIL. CAVE in *Antiqu. Apost. in vita Petri*. Dicit ergo Apostolus, hæc arma non esse carnalia, sed spiritualia. Eis opus erat, quamdiu nulli erant magistratus Christiani.

n. 15.

Sexta objectio ex Eph. VI, 2. Sed resp. 1) Pugna vel lucta contra diabolum, mundum & carnem non tollit luctam & bellum adversus hostes, nam Paullus dum dicit: *non est nobis pugna*, tantum difficultatem hujus

hujus belli spiritualis describit, non prohibet bellum. 2) Christiani & ut Christiani, & ut homines eivesque considerari possunt. Tanquam Christianis incumbit lucta cum hostibus: iisdem tanquam hominibus adimi nequit jus gerendi bellum.

Septima objectio ex Jac. IV. 1. Sed 1) distinguendum inter justas causas belli & injustas. Qualis causa est, talis effectus. Si belli causa injusta est, ipsum bellum injustum habetur. Et de hujusmodi bello injusto loquitur Apostolus. 2) Scripta est hac epistola, uti PEARSON & MILLIUS probant, eo tempore, quo bellum Hierosolymis fatale gerebatur. Hinc de eo potissimum loquitur, illudque ex voluptatibus & concupiscentiis pravis constatam testatur. Ergo non de omnibus loquitur. 3) Quemadmodum si quis dicat: Unde agri-rudo, rixæ, crapula, nisi ex vino? ideo vinum non omne rejicit: ita nec hic Apostolus omnia rejicit bella. Sunt enim quædam, ex hujusmodi voluptatibus haud nata. 4) Denique & alios auctores ita loquutos esse docet Grotius, qui nunquam bellum pro injusto habere.

Octavum argumentum adversarii desumunt ex verbis Christi, Matth. XXVI. 52. Sed 1) Petrus tunc non bellum gerebat, sed resistebat magistratui. Id Christus prohibet. 2) Sensus idem est, ac verborum: *Qui sanguinem sudoris, ejus sanguis fundatur.* 3) Specialis hic est ratio, cur Christus nollet defendi a Petro, quia ejus regnum non esset de hoc mundo. Quale regnum,
zalis

talis defensio. Regnum Christi spirituale est, ergo defendendum armis spiritualibus. Hinc Christus: *Vigilate & orate, ne incidatis in tentationem.* Matth. XXVI. 41.

§. 9.

Porro haud parum momenti situm est in testimonio veteris ecclesie. Nam 1) ea ab apostolis & viris apostolicis regeretur, qui eam fideliter, quid Deo placeret aut displiceret, docebant. 2) Non probabile est ecclesiam statim defecisse. 3) Tunc maximus erat pietatis veræ fervor. Eleganter HIERONYMUS *ad Demetr.* p. 68. T. I. tunc domini nostri adhuc caluisse cruorem, & feruisse in credentibus fidem. Quis ergo negaverit, operæ pretium fecisse Grotium, dum in veterum Christianorum inquisiverit sententias.

I. Et quidem multi fuerunt, qui bella improbarent: Nam

1) Id fecit Origenes advers. Celsum l. 8. p. 426. ubi Christianos ait bella non gerere nisi precibus.

2) Idem sensit Tertull. alicubi, & judicia capitalia & bella rejicere videtur libro de idololatria, & libello de corona militis, cujus historia narranda.

II. Christiani haud raro detrectabant militiam. CELSUS *apud Orig. lib. VIII.* Et notabile est legionis Barbaricæ exemplum, quæ missionem flagitabat, quod esset Christiana, & recusabat prælium inire, martyrio hinc adfecta a Diocletiano, & Maximiano Augustis. *Ado Viennensis Martyrol. ad 10. Kal. Octobris.*

III. Chri-

III. Christiani abhorrebant fere a muneribus & officiis publicis, veluti prætura. TATIANUS in *Apel. pro Christianis*. Ab Ædilitate. TERTULLIANUS. A militia, & navigatione, LACT. *lib. 4. cap. 18.*

Sed resp. 1.) Non universalis hæc erat ecclesiæ sententia, sed quorundam PP. quorum nemo non suos passus est nexos. Vid. DALLEI *de usu patrum*.

2.) Origenes & Tertullianus fuere suspecti de falsa doctrina. Origenes Platonismo nimis favit, in multis conciliis damnatus, & Tertullianus plane ad Montanistas, Fanaticos defecit.

3.) Ipsi hi PP. alibi admittunt iudicia capitalia & bella, ut ipse Grotius eorum verbis n. 2. adductis docuit. Unde non aliter potest intelligi eorum sententia, quam bella in thesi iusta esse, sed in hypothesi a Christianis geri non posse. Nam

1.) Imperatores gentiles, sacramentum exigebant a militibus, quod Christiani salva iustitia præstare non poterant.

2.) Bella, ab iis sæpe gerebantur iniusta, quibus interesse Christiani religioni sibi ducebant.

3.) Multi erant ritus militares principis Christianismi adversantes, e. g. auspicia, veneratio signorum vel aquilarum, sacrificia, triumphantium introitus in Capitolium. Ab his abhorrebant Christiani, non ab ipso bello.

4.) Multi præterea favebant vitæ theoreticæ, quæ deinde monastica dicta.

Ei

Ei vero omnino repugnare videbatur militia.

§. 106.

Hinc jam porro demonstrat Grotius, doctrinam illam de belli justitia non fuisse communem omnibus Christianis, &

n. 1.

1) ex Patribus antiquioribus CLEM. ALEXANDRIN. vixit saeculo II. & Stromata scripsit & Pædagogum, ibi vero diserte in hoc concedit, & militare posse Christianos & magistratum gerere.

Constitutiones Apostolicæ nec Apostolis vere debentur, nec Clementi Romano. Sunt saltem ex Saeculo IV. ut docuit GUIL. CAVE. Sed GUIL. WHISTON. in Arianismum proclivis has constitutiones tanquam vere Apostolicas defendit, & quidem non Græcum, sed Arabicum textum putat Authenticum.

n. 2.

2) Publicam ecclesiæ sententiam bello non fuisse adversam denuo probat.

1) Ex constitutionibus Apostolicis, quia illæ factæ de quarti sæculi doctrina testantur.

2) Ex Tertull. Apol. cap. 42. quia ea publico Christianorum nomine scripta.

3) Ex historia de legione fulminatrice. Ita TERTULLIANUS, EUSEBIUS, WITSIUS & DAN. LARROQUANUS de legione fulminatrice. Historia autem factis certa 1) quia legio XII. multo ante fuit fulminatrix dicta. 2) Quia sub Antonino philosopho adhuc maxime ferbuit persecutio. 3) Quia ipse Antoninus in libris ad se ipsum, quos ex parte in bello Mar-

co-

comannico scripsit, Christianos exagitat, odiumque prodit adversus eos conceptum.

4) Ex historia martyrum, inter quos & milites fuere. Sed hic selecta opus. Sæpe enim fabulis indulgent martyrologia. Sed in dubium tamen vocari nequeunt omnia, quod visum HENR. DODVVELLO in *Dissert. Cyprianea de paucitate martyrum*, quem ex instituto refutavit THEODOS. RUTNARTUS, Gallus, in *Actis genuinis martyrum, in præfat.*

Certa saltem est historia Laurentii & Ignatii Afrorum, quæ non sola martyrologiorum auctoritate, sed testimonio Cypriani, qui sæculo III. floruit, patris fide dignissimi, & qui ipse inter martyres fuit.

Objici posset, Christianos non libenter interfuisse suppliciis capitalibus. Ita enim sæpe Tertullianus & alii veteres.

Sed resp. 1) supplicia illa non damabant in thesi, sed in hypothesi, ob eorum truculentiam. Nam 1) pleraque exercebantur adversus Christianos, 2) etiam penas novas & inhumanas invenerant, e. g. tunicam molestam, dilanationem bestiarum. 3) Ipsa quædam jura admodum truculenta erant, veluti Sctum Silanianum.

2) Non intererant libenter, quod suspicionem fugerent ac si oculos pascerent aliorum dolore & suppliciis.

3) Quod in thesi ea non damnarint, adparet ex eo, quod Constantinus M. bella gesserit, & judicia capitalia exereverit. Inquirendum hic, quid de historia sentiendum, quod viderit crucem cum verbis IN

HOC

HOC VINCES. Jo. ALB. FABRICII singularis ea de re dissert. laudatur.

n. 5. 5) Thesin suam Gronovius confirmat inde, quia nullus patrum sub Imp. Christianis dubitavit bella geri posse. Nam

1) Eusebius scripsit libros de vita Constantini, in quibus eum ob fortitudinem laudat, ejusque bella sine omni censura refert. 2) Lactantii exstat elegans libellus de mortibus persecutorum, in quo ex instituto docet, nullum principum, qui ecclesiam vexarunt, morte sua obiisse. In eo maxime laudatur Constantinus ob bella adversus hostes ecclesiae gesta. 3) Addendus merito duplex locus Ambrosii, ab auctore adductus.

n. 6. Ast porro objiciunt 1) saepe Episcopos deprecatos pro reis, 2) introduxisse Christianos jus asyli in ecclesiis. 3) Ritum inter eos fuisse, ut tempore paschalis captivi solverentur vinculis, l. 3. C. de episc. aud. Videntur itaque supplicia capitalia, & multo magis bella detestati. Sed resp. 1) Episcopi eo ipso non tam judicia damnarunt, quam clementiam suaserunt.

2) Asylorum jus *καποζυλία* & intempitiva ethnicorum & Judaeorum æmulatione receptum est: ut docuit RITTERS-
MUSIUS singulari tractatu *de jure asylorum*.

3) Ritus iste non arguit odium judiciorum: sed erat signum gaudii paschalis, quale quid etiamnum saepe observamus in aulis Principum, si vel princeps juvenutis nascitur, vel coronationis festum

sum celebratur. An id indicat detestationem iudiciorum capitalium?

Sed jam solvantur bina argumenta paulo difficiliora, ex quibus probare nituntur, a bellis abortuisse ecclesiam.

n. 7.

1) Primum est ex canone XII. Synodi Nicenæ, ubi agitur de iis, qui cingulum militiæ deposuerunt, & postea eandem militiam repeterunt. Iis enim hæc poena irrogatur, ut decem annos jaceant, & predicam audiant.

n. 8.

Quæ poena ut intelligatur, sciendum, in veteri ecclesia fuisse quatuor gradus poenitentiae. Nam 1) dicebatur *deploratio*, quando peccatores extra ecclesiam jacentes cum luctu & lacrymis deprecabantur. 2) *Audita*, quando admitterentur in porticum ecclesiae, ut possent audire verbum Dei. 3) *Submissa*, quando intra ecclesiam post suggestum stabant, sed egredi venebantur cum catechumenis. 4) *Constitutio*, quando inter fideles stabant, sed nondum participes sacramentorum. JUSTELLUS ad *Cod. Can. vcl. CAVE de Christiano primit. Part. I. Cap. 8. p. 229. seqq.*

n. 9.

Quam itaque tam gravis injungeretur poenitentia iis, qui ad cingulum militiæ redissent: videntur sane Christiani abhorruisse quam maxime a militia.

n. 10.

Sed recte respondit Quotius, hunc canonem ad idololatricam pertinere. Licinius enim, qui tunc tyrannidem affectaverat, milites Christianos jusserat sacrificare, & thus adolere Diis. Hinc multi

sc

se abdicaverant militia. Postea ut situ-
cri cupidi, militiam repetebant, immo
pecunia data illam redimebant, quod
fieri potuisse ex Nov. 53. cap. 5. & l. an.
ff. de leg. 2. patet. Itaque deficiebant ad
idololatriam, quo crimine nihil habeba-
tur detestabilius. Quid mirum itaque, si
poenitentia fuerit paullo durior? Refert
illud Licinii scelus SVALTIUS SEY. Hist.
eccl. L. 2. cap. 33.

n. 9.

2) Alterum argumentum est ex Leo-
nis Papæ Epist. *Contrarium esse ecclesiasti-
cis regulis &c.*

Sed 1) loquitur eo de ascetis, mo-
nachis, qui vitæ theoreticæ studiosi a mi-
litia abhorrebant.

2) De Episcopis & Clericis, qui se-
mel ecclesiæ addicentes operam non de-
bebant amplecti militiam.

3) Sane & hodie is videretur repre-
hendendus, qui pallium clericale com-
mutaret cum fago, & tamen hodie ne-
mo damnat militiam.

n. 10.

4) Accedit quod ne militem quidem
admitterent ad officium ecclesiasticum, si
post baptismum id vitæ genus elegisset:
non, quod improbarent militiam, sed quod
ad ea munera procherent viros pios &
probos, quales raro esse solent milites.

Non parum etiam hunc rigorem auxit
interpretatio perversa verborum, quibus
Deus prohibuit Davidem sibi templum
ædificare, quia fuerit miles & sanguinem
fuderit, quæ tamen ea verba sint typi-
ca, & ideo Salomoni id reservaverat
Deus,

An bellum unquam iustum sit? 111

Deus, quia Messias veram ecclesiam N. T. conditurus futurus sit princeps pacis.

Denique varia Grotius cumulat testimonia pro bello ex Concil. Arelat. L. can. 3. Ambrosio, nec non exemplum legionis Thebæ, ejusque orationem, ac denique testimonium Basili.

Historia legionis Thebæ existat apud **SURIUM** *Act. Sanct. d. 22. Sept. CAVE* *Christ. prim. P. III. cap. 4. p. 714. seqq.*

C A P U T III.

Belli Partitio in Publicum & Privatum, summi Imperii explicatio.

C Apud hæc quantivis pretii dila-
tat res notatu dignissimas. Nam
I. Aliquot belli divisiones exponit. §. 1. 5.
II. et occasione expendit doctrinam
de summo Imperio vel potestate ci-
vili. §. 6. 24.

Prior pars denuo constat articulis 2. Nam
bellum dividitur

1) In publicum & privatum. §. 1. 3.

2) Publicum denuo subdividit in sol-
lemne & minus sollemne. §. 4. 5.

§. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24.

Prima ac summa belli divisio est, quod
aliud sit publicum, aliud privatum, quibus
Grotius & mixtum addit.

Publicum bellum est, inquit Grotius,
quod auctore egerit, qui jurisdictionem
habet: privatum, quod aliter, mixtum,
quod

quod una ex parte publicum est, ex altera privatum. Sed Grotius hic non proprie & ex arte loquitur. Jurisdictio enim proprie competit magistratui: hic veteris jurisdictio ipsi est summum imperium, & vel majestas, quo sensu & SENEC. dicitur saepe, penes principem esse jurisdictionem, in libris de Clementia.

Rectius itaque dixeris, bellum publicum esse, quod a summis Imperantibus vel societatibus liberis geritur, e. g. bellum Carthaginensium & Romanorum.

Privatum, quod a privatis geritur, ut bellum inter Marium & Sullam.

Mixtum, quod ex una parte a summis imperantibus, ex altera a privatis geritur, e. g. bellum Catilinarium.

n. 2. Quia autem existimari posset, hanc divisionem esse absouam, quum bellum privatum sit latrocinium, non bellum: latius demonstrat Grotius, non omne bellum privatum iniustum esse, nec in statu naturali, n. 2. nec in statu civili. §. II. n. 1. 2. & §. III.

I. In statu naturali nullus est Imperans, nullus subditus, sed unusquisque in libertate naturali vivit, nemini obnoxius, nemini inferior, quia natura omnes homines aequales. Quum itaque inter aequales, & ubi superior nemo est, cessent judicia: sequitur ut in statu naturali cessent judicia. Quumque cessantibus judiciis liceat vim vi repellere, etiam in statu naturali licebit omnibus vim vi repellere, id est, bellum gerere.

Hæc

Hæc quidem clara sunt: sed objici potest: saltem eam facultatem ademptam esse privatis in statu civili, quia hic introducta sunt judicia. Quam in rem Grotius allegat. l. 176. ff. de R. J. & l. 13. ff. quod met. caus.

Sed statim Grotius ostendit, & in statu civili id bellum privatorum aliquando non esse injustum, quamvis omnino non semper nec omnibus concedendum sit.

§. 2.

Quandum licitum sit, id judicandum ex ratione, cur in statu civili prohibitum sit bellum. Ratione enim cessante, cessat lex.

Jam ratio non alia est, quam quod in statu civili per judicia consequi licet, quod alias in statu naturali per bellum consequeremur. Ista itaque cessante, id est, si non sit judiciorum copia, & prohibitio belli cessat.

Unde regula: Quotiescumque judicii nulla copia est, toties & privatis in statu naturali bellum gerere licet. Judiciorum autem copia non est, inquit Grotius

1) Vel momentanee: quum vis tam repentina est, & periculum tam præsens, ut judicis auxilium expectare nequeam, e. g. in moderamine inculpate tutelæ, in furto nocturno, in latronum furore.

2) Vel continue, quod ipsum vel jure contingit, vel factum.

1) Jure, iis locis, qui deserti sunt, & hominibus vacui, e. g. in mari, ubi & pri-

ITQ. I. LIB. I. CAP. III. Belli privati
privatus quisque adversus privatos bellum
gerit, quia nunquam in mari sunt tribu-
nalia.

2) Facto, sive subditorum, sive judi-
cum auctoritatem adspernentur, (ut olim
in Israele: *Eo tempore non eras rex in Is-
rael: & unusquisque faciebat, quod justum
erat.* Sane in eo statu, si quis se adversus
injurias defendisset suis viribus, non pec-
casset: sive ipsius judicis, si denegent ad-
ministrationem justitiæ. Sed bini postero-
res casus cum grano salis accipiendi. Nam
ille de subditis supponit meram *ἀναρχίαν*,
quæ rarissime datur: & alter de giudice de-
negante justitiam nemini dat facultatem
gerendi bella, nisi non adsit iudex supe-
rior, vel imperans, ad quem hujusmodi
querelam deferre possint. Quod denuo sine
ἀναρχίᾳ intelligi nequit.

n. 2. Ceterum licitum ejusmodi bellum pri-
vatum alii negant, quorum sententiam an-
tequam expendat Auctor n. 2. sententiam
suam demonstrat, ut §. seqq. adversario-
rum argumenta refellit.

Argumentum suum Grotius desumit ex le-
ge divina de furto nocturno, Exod. XXII, 2.
quale quid & lege XII. Tabb. & legibus
Solonis cautum novimus. Immo PUFEND.
LIB. II. cap. V. de J. N. & G. §. 17. de-
monstravit, omnium fere gentium leges
eædem furis nocturni permisisse. Conf.
HERRIUS ad Pufend. l. c.

Jam id jus furem nocturnum occidendi
aut ex delicto, puta furto, aut ex jure
se defendendi. Non autem ex delicto.

Nam

Nam sic & diurnum occidere fas esset: Ergo ex jure defendendi. Si in civitate hoc jus se defendendi cum alterius internecione salvum est, non omne sane bellum privatum erit prohibitum. Q. E. D.

§. 3.

Jam itaque ad argumenta adversariorum progreditur, quæ eadem fere sunt, quæ opponunt bello publico. Unde pleraque jam superiore capite expensa sunt. Brevitate utemur & paucis argumenta recensēbimus. n. 1.

Primum est ex iis dictis, quibus Christus & Apostoli prohibent, quo minus resistamus malo. Matth. V, 39. ne ultionem spiremus. Rom. III, 19. ne gladium sumamus, nisi gladio perire velimus.

Secundum desumitur ab exemplo Christi, pro inimicis mortui. Rom. V, 8. 10.

Tertium a testimonio Ecclesiæ primævæ, quæ omnem defensionem privatam inhi- n. 2.
buit, etiam contra latronem armatum. AMBROSIVS *de off. lib. 3. cap. 3.* AUGUSTINUS *lib. 1. de lib. arb. cap. 5.* Imo idem dogma migravit in Jus Canonicum. c. vet. C. 13. q. 11.

His argumentis alia opponit Grotius fortiora. Nempe n. 3.

1) Quod Evangelium jubet amare proximum tanquam se ipsum, E. non magis quam se ipsum. Unde mihi sum proximus, meque potius conservari ac tueri teneor, quam alium.

2) Quia & lex beneficentiæ admittit exceptionem, nisi ipsi indigeamus. 2. Cor,

Hein. de Jure Belli, &c. F VIII,

VIII, 10. Ergo & lex de conservando proximo intelligenda cum limitatione, nisi ipsi periclitemur. Rectius res ita proponitur:

Leges sunt vel affirmativæ, vel negativæ. De affirmativis semper valet regula: Leges affirmativæ admittunt exceptionem necessitatis, e.g. lex de Sabbatho, de beneficentia, de conservando proximo. Negativæ vel ad officia erga Deum pertinent, vel ad officia erga proximum. Priora nunquam admittunt exceptionem necessitatis; hæ admittunt, si vel necessitas a Deo sit, vel a malitia hominis, mihi eripendi vitam. Jam lex: conserva vitam proximi, est affirmativa, E. admittit exceptionem necessitatis. Lex: ne occide, est negativa & ad officium erga proximum pertinet, ergo exceptionem admittit ob malitiam hominis nos occidere volentis.

Objici posset: Non esse proportionem inter delictum & poenam: alterum mihi eripere velle vitam temporalem, me illum occidendo illi eripere vitam æternam. Sed resp. 1) non hic esse poenam, sed defensionem: 2) non magis certum esse, an quis in eo statu sit, ut moriatur cum spe salutis. 3) Nec certum esse, an adgressor damnationem sit evitaturus, si conservaretur. Denique 4) non esse culpam damnationis penes occidentem, sed penes adgressorem.

n. 4. 5.

3) Tertium Grotii argumentum est, quod ipsi Apostoli videantur Christo vidente gladiis usi: idque conjicit 1) ex lo-

to Josephi, qui in Judzam proficiscentes ex Galilza, gladiis & armis instructi iter fecerint ob latronum crudelitatem. 2) Ex voce Apostolorum Luc. XXII, 38. Hic sunt duo gladii, quum nemo in eorum comitatu esset.

Hinc ita argumentatur Grotius cum Cicerone: Gladios habere certe non liceret, si uti illis nullo pacto liceret, E. uti licet gladiis.

His præmissis ad superiora argumenta n. 5. respondet. Et 1) quidem ad dictum Christi: *Ne resistite injuriam facienti*: Resp. non loqui Christum 1) de omni injuria, sed leviore, qualis est alapa, angaria unius milliaris, &c. 2) Non loqui de omni homine, sed de eo, qui persecutionem religionis causa patitur. 3) Legem hanc negativam admittere exceptionem necessitatis ob malitiam hominum.

2) Ad dictum Pauli Rom. XII, 19, resp. n. 6. non prohiberi defensionem, (uti vult interpret Latinus, qui vertit *defendere*,) sed ultionem vel vindictam, Idque Grotius demonstrat 1) ex perpetuo vocabuli usu, 2) ex verbis proxime sequentibus: *Ultio mea est, ego rependam, inquit Dominus*. Nos autem hic non loquimur de ultione, sed de defensione.

Sed quæ differentia? 1) Ultio malum alterius pro fine habet, defensio conservationem propriam. 2) Illa ex ira & odio, hæc ex ordinato sui amore proficiscitur. 3) Illa & extra periculum intentatur; hæc in extremo periculo suscipitur.

a. 7. 3) Ad verba: *Qui gladium sumet, gladio peribit*. Resp. 1) Verba hæc intelligenda esse de præsentē casu, nam nec volebat defendi Christus, quia oportebat eum pati, nec defensione ei opus erat, quia impetrare potuisset XII. Angelorum legiones. 2) Defensio hæc suscepta fuisset adversus magistratum, injustum quidem, sed tamen magistratum. 3) Verba illa: *Qui gladium accipiet, gladio peribit*, videntur proverbium fuisse, desumptum ab eo, quod ut plurimum fiat, quia & alibi occurrit. Apoc. XIII, 10.

a. 8. 4) Ad exemplum Christi pro impiis & inimicis mortui. Resp. alias actiones Christi esse satisfactorias, alias ad legem divinam compositas, vel ut theologi loquuntur, alias pertinere ad obedientiam ejus activam, alias ad passivam. Quæ ad activam pertinent, imitandæ, quæ ad passivam, imitabiles sunt. Hinc Paullus id factum dicit singulate Rom. V, 7. & ipsi Apostoli nos non jubent mori pro inimicis, sed pro fratribus. 1. Jo. III, 16.

a. 9. 5) Patribus facile respondetur. 1) Eos adfectare quandoque disciplinam severiorem une morale outrée. 2) Eos in philosophia & theol. morali errores admisisse gravissimos. 3) Alibi patres contraria profiteri, in primis Augustinum sui esse dissimilem in *quest. 34. ad Exod.*

§. 4.

a. 5. Prima hæc erat divisio belli in publicum, privatum & mixtum. Sequitur 2. sub-

subdivisio belli publici in sollemne & minus sollemne.

1) Sollemne vocatur, quod susceptum a summo imperante sollemni ritu indicitur.

2) Minus sollemne, in quo alterutrum deest, vel quod aut ab ipso summo imperante non suscipitur, aut non indicitur sollemniter.

Sollemne bellum dicitur etiam justum, non sollemne injustum: ubi tamen non respicitur ad justitiam naturalem vel J.N. sed ad justitiam quandam, quæ a moribus est. Quemadmodum enim testamentum injustum dicitur, cui sollemnitas quædam deest, nuptiæ injustæ, si vel civis ducit peregrinam, vel in conjungendis personis sollemnitas quædam omissa: ita bellum sollemne dicitur justum, quia ritus quosdam & cærimonias invenerunt & receperunt gentes paullo honestiores, quibus inter se uti solent.

Quæritur itaque, an magistratui liceat saltim bellum minus sollemne gerere? Resp. ^{n. 2.} regulam esse: Magistratui id non licere. Quam regulam inde probamus.

1) Quia magistratus non gaudet imperio absoluto, sed potestate restricta: adeoque nihil potest, nisi quod jussus superiorum injunxit. Nemini autem magistratui ordinarie permittitur potestas bellum gerendi.

2) Quia bellum est res, quæ totam ^{reip.} adducit in supremum periculum. Ergo gerendum non est in jussu summi imperantis.

3) Quia criminis perduellionis reus est, qui injussu populi (vel alterius summi imperantis) bellum gerit. *l. 3. ff. ad L. Jul. Maj.* Ergo recte se habet regula Augustini *Lib. 22. adv. Faust. cap. 27. Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc postulat, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principes sit.*

n. 3. Sed ut regulæ morales tantum non omnes admittunt exceptionem necessitatis, ita & Grotius a magistratibus aliquando bellum minus sollemne geri posse putat.

1) Quoties vim facit eis, qui ei, quod extremum in jurisdictione est, id est, executioni resistunt. Sed id proprie non est bellum, sed jurisdictionis effectus, si paucos cogat obtemperare sententiæ. Si res ad seditionem veniat, defensio permixta est, bellum autem non nisi jussu summi imperantis suscipitur.

2) Quoties periculum in mora est, vel

3) Ob longinquitatem loci non potest expectari jussus summi imperantis. Huc pertinet exemplum Pinarii, a Grotio allatum, & multo potius nobis exemplum gubernatorum provinciarum Indicarum, qui sæpe bellum cum gentibus barbaris confecerunt, priusquam fama de eo suscepta in Hollandiam perveniret.

§. 5.

n. 1. Quum itaque superiore §. & magistratum, extrema urgente necessitate bellum gerere posse demonstraverimus: jam per-

to quæritur, an hujusmodi bellum dicendum sit publicum?

Negant canonistæ omnes ob c. olim. 19. X. de restit. spol. Quorum est argumentum: Bellum publicum est, quod geritur ab iis, quibus est summum imperium. Bellum a magistratu susceptum non geritur ab eo, cui est summum imperium. Non ergo est publicum.

Adfirmat contra AYALA *de jure belli lib. 1. cap. 2. n. 7.*

Grotius distinguit. Si bellum publicum sumatur pro eo, quod a magistratu geritur, bellum hoc dici publicum: sin publicum sit idem ac sollemne, negat hoc nomen competere hujusmodi bello.

Sed hæc distinctio petitionem principii involvit. De eo ipso enim est quæstio, an publicum sit, quod a magistratu geritur.

Nos aliter distinguimus. Aut magistratus hujusmodi bellum sine necessitate suscipit, tum est privatum, & hinc non bellum, sed latrocinium. Aut id fit necessitate urgente, & vel generatim mandante summo Imperante, vel factum ratum habente, & tunc est publicum, 1.) quia generale mandatum & ad specialia pertinet, 2.) quia quod quis per alium facit, illud ipse fecisse videtur, 3.) quia rati habitio retrahitur ad initium facti.

Hinc quum Hannibal obsideret Saguntum, id faciebat tanquam magistratus, nec id jusserant Carthaginienses. Hinc legati mittebantur Carthaginem, qui Hannibalis

urgerent deditionem. Quod quum negarent Carthaginenses, & factum Hannibalis ratum haberent, bellum inde fiebat publicum.

Contra si Gubernator provinciarum Indicarum bellum injussu Batavorum suscipit adversus barbaros, id bellum non est privatum, sed publicum, quia generali mandato instructus est, pace belloque omnia agendi, quæ e re societatis Indicæ sint futura. Idque ipse agnoscit Grotius n. 2. ubi ait: Sed illud accidere potest, &c. Respicit ad statum reip. Germ. Fridericus Barbarossa in Italia constituerat vicarios Imperii, iisque plenam dederat potestatem bellum gerendi faciendique pacem, prout e re Imperii futurum sit. Ea sane bella suscepta a vicariis non erant privata, sed publica.

n. 3. Altera quæstio est: an ubi tale mandatum non est, sufficiat conjectura voluntatis?

Nimirum notum est, mandatum esse vel verum vel præsumtum, e. gr. in judicio procurator habet mandatum verum, maritus pro uxore agens præsumtum. Præsumitur enim uxor velle a marito defendi.

Ita Bataviæ præses habet mandatum verum & bellum gerendi & pacem faciendum cum Barbaris, prout e re visum fuerit: contra Præses vel Gubernator Belgii Austriaci non habet hujusmodi mandatum: quaritur itaque an non præsumtum saltem habeat, & velle censeatur Imperator, ut bellum & injussu suo suscipiat, si id e re sua videatur, & an non hujusmodi præsum-

sumtum mandatum sufficiat ad bellum gerendum?

Grotius id nullo modo existimat admit- tendum, 1) Præsumtionem enim esse Im- perantem id sibi reservasse, 2) rempubli- cam ita exponi summo periculo, quod in- jussu suo fieri omnino nolit summus Im- perans,

Hinc quum Fabius legatus missus ad Gal- los tanquam legatus bello Hetruscorum ad- versus illos interesset, & ducem ageret: Gallum illum sibi dedi postularunt. Ipsum Cæsarem, qui injussu populi bellum Germa- nis intulerat tanquam Procos. Galliarum, Germanis dedi suasit Cato, teste Svetonio. Hinc & Ciceronem reprehendit Grotius, quod Octavium & D. Brutum defendit, ar- ma contra Antonium privata auctoritate ca- pientes: & inde simul infert, sæpe non pro- banda esse exempla veteribus probata, qui affectui magis quam judicio obtemperarint.

Hæc omnia Grotii argumenta breviter recensui. Sed tamen in eo falsus est, uti jam Gronovius recte ostendit. Quæstio erat, an mandatum præsumtum sufficiat magistratui ad gerendum bellum? Grotius in universum negat. Nos distinguimus 1) inter bellum offensivum & defensivum. Ad illud non sufficit mandatum præsum- tum, quia res fert moram. Ad hoc suffi- cit, quia moram non patitur. Hinc si Tur- ca ex improvise irrueret in Hungariam; quis dubitaret, quia Duces copias contra- here & Tutcam proffigare possint, ante- quam Viennam nuncius pervenerit?

2) Distinguiamus inter dubias belli causas, & jam apertas. Quamdiu resp. alterum hostem non decrevit, abstinendum est magistratibus a laceffendo altero. Et hinc male egit Cn. Manlius bellum gerens cum Gallis. Contra ubi res certa & alter hostis declaratus est, quis neget cuivis fas esse hosti arma inferre? Sic non peccavit Brutus adducens copias adversus Antonium hostem declaratum, quia videret eum aliter reprimi non posse.

n. 7. Haftenus prior capituli pars de belli partitione duplici: sequitur jam altera, qua agit de summo imperio, vel de summa potestate. Ratio connexionis satis manifesta. Quum enim bellum proprie gerant summi imperantes: quaerit jam Grotius, quid sit summa potestas. Rem partiemur, ut expediamus

- 1) Quid sit summa potestas. §. 6. 7.
- 2) Quid sentiendum de sententia monarchomachorum. §. 8. 9. 10. 11.
- 3) Quotuplex sit summa potestas. §. 12. 16.
- 4) Quae partes sint summae potestatis. §. 17. 20.
- 5) Quibus modis imminuatur. §. 21. 24.

§. 6.

n. 1. Quod ad primam quaestionem attinet, ea denuo solvi potest in duas quaestiones.

- 1) In quo consistat? §. 6.
 - 2) Quomodo definiiri possit. §. 7.
- De priore quaestione primo Grotius aliorum

Tum sententias recenset n. 1. Deinde suam subjungit n. 2.

1) THUCYDIDES eam ponit in legibus, judiciis, magistratibus e. g. Veneti suis utuntur legibus, suis judiciis, suis magistratibus. Ergo penes Venetos est summa potestas.

2) ARISTOT. l. 4. *Pol. cap. 14.* tres facit species, Imperium, Consultationem & Judicia. Ad Imperium refert leges, tanquam inanimatum Imperium, & animatum i. e. magistratus. Ad consultationem senatum, comitia, consilia; ad judicia, tum disceptationes de causis privatis, tum de publicis.

Ita & 3) DIONIS. HAL, modo tres facit summi Imperii partes, nempe leges, magistratus & bellum pacemque, alibi quatuor, dum addit judicia: alibi quinque, addendo jus circa sacra.

Sed hic observandum 1) Thucydidem & Aristotelem consentire. 2) Dionysium Hal. nusquam agere de juribus summi imperii, sed tantum describere, quæ jura majestatis fuerint penes populum Romanum. 3) Recte ergo dici posse omnia referenda ad tria illa, consultationem, Imperium & judicia. Si itaque penes civitatem vel rempublicam est jus consultandi de negotiis publicis, in pace & in bello, jus imperii, id est, leges ferendi magistratusque & ministros constituendi, & denique jus judicia instruendi exercendique, penes eam omnino est summa potestas.

Nec alio redivertit partitio Grotii. Dicit n. 2.

F 6 enim,

enim, qui civitatem regit. id facit vel per se, vel per alios.

Si per se, tunc versatur

- 1) Circa universalia, condendo abrogandoque leges circa res sacras, unde *jus circa sacra*, circa res profanas, unde *potestas legislativa*.
- 2) Circa singularia, eaque vel publica directe, unde *jus circa bellum, pacem, foedera, vestigalia*, item, *dominium eminens*. vel privata, unde *jus exercendi judicia*.

Si per alios id facit

- 1) per Magistratus, unde *jus constituendi Magistratus*.
- 2) Per legatos, unde *jus mittendi legatos*.

Hæc itaque sunt, quæ ex mente Gro-
tii summam potestatem constituunt. Jam
ergo quaeritur, quid nos ea de re sentia-
mus?

Nos summam potestatem vocamus et-
iam majestatem, imperium summum, su-
prematum, la souveraineté. Jura ex qui-
bus illa constata est, vocantur *jura majo-
restatis*, partes summi imperii, regalia. Ea
sunt vel

- 1) Immanencia, quæ exercentur adver-
sus subditos, & quidem vel circa
 - a) universalia, unde *legislatoria potestas*,
& *jus circa sacra, jus circa tributa*.
 - b) Singularia, unde *judicia*.
- 2) Transcuntia, quæ exercentur adver-
sus externos, & sunt
 - a) vel publica, spectantque vel

ad

in Publicum & Privatum, &c. 127
ad bellum, unde *ius belli*,
pacem, unde *ius foederum & legatos*
mittendi.

β) Vel privata, ut *ius veltigalium imponendi.*

3) Mixta, quo spectant *consultationes*,
sive per comitia, sive per consilia &
senatum, de bello, pace, legibus,
tributis, &c.

Hæc quæ omnia habet civitas, ea gaudet maiestate summoque Imperio.

§. 7.

Jam ergo ad definitionem: Grotius definit illam quod sit, *cujus alicui alterius juris non subsunt, ita ut alterius humana voluntatis arbitrio possint irriti reddi.* e. g. Resp. Veneta, Batavica, collata cum Noribergica.

Sed hanc definitionem multi reprehendunt, 1) quia est negativa. Negative autem nihil recte definitur. e. g. si dicam, me non esse Eliam, nemo sciret, quis simus & si dicam animam esse substantiam immaterialem, nemo sciret quid sit, sed quid non sit, nempe quod non sit materia.

2) Quia ea quadrat etiam Adamo, & homini in solitudine viventi, qui tamen non est imperans.

Hinc rectius ita definiemus summam potestatem, quod sit *facultas omnium ordinandi civitatem cum omnibus suis partibus ad suum finem.* Conf. HERT. Elem. Politic. Part. I. Sect. 6. n. 3.

Illud autem summæ potestatis attributum, quod Grotius in definitione posuit, nempe, *quod alicui summa potestas alicuius juris*

juri non subsint, nec alterius humana voluntatis arbitrio irriti fieri possint, potius est axioma ex definitione fluens, quam ipsa definitio. Id tamen intelligendum.

- 1) non de ipso imperante, nec
- 2) de ejus successore, sed
- 3) de exteris.

Sed hic elegans oritur quaestio: an successor possit mutare actus antecessoris? Adfirmat Grotius. Sed id cum grano salis accipiendum. Nam 1) distinguenda inter successorem universalem & singularem, qui per modum electionis rerum potitur. De hoc certum est, quod non tenetur stare actis antecessoris, & hinc omnia privilegia, ipsosque contractus revocare possit, quia resolutio jure dantis, resolvitur jus accipientis. Hinc quia hoc incommodum est: plerumque ordines regni vel provinciae capitulatione quadam obstringunt novos Imperantes, ne quid immutent. Contra, quod ad successores universales attingit: illi vel versantur circa actum unilateralem, vel circa bilateralem. Circa illum omnia licent, e. g. leges abrogare, nova tributa imponere &c. Circa hos non perinde, quia alteri jam est jus acquisitum. Hinc magnae turbae sequuntur, quum Rex Prussiae feuda mutaturus esset in allodia & loco servitiorum militarium exigeret canonem annuum. Inter dominum enim & vasallum est contractus, a quo dominus invito altero discedere, & huic jus acquisitum auferre nequit.

Ex eo jam patet, quoniam civitates gau-

gaudeant jure summæ potestatis? Quæ omnes partes reip. ordinare possunt ad communem finem. Si ergo quæras, an Belgio foederato sit summa potestas? Resp. esse. Si quæstio sit de Belgio Austriaco, negamus.

Sed hic cavendum, ne summam potestatem negemus n. 1.

1) Regnis sub uno capite consociatis, e. g. Hungariæ, Bohemiæ, Croatiæ, Transsylvaniæ, Siciliæ, Neapoli. Quamvis enim in his regnis nihil fiat, sine voluntate Imperatoris: tamen non sunt provinciæ Germaniæ.

2) Systematibus civitatum, e. g. Helvetiæ, Belgio foederato. Quamvis enim in quibusdam reliquorum consensu opus sit: non tamen hæc est subjectio, sed foedus.

Qu. porro, quodnam sit summæ potestatis subjectum? Resp. illud vel commune est, vel proprium. Subjectum commune est, totum in quo attributum aliquod est: proprium pars, cui præcise inhæret. Sic e. g. ratio est in homine tamquam in subjecto communi: sed præcise non est in toto homine, verum in mente, quæ adeo est subjectum proprium. n. 3.

Eodem modo subjectum summi imperii est civitas vel resp. a nemine dependens, sic e. g. dico Galliam, Frisiam, Hollandiam gaudere summo imperio, sed quia tamen non omnes factores, sutores & rustici illud exercent, hinc subjectum proprium in Gallia est Res, in Frisia & Hollandia ordines,

n. 1. 2.

Hic ergo incidit maximi momenti quæstio: quid sentiendum sit de hypothefibus monarchomachorum? De quibus nonnulla præmittenda sunt generalia.

Vera politica & magistratus s. imperantes, & populum instruit, & utrisque præscribit sua officia: quemadmodum ethica omnibus hominibus. Sed saniozem politicam, quæ Christi verborum memor tribuit Cæsari, quæ sunt Cæsaris, Deo, quæ sunt Dei, dux turbant sectæ pestilentissimæ, quarum altera dicitur Machiavellismus, altera Monarchomachismus.

I. Machiavellismus ita dicitur a NIC. MACHIAVELLI libello *de Principe*, quo ille docet obligationem inter Principem & populum non esse reciprocam. Populum enim obligatum esse Principi, non Principem populo, unde illi omnia licere in vitam, religionem, conscientiam & bona subditorum, nec ullum scelus a Principe committi posse, quantumvis Princeps tyrannum agat, quia quod velit Princeps, id pro lege fit. Hæc inquam docet Machiavellus, sed non tam ut hæc principia proponat, quæ detestanda sunt, sed ut conclusiones, quæ inde fluunt, operose explicet.

Quamvis autem ab aliis & a me observatum sit alibi, Machiavellum hæc non serio scripsisse, sed ut principatum Florentinis exolum redderet, quum nemo plus pro libertate passus sit Machiavello. Vid. BAILE dans le dictionnaire historique & critique. *Voce Machiavelle*: facile tamen reperti sunt, qui

quibus illa principia vel in theoria, vel in praxi placuerunt. Sic observarunt viri doctissimi, Carolus IX. Regem Galliae & Philippum II. Reg. Hisp. nec non ejus ministrum Ducem de Alba Imperium plane ad has regulas composuisse. Immo postea eadem principia in crustavit & forma demonstrationis mathematicae in Anglia induit HOBBIUS in libellis *de cive & Leviathan*.

II. Hisce Machiavellistis sese opposuere plures viri docti: sed in his quibusdam contigit, quod ait Horatius:

Scuti, dum fugiunt vitia, in contraria ruunt. Nam dum refellunt Machiavellistas, principibus omnem summam potestatem eripuerunt, eamque soli concesserunt populo, & inde natus est Monarchomachismus, cujus praecipui promachi sunt:

1) FR. HOTTOMANNUS *in Franco-Gallia*, ob quem librum. Ictus maximus e patria profugere cogebatur.

2) STEPH. JUN. BRUTUS *in Vindictis adversus tyrannos, Edinburgi in Scotia primum editis*. Nomen est fictum: hinc liber modo huic modo alii tributus. Fuere, qui ipsum Theod. Bezam, theologum celeberrimum, auctorem dicerent, quem tamen singulari dissertatione defendit GIBBERT. VORTIUS. Sed geminus Auctor est HUB. LANGUETUS, Gallus, ob religionem profugus, & in aula Saxonica & Palatina celebris.

3) ALTHOSIUS *in Politica*. Docuit primum Herborno, inde Ebdam evocatus, tamquam Syndicus vel reip. consiliarius.

VII

Vir doctus, sed omni monarchiæ infensissimus.

4. JO. MILTON, Anglus, qui trucidato a Cromwello & affectis ejus rege patronum egit hujus parricidii, & hinc nata controversia inter Miltonum & Salmasium. Hic primum addidit *defensionem regiam*: sequuta est Miltoni *defensio populi Angl.* Hinc porro prodiit *Salmasii responsio*, & *Miltoni nova defensio*, item *Salmasii Clamor sanguinis regii ad caelum*, & hujus generis alia.

5) SCHELIUS vir in Transsylvania doctissimus & Prætor supremus Tubantum, libellum edidit de *summo imperio*, eleganter, sed improbe tamen scriptum in 12. Hi sunt auctores, qui ex instituto defenderunt Monarchomachismum. Sunt & alii, qui paullo rectius id agunt, ut JO. FR. GROMOVIVS in *Nes. ad Grotium*, JAC. HARLINGTON in *Oceana repl. de Tolando edita Lond. 1700.*

Immo in Anglia etiamnum utraque sede floret, & turbas excitat maximas: Machiavellismus & Hobbesianismus ibi dicitur obedientia passiva: Monarchomachi se vocant *Republiquains*, & obedientiam activam defendere se profitentur. Prodierunt ante aliquot annos duo libri de historia Anglicana scripti, alter sub titulo *Julian*, alter sub titulo *Jovinian*, quorum illo sub schemate vitæ istius Imp. machiavellismum; hic sub eodem schemate monarchomachismum defendit.

III. Quod ad principia attinet Monarchomachorum, illa hæc redeunt: *Majestatem*

sem esse duplicem, realem & personalem. Illam consistere in complexione omnium regalium, hanc in præminentia personæ præ aliis. Illam esse penes populum, hanc penes regem & principem. Inde vero colligunt, 1) principem ministrum esse populi. 2) Ei resisti posse, si quid contra voluntatem populi audeat facere. 3) Ino cum supplicio adfici posse, si populus velit.

IV. Quæstio itaque est, *an ubique & sine exceptione summa potestas sit populi, ita & c. ut reges, quoties imperio suo male utantur puniri & coerceri liceat?* Ita statum controversiæ format Grotius. Sed Gronovius putat, illum Andabatarum more pugnare, quia nemo id statuat. Qua in re egregie fallitur. Nam omnes Monarchomachi id statuant, quia putant inter regem & populum esse contractum mandati, mandatarium autem teneri rationes reddere mandanti, & obnoxium esse coercitioni, si fines mandati egrediatur. Ipse itaque ita format statum controversiæ: *An populus habens Imperium legitimum, præter regem vel senatum, vel consentiens ordinem, si major, & melior pars consentiat, eam regiminis formam esse perniciosam, puta regem palam degenerasse in tyrannum, senatum in paucos dominos, comitia in confusam turbam seditiosorum hominum, posse illam mutare & auctores mali punire?* Sed id absurdum, quis enim hoc negaverit? Tyrannus vere talis hostis est reip. Hostem vi repellere licet. Adæoque hæc quæstio monarchomacos plane non ferit, sed illa Grotii quam jam merito cum Grotio negamus.

Tri-

Primum Grotii argumentum hoc est : Si homo quisque se potest addicere in servitutem : potest id & populus. At verum est prius. Ex. XXI, 6. E. & posterius. Ex quo porro sequitur, ut servus, qui semel se addixit, non potest resistere domino tanquam domino : ita nec populum resistere posse principi tanquam principi.

Quid ad hæc Gronovius ? Concedo totum : serviant itaque si volunt. Sed Grotium bonus vir non intellexit. Neque enim ejus sententia est, totum populum se posse addicere in servitutem juris gentium, ut omnia acquirat regi : sed argumentatur a majore ad minus. Si quisque se potest addicere in servitutem juris gentium : multo magis populus potest imperanti se addicere in Imperium illimitatum & absolutum, ita ut rex nullo modo a populo pendeat. Hos servire ait Gronovius, sed falso. Nam 1) non se addixerunt in servitutem, sed in imperium. 2) Si Rex sit tyrannus, non est Rex, sed hostis. Dici posset, id incommodum esse. Sed resp. nullam reip. formam esse incommodam. Si imperans bonus est, felices sunt subditi in monarchia etiam illimitata. Sin malus : subditi miseri sunt in rep. etiam liberrima.

2. 3. 5.

Negat porro Gronovius quemquam præsumi tam sui inimicum, ut se vellet addicere in Imperium nullis restrictum legibus. Grotius ergo aliquot causas allegat, quæ eo adigere possint gentes.

1) Si sint ad extrema adductæ, ut videant, sibi esse pereundum, nisi se victoris arbi-

arbitrio permittant. Exempla complura sunt in historia. Grotius adfert exemplum Campanorum. Possunt addi Falisci apud *LIV. lib. 5.* Samnites apud eundem *libro 8.* & alii. Exemplum recentissimum vidit Europa in Catalonia, quæ a foederatis deserta in Hispanorum potestatem pervenit, & deditionem facere coacta est iis legibus, quas vellet victor præscribere. Tristissimum exemplum præbuit universum Imperium Constantinopolitanum a Turcis subactum. Quis quæso dixerit, ibi majestatem ullam remansisse penes populum?

Quasdam gentes ipsa natura impellit, ^{n. 10} idque Grotius illustrat similitudine stupidorum, quos natura servos dixerat. Aristoteles. Ita & gentes quasdam ait esse tam stupidas & barbaras, ut non possint nisi adductissime regnari.

Jam quidem Aristotelicum principium falsum est, si ita intelligatur, quod quidam natura ipso ACTU servi sint: non enim sequitur, hic est me stupidior, ergo est servus meus: admitti tamen potest, si intelligatur de POTENTIA. Stupidos enim qui se sponte regere & alere nequeunt, aptissimos esse ad servitutem, nemo negaverit: quin vix consuli illis posset, nisi ab aliis regerentur, nec magis lenia remedia admittit hominum stupiditas, quam asini, qui sine fuste nihil agunt.

Ita sane comparatae sunt integræ gentes, de quibus vere dixeris, eos esse ingenii servilis, ut in Europa Russi, in Asia gentes fere omnes, quæ tam serviles sunt, ut addu-

ctiss-

Crissima debeant esse eorum imperia. Elegancia sunt exempla Cappadocum, Thracum, Mysorum, Getarum a Grotio allegata. His addendum elegans exemplum Alexandri M. qui devictis Persis, Medis, Bactrianis aliisque gentibus plane ad mores Persarum se composuit, & a pristina sobrietate humanitateque multum remisit. Reprehendunt id scriptores Græci. Sed profecto hic dies aliam vitam, alios mores postulabat. Aliud Imperium requirebat Macedonum, aliud Orientalium genius ad servitutem a natura factus.

3. Tertia causa, cur aliquæ gentes se ultro addiderunt aliorum imperio absoluto est felicitas subditorum. Sæpe enim in hisce monarchiis tanta est subditorum opulentia, pax & beatitudo, ut facile salivam moveat etiam civitatibus liberis, cum perpetuo bello & inopia conflictantibus, ut se addicant ultro. Sic multæ Græcorum civitates liberæ, teste Isocrate in Evagora, se dederunt Evagoræ Regi Cyprorum, nullis licet bellis lacestæ.

Accedit quarta causa, quod corrupta reip. forma gliscentibus bellis civilibus & factionibus aliter consuli non possit reip. quam hujusmodi Imperio absoluto. Hinc Romani, quoties hujusmodi status animadvertebatur, dictatorem creabant. Sed quum hujus semestris tantum esset Imperium, denique id vix sufficit. Hinc Sulla & Cæsari concesserunt dictaturam perpetuam. Et occiso, tanta demum perturbatio rerum omnium esse coepit, ut salva esse non posset

set resp. nisi ab uno regeretur. TACIT.
Ann. lib. 1. cap. 9. Hist. lib. 1. cap. 1.

Ipsi hoc in Anglia experti sunt Monarchomachi. Occiso enim rege aliquamdiu remp. liberam constituerant. Sed gliscentibus factionibus inter parlamentum, exercitus, agitatorés, uti tum vocabantur & alios non aliter videbatur consuli posse reip. quam si uni permetteretur. Et quamvis a regia abhorrentes familia Cromvelli summam rerum deferrent, is tamen sub nomine Protectoris tam libere & absolute imperavit, ut nullus unquam Rex Angliæ.

Quum itaque res causæ esse possint, quæ gentibus liberis persuadere possint, ut se unius Imperio addicant: falsissimum sane est, quod sibi persuasit Gronovius, nullam gentem tam politam fore, ut se alii addicat.

Akerum Grotii argumentum contra Monarchomachos tale est: II, 6.

Si bello justo acquiritur dominium privatum: eodem etiam adquiri potest dominium civile, seu imperium.

At verum est prius, E. & posterius.

• Hinc porro ratioctnamur:

Si bello justo acquisitum imperium, illud sane non semper dependet ab utranco mandato populi.

At verum est prius, E. & posterius.

Sane si magistratus in potestatem Titii bonæ publicat, eaque a Fisco invito Titio eripiantur: quis dixerit, Fiscum illa administrare mandato Titii, & hinc nihil posse Fiscum, nisi consentiente Titio?

Jam

Jam quod in civitate est poena : id extra civitatem est bellum. Quis ergo dixerit, principem provinciam justo bello in-
vitis ereptam administrare mandato provincialium?

Quid ad hæc Gronovius? Iterum concedit totum. Nam certe inquit, plus licet in populos bello subactos, quam qui creaverunt regem.

Sed resp. Ita Gronovius non impugnat Grotium, sed tantum suam thesin defendit, quod tyranno possit resisti, quod nemo unquam, & nec Grotius quidem negavit.

Videamus itaque tertium Grotii argumentum:

Si rex nihil potest sine populo, & hic jus habet regem coercendi & puniendi: idem jus populus quoque habebit in Aristocratia, imo & in Democratia; nam nec in hac femina inopes, adolescentes a deliberationibus publicis excluduntur.

Ac posterius falsum esse dicunt monarchomachi, ergo & prius falsum erit.

Gronovius quidem dicit, se non videre, quid hoc argumentum concludat: sed concludit per multum. Scopus enim Monarchomachorum est, explodere formam reip. monarchicam, tanquam minus convenientem rectæ rationi, & contra commendare formam aristocraticam vel democraticam. Ergo acute ostendit Gronovius, monarchomachorum argumenta etiam has formas movere, & hinc esse falsa. Et sane fingamus Venetiis factores, futores, nautas dicere,

re,

re, senatum Venetum, esse mandatarios suos: illos male administrasse reip. & hinc amissas esse Cyprum, Candiam, Moream, & tot alias Insulas, se velle homines illos coercere, & punire. Quid respondebit monarchomachus? an non item licebit adversus nobiles, quod adversus reges?

Fingamus porro Athenis, ubi pura erat democratia, feminas, nautas, adolescentes, qui ad comitia non admittebantur existimasse, reliquum populum Atheniensem esse mandatarium suum, & quum sæpe tam male reip. consuluerit, a se esse coercendum, quid respondissent monarchomachi? an non idem parti a reip. administratione exclusæ licebit adversus coararios, fabros, oenopolas, quod in monarchia populo a reip. administratione excluso licet adversus reges?

Hinc argumentum Grotii omnino est maximi momenti, & tanto diligentius inculcandum iis, qui in libera rep. vivunt, quo procliviores ibi homines incauti esse solent in monarchomachismum. Conf.

AMPL. HUBERI diss. 1. lib. 2. edit. nov.

Quartum Grotii argumentum:

n. 7.

Si populi non minus addictos sibi habere populos, quam regibus: sequitur, ut rex non sit nudus mandatarius, sed imperans.

At verum est prius, E. & posterius.

Prius innumeris constat exemplis. Populus Romanus nulli regi obnoxius sub se habuit populos Latinos, Gallicanum, Hispanicum, Græcum, Syriacum, &c.

Hein. de Jure Belli, &c. G Aut

Aut ergo ipse quoque populus Romanus fuit nudus mandatarius horum populorum: aut falsum est, reges esse mandatarios populi sui. Prius nec ipsi dicent Monarchomachi. Et exempla sunt. populum Romanum invitis provincialibus de provinciis suis disposuisse. E. iidem monarchomachi concedere etiam tenebantur, regem non esse mandatarium.

Argumentum hoc tam clarum est, ut vel solum evētat monarchomachorum *φλασερίας*. Quid autem ad illud Gronovius? Illud plane pervertit, ac si ita argumentatus esset Grotius:

Si populi habuerunt non minus sibi addictos populos quam regibus, & ab illis sunt dono dati aliis regibus, sequitur, ut nullum jus sit populo, regem potestate male utentem coercere.

Et tum respondet. Nulla prorsus hæc est collectio. Sed ita non collegit Grotius, sed Gronovius, qui illum vel non intellexit, vel intelligere noluit.

n. 8. Quintum argumentum Grotius desumit a testimoniis sacris & profanis, de jure regum. Nam

1) Provocat ad Deut. XVII, 14. Si dixeris: statuam supra me regem, ut alie gentes circa me: illum statues regem supra te, quem Dominus Deus tuus elegerit. Unde ergo colligit Grotius, Deo non displicere regium imperium, adeoque illud non repugnare recte rationi?

2) Quum eligerent Israelitæ regem, iustit

justit Deus ut Samuel Israelitis proponeret jus regium, idque recensetur, 1. Sam. VIII. 11. sequ. Si id ergo est jus regis, sane id non repugnat rectæ rationi.

3) In S. S. reges passim dicuntur uncti domini, electi a domino, constituti a Deo super populum. Ergo sane Deus, adeoque nec recta ratio respuit regium imperium.

4) Ipse Christus dicit: Reges gentium dominantur eis. Luc. XX. 25. Nec hoc Christus improbat, sed tantum negat Apostolos ita dominari debere. Quin potius Apostoli Christi, imprimis Paullus, Rom. XIII. omnes hortatur ad obsequium regibus præstandum, iisque non resistendum, E. sane regnum non repugnat voluntati divinæ.

Ita & gentiles & profani auctores philosophati sunt, quorum testimonia adducuntur à Grotio, veluti Senecæ, Plutarchi, Herodoti, Dionis Prusænsis, qui alias dicitur Chrysostomus, Pausaniæ Melfenici. n. 9. 10

Aristotelis locus est magni momenti ex 3. Pol. 14. Leges quosdam esse cum eo jure, quod alibi habet ipsa gens in se & sua. Ex eo enim intelligimus, quid sibi velint jura nostra, quum dicunt populum R. lege regia omne imperium & potestatem ei, scilicet principi, & in eum concessisse, §. 6. I. de J. N. G. & C.

Quid ad hoc Gronovius? Respondet

1) His non tolli jus populi. Immo omnino tollitur. Cui enim quis non renunciavit, id non habet.

2) Populus regi non plus potuit dare, quam habuit. Recte ergo si dedit, quod habuit, rex non subest populo.

3) Populum nunquam habuisse jus se ipsum extinguendi, aut in corpus suum saviendi injuste, ergo nec regi id dari potuisse. Resp. Concedo totum, rex qui populum extinguit & injuste savit, non est rex, sed tyrannus, & de hoc non est quaestio.

4) Testimonia hæc testari de abusu, seu de facto, non de jure. Resp. Immodum Deus hæc probavit, non de facto sed de jure testatur.

5) Reges fuisse supra populum, uti cons. Romanos, Resp. Est hæc petitio principii. Hi enim eligebantur a populo: non autem omnes reges eliguntur: hi legibus tenebantur, reges ipsi leges ferunt.

6) Misere explicat dictum Christi: Reges gentium dominantur eis: quasi sensus sit, esse eos superiores gradu & dignitate. Siccine dominari est superiore dignitate esse? Quis hoc unquam somniavit? Et cur Paullus monet, iis non resistendum esse? Exemplum videmus, quomodo & viri docti cœcutiant, si semel præjudicatæ opinioni, tanquam glebæ adscripti sint.

¶. II. Neque tamen hæc de omnibus regnis vera sunt: sed sunt quædam.

1) In quibus rex nudum nomen habet regis, re ipsa omnia agit populus solus. Talis olim fuit rex Atheatales, Lacedæmonij reges, talis hodie dux Venetus.

Hos

Hos proprie reges & principes esse negamus, & ab iis non magis concludendum ad veros reges & principes, quam a regulis sacrificulis Rom.

2) Qui ad tempus suprema potestate funguntur: uti Amyones apud Cridios, Dictatores apud Romanos. n. 12.

Poterantne hi coerceri? Respondent monarchomachi: quis negaverit? Et inde colligunt, & reges teneri ad rationes populo reddendas. Nos contra. Dictatores non poterant coerceri durante magistratu, erant enim sine provocatione constituti. Quia ergo monarchomachi a dictatoribus argumentantur ad reges, licebit & nobis eodem modo argumentari:

Si dictatores non poterant coerceri aut puniri, quamdiu erant dictatores: nec reges erunt coercendi, quamdiu reges.

At prius verum est. E. & posterius.

Hactenus Grotius argumenta quaedam opposuit monarchomachis: quibus & alia subjungi possint, in primis ab absurdo: quod ex mente monarchomachorum rex sit subditus subditorum, & subditi imperantes imperantium: sed progredimur ad argumenta monarchomachorum: n. 13.

1) Ita argumentantur

Constituens superior est constituto.

Populus ratione regis est constituens.

E. populus est superior rege constituto.

Sed 1) negamus majorem, & distinguimus inter constitutionem cujus effectus perpetuo a constituente pendet, & eam quae

G 3 cum

cum renunciatione conjuncta est: de illa verum est axioma, e. g. in principe constituyente ministro: in patre filiis constituyente pædagogum &c. De hac falsum. Nam sic e. g. is qui se venundat in servitute ratione dominii est constituens, an ideo domino est superior? Cardinales constituunt Papam, canonici Episcopum, an ideo sunt superiores?

Notetur elegans exemplum allegatum a Grotio de Valentiniano.

2) Negamus etiam minorem. Nec enim usquequaque verum est, omnes reges constitui a suo populo. Nam quatinvis consensus populi semper adsit, ille tamen sæpe est vi sive justa sive injusta extortus. Sic e. g. Græci nunquam super se constituerunt imperatorem Turcicum: Israelitæ nunquam constituerunt Imperatores, nec Herodem, & tamen eos reges & imperantes suos agnoscere tenebantur.

Gronovius hanc responsionem putat petere principium: idem negat, quemquam regem non constitui a populo. Sed quod ad prius, denuo confundit regem & tyrannum. Posterius misere probat ex doctrina quasi contractus. Quasi talis quasi contractus fingi possit inter victorem & victos, hos toleraturos victorem, sed si non suo arbitrio imperet, se sibi reservare jus regem victorem capite plectendi. Elegans philosophia!

Alterum argumentum:

n. 24. 25.

Omne regimen eorum, qui reguntur, causa est comparatum.

E. &

E. & necis regimen E. ii qui reguntur, i. e. populus rege est superior.

Sed primo falsum est axioma: O. regimen est eorum, qui reguntur, causa comparatum. Nam sunt 1) regimina, quæ regentis causa comparata, ut servile. Sunt 2.) quæ utriusque causa, e. g. maritale. Ita & regna quædam, immo omnia saltem utriusque causa comparata esse debent.

Deinde falso inde colligitur, populum esse superiorem rege, si vel maxime concedamus populi causa eum regnare. Nam damus cum Grotio instantiam: Tutela pupilli causa comparata, nec tamen ideo pupillus est superior tutore.

Quid Gronovius? 1) negat dari societatem solius regentis causa constitutam. Nam & servilem respicere salutem servi, quia fervetur: sed confundit Gronovius modum constituendi societatem cum ipsa societate. Et quid si dominus servum emit? 2) Negat victa regna ad solam utilitatem victoris pertinere. Nam Deum aliud velle, sed unde hoc novit? An Israelitæ Dei auspiciis bella gerentes mitius habuere gentes devictas, quam alii populi?

Ultimum argumentum monarchomachorum: n. 16.

Si ob peccata regum Deus sæpe punit populum, sequitur, ut peccet populus, nisi regem coerceat.

At verum est prius, E.

Antecedens probat ex 2. Sam. XLIX. 11. 2. Sam. XXIV. 10. Sed recte respondet Grotius, 1) populum non puniri ideo, quod

G 4 regem

regem non coercuit, (id enim verbum Dei non patitur) sed quod consensu participes facti sint hujus delicti. 2) Pœnam rêvera fuisse regis, dum orbaretur subditis, vel ii bonis exhaurirentur.

§. 9.

n. 1. 2.

Jam ad alteram sententiam monarchomachorum paullo mitiorem progreditur Auctor. Rigidi enim plane regem subjiciunt populo. Mitiores populum regi, regem populo subjectum esse docent. Nimirum aut recte imperare regem, tunc populum subjectum esse regi: aut male, tunc regem subjectum esse populo.

Sed resp. 1) Hoc denuo monstruosum est, regem esse regem & subditum subditorum, subditos reges regis.

2) Aut per male imperantes reges intelligunt tyrannos, aut reges non per omnia ad voluntatem populi imperantes. Si prius: non dicendum est tyrannos esse subjectos populo, sed esse hostium loco, & hinc in eos tanquam hostes omnia licere. Sin vero intelligunt reges non per omnia populo obsecundantes: profecto injustissimum esset regem subjicere populo iudicio, quum facile actiones innocentissimæ displicere possint populo.

Videmus ex multis exemplis, populum sententiam tulisse de regibus optimis & innocentibus. Quasdam actiones regum esse dubiæ interpretationis. Videantur *acta de depositionis ADOLEI NASSOVII, Historia Tarquinii &c.*

§. 10.

His præmissis, cautiones quasdam sub-
jungit Grotius de summa potestate obser-
vandas. n. 1.

I. Prima est, non ex titulis judicandum
esse de summa potestate, sed ex re ipsa
& effectu. Nam quamvis vulgo dicant di-
stingui principes & reges, tamen nec dis-
crimen satis perspicue ostendunt, nec ve-
teres id semper observant. Gronovius ait,
principem esse qui dignitate eminet in li-
bera civitate: regem, qui justo imperio
utatur in subditos. Et sane hujus generis
sunt loca ex Jul. Casare, Tacito & Sue-
tonio, & Vellejo allegata.

Et hinc forte est, quod Augustus regis
adspersus nomen princeps dici maluit,
ut existimarent Romani, non se regi pa-
rere, sed liberum esse populum.

Sed quamvis hoc discrimen grammaticè
verum sit, (princeps enim est, qui pri-
mus, qui & sine imperio intelligi potest :)
non tamen ex titulo principis & regis de
summa potestate judicandum. Nam n. 2. 3.

1) Sæpe dicti reges, qui nulla parte
jurium majestatis gaudebant. e. g. Lace-
dæmonii 2. reges habebant. Ii tamen sub-
jecti erant ephoris, quod quidem negat
Gronovius: sed satis certum est ex ipso
Corn. Nepote. Quum enim Pausanias, ut
Nep. in Thraſybulo cap. 3. scribit, esset
Rex Spartanorum, in vincula tamen publica
conjectus est ab Ephoris. Licet enim, inquit
NEPOS in *Paus.* c. 3. legibus eorum cuius
ephoro hoc facere regi. Ita & Germani suos

G 5 impe-

imperantes vocabant reges, quum tamen Tacitus eos auctoritate suadendi magis quam jubendi præfuisse testetur. Mitto alia exempla a Grotio adlata, & id unum addo, quod habuimus §. 8. n. 11. de Theſeo Rege Athenienſium.

n. 3. 2) Haud raro principes vocati, qui abſolutiſſimo utebantur imperio. e. g. Auguſtus & ejus ſucceſſores, Duces veteres Lithuaniz.

3) Sæpe qui inſignibus non utuntur veri ſunt reges, qui utuntur, non ſunt, ſed ſoli principes. e. g. In Ruſſia ante hunc Imp. qui nuper coronam adſumſit Imp. non fuit coronatio recepta, & tamen vere fuerunt reges anteceſſores ejus. Contra Duces Venetorum tanta ſolemnitate coronantur, ut vix ſimilis ſplendor in ullius potentiffimi regis coronatione obſervetur: & tamen non ſunt reges, ſed principes.

n. 4. 4) Non ex comitiis judicari poteſt. Alibi enim illa comitia ſunt merum conſilium publicum, quod Imperans audit, ſi e re videatur. e. g. Ordines provinciales in Hiſpania quos dicuntur *los cortes*. Alibi rex nihil poteſt ſine comitiis, nec comitia ſine rege, ut in Britannia, Germania. Alibi comitia de ipſo rege judicandi ſibi ſumunt arbitrium, e. g. in Polonia ante aliquot annos, quum Regi ſuo Auguſto abrogarent imperium, eique ſurrogarent Staniflaum. Ergo non ſtatim ſequitur: in hac vel illa provincia princeps adhibet in conſilium comitia, ergo non gaudet ſumma poteſtate.

5) Nec

5) Nec denique ex successione judican-
dum. Sunt qui putant imperantes succes-
sivos pollere summa potestate, non au-
tem electivos. Sed id sæpe fallit. Pontif.
Rom. si consideretur tanquam princeps,
eligitur, & nullus tamen regum æque est
legibus omnibus solutus. Lacedæmonio-
rum reges jure successionis præerant, &
tamen ut supra monuimus nulla gaude-
bant parte majestatis.

n. 5.

Quænam ratio? Quia successio non tri-
buit novum jus, sed vetus continuat.
Nec sola electio regi quidquam adimit,
si alias regnum sit absolutum, e. g. Proavus
hodierni Rufforum regis fuit per electio-
nem electus ad imperium, nec tamen mi-
nus herile fuit ejus imperium, quam an-
tecessorum.

Ex quo sane sequitur, ut de summa
potestate, non ex nudis titulis, insignibus
aliisque hujus generis externis judicandum
sit, sed ex effectu.

§. II.

Altera cautio est, ne confundamus jus
supremæ potestatis, & modum illud jus
habendi. e. g. Titius & Mævius possunt
idem jus habere, nempe dominium: sed
ille id habet in perpetuum, hic ad tem-
pus.

n. 1.

Ita & imperantes possunt plures sum-
mam potestatem habere, sed non eodem
modo. Sic. e. g.

- 1) Alii illam habent in perpetuum, ut
reges, alii ad tempus, ut dictatores.
- 2) Alii illud habent jure electionis, ut

Hugo Capetus, rex Franciæ: alii jure
 fuc cessionis, uti ejus successores.

- 3) Alii habent tanquam patrimonium,
 alii jure ususfructus, unde divisio re-
 gnorum in patrimonialia & usufructua-
 ria, de qua §. 12. auctor agit.

n. 2.

Jam quæritur, an qui ad tempus præ-
 sunt, possint dici summam potestatem ha-
 bere? Negant nonnulli, imprimis BOBINUS
de rep. lib. 1. cap. 8. qui ideo & dictatori-
 bus supremam potestatem non concedunt,
 quia ad tempus præerant. Sed hoc recte
 refellit Grotius. Nam

1) Rerum moralium natura non ex
 tempore, sed ex operationibus cognosci-
 tur. Hinc ut vere consul est, qui per men-
 sem saltim consulis partes explevit: uti
 vere servus fuit, qui per momentum in
 servitute justa fuit: ita vere summa pote-
 state gaudet, qui vel per aliquot menses
 ejus jura & partes exercuit.

2) Ea autem jura omnia exercuit di-
 ctator, nam 1) bello & pace agebat om-
 nia, 2) nemini erat obnoxius, 3) actus
 ejus a nemine poterant irriti fieri. 4) Nulla
 erat ab eo provocatio, quamvis id poste-
 rioribus temporibus fuerit mutatum. Unde
 Dion. Hal. observat, Dictatorum eandem
 fuisse potestatem, ac Regum.

n. 3.

Addit tamen auctor exceptionem, Di-
 xerat etiam temporarium imperium posse ef-
 se summum. Objici possent quædam exem-
 pla regum, quibus imperium datum est sub
 conditione, ut liceat illud pro lubitu re-
 vocare, nisi recte & bene imperarent.

Tale

Tale sane fuit regnum Goth. in Hisp. & Vandalorum in Africa, ut docet Procop. VAND. L. & AIMON. in Hist. Fr. l. 2. c. 20. Conf. NIC. HERTII Notit. Pop. Germ.

Sed resp. distingue inter regnum temporarium & precarium. Illud verum regnum est, quamvis ad tempus concessum: hoc non est, quia semper actiones hujusmodi principum subsunt potestati & arbitrio populi, ita ut mutari & ipsi reges coerceri possint pro lubitu.

§. 12.

Jam progredimur ad distinctionem regnorum patrimonialium & usufructuorum.

22. 2.

Regnum patrimoniale dicitur, ubi facultas alienandi & dividendi regnum est penes regem.

Regnum usufructuarium, ubi non est.

Multi hanc divisionem impugnant, & quidem modo ratione vocabulorum, modo ob rem ipsam.

Quoad vocabula monent, quomodo regnum dici possit usufructuarium, quum usufructus expiret morte, nec ad haeredes transmittatur? quum sit servitus praedio non regno inherens? Sed resp. Verba valent sicut numi. Grotius ideo usus est his vocabulis, quia eatenus similia hujusmodi regna sunt usufructui, quod ut usufructuarium non potest libere de re disponere, sed usui debet salva ejus substantia: ita & reges hi non possunt alienare, dividere, donare, &c. Simile itaque ultra suum terminum non est extendendum. **Attamen non**

non abs re monuit THOMAS. *jurispr. div. l. 3. c. 6. §. 135.* commodius regna dici posse fideicommissaria, quam usufructuaria.

Videbimus itaque, quid objiciant alii huic divisioni Grotianæ.

I. Liberi homines non sunt in patrimonio. Liberi homines constituunt regnum, E. regnum non est in patrimonio.

Resp. 1) disting. inter libertatem juris gentium & civilem. Illi opponitur servitus; huic subjectio. Non ergo sequitur, liberi homines jure gentium tales non sunt in patrimonio dominorum, E. nec sunt in patrimonio summorum imperantium.

n. 2.

2) Resp. proprie non dicitur liberos homines esse in patrimonio, sed imperium, quod rex in liberos homines exercet, salva eorum libertate. Eleganter id illustrat Grotius exemplo liberti, qui quamvis sit persona libera, tamen assignari poterat a patre uni ex liberis. Vid. *tit. ff. de adsign. lib.* Non tam libertus alicui dabatur, quam jus patronatus, quod in libertum compete-
 bat.

n. 3.

II. Alt. arg. Quos rex adquisivit bello, eos non sibi, sed populo suo adquisivit. Quos rex populo quæsit: ii non sunt in ejus patrimonio, E. subditi bello acquisiti non sunt in ejus patrimonio.

Sed resp. 1) rex potuit ex fructibus suis aluisse exercitum.

2) Rex potuit sumptibus foederatorum usus esse.

3) Non semper verum est, quod id, quod alterius sumptibus acquisitum, sit ejus, qui

qui sumtus fecit. Hinc multis exemplis constat, regna bello acquisita plane fuisse in patrimonio, victoresque de iis liberissime disposuisse. Huc pertinent regna Spar- u. 4. 5. 6.
tæ, Anaxoræ, Darii successorum Alexandri. Quid ad regni Siciliae & Neapoleos ab Arragoniis acquisiti, quod Alphonsus rex Arragoniæ dedit Ferdinando Notho, qui alias in nullam regni partem succedere potuisset?

Nos id tantum addimus, ipsam S. S. æquitate hujus divisionis agnoscere. Nam Gen. XLIX. ubi Jacobus moribundus provincias Canaanis prophético testamento inter liberos distribuit, addit, *se Josepho præcipuum dare tractum Sichem, quem gladio & arcu suo occupavit.* Adeoque hunc tractum consideravit tanquam patrimonium suum.

§. 13.

Hactenus probatum, fundamento non destitui hanc distinctionem: jam in specie agit de regnis usufructuariis, & docet 2. 2. 2.

I. Ea omnia esse usufructuaria, quæ voluntate populi deferuntur, sive

1) Per electionem. Nam tunc præsumtio est, populum velle ut eodem modo sibi reddatur regnum, quo tradidit.

2) Per pacta, nuptias, foedera. Tunc enim existimatur novo titulo, id est, consensu populi impetare.

Sed tamen excipiuntur aliquot casus. Nam non statim regnum per electionem fit usufructuarium.

1) Si electio sit generalis, & antecessores

fores pleno jure fuere reges, eligentes autem sibi nullam libertatem stipulantur. E.g. In electione Theodori Rufforum Imperatoris.

2) Si regnum pactis vel nuptiis aliisque modis voluntariis adq̄situm, postea bello a subditis moto recuperetur. Sic Catalonia olim multis gaudebat privilegiis, ut aliæ provinciæ Hisp. quæ nullo modo sunt patrimoniales. Ast postquam ab hodierno rege defecerat, & is bello terra marique illato illam recuperavit, omnibus spoliata privilegiis jam non melioris conditionis est quam patrimonialis provincia.

II. Regnum usufructuarium ab imperante non posse alienari. Ratio est, quia dum populus hodiernum Imperatorem ejusve familiam sibi elegit: idem jus sibi reservasse censetur in eum casum, si imperans, ejusve familia regnatix exspiravit.

Sed objiciunt aliquot exempla. 1) Caroli M. & Ludovici Pii, qui regnum inter liberos suo arbitrio diviserunt. Et tamen Franciæ regnum non armis occupaverant, sed Pipinus id voluntate populi fuerat consequutus. Sed resp. a) Regnum quod Pipinus accepit fuisse satis parvum. Complexum enim solam Galliæ & Almanniæ partem. Ast ipse & successores bello adquisivere universam Germaniam, Galliam, Italiam, Hispaniæ & Pannoniæ partem. Potuere ergo factim de his disponere. b) Re vera non libere disposuerunt, sed commendarunt ordinibus hanc divisionem, & hi eam ratam habuerunt in comitiis.

Hinc

Hinc est, quod plures hodie contra P. DANIEL, scriptorem Hist. Franc. celeberrimum probent, regnum Francicum non fuisse hereditarium, sed electivum, quamvis Ludovici filii ex testamento paterno vulgo dicantur successisse.

2) Objiciunt exemplum Ludovici Pii, qui quam Pater Carolus M. Romam adquisivisset, ultronea voluntate populi Rom. tamen hanc urbem Pontifici donavit. Sed resp. 1) negando, Ludovicum id fecisse, reservavit enim sibi supremum in urbem dominium, & Pontificem quasi vasallum habuit. Eleganter id docuit MR. le BLANC in libello gallice scripto *de numis regum Francie*, ubi ex ipsis numis docet, Romam Ludovicum ejusque posteros agnovisse supremos dominos. 2) Aliud est libere disponere & regnam vel ejus partem in extraneum transferre: aliud reddere ei, a quo acceperis. Ast Ludovicus, inquit Grotius, reddidit populo Rom. a quo Romam acceperat. Sed hæc responsio Grotii non magni momenti est, quia Pontifex non est Pop. Rom. Hinc in priore tutius adquiescimus.

§. 14.

Redit A. ad cautelam 2) quam supra §. 11. explicavimus: Non confundendum esse summum imperium cum modo habendi. Et inde elicit duas conclusiones perelegantes.

1) Non omne regnum usufructuarium esse summo minus. Sic usufructuarium esse diximus regnum Hisp. & id tamen summum esse nemo negat.

2) Non

2) Non omne regnum patrimoniale esse summum. Sic e. g. multa provinciæ Germ. ut principatus, comitatus ita sunt in possessorum patrimonio, ut libere vendi & quibuscunque modis in alios transferri possint, e. g. vicina dynastia Jeverensis, quam ultimus comes Oldenburgicus domui Anhaltinæ legavit testamento; Confer. BURCARD. GOTTHELF. STRUVII. *Diss. de allodii imperii* pereleganter scriptam. Quis autem dixerit, harum provinciarum possessores gaudere summo imperio?

§. 15.

n. 1. Idem discrimen inter summum Imp. & modum habendi declarat porro exemplo regnorum tutelarum. In patrimonialibus enim ipse princeps tutorem dat liberis, quemcumque vult, in usufructuariis vel lex dat tutorem vel populus.

Hinc cum condito testamento rex Gallia Ludovicus XIV. tutorem, ut putatur, regi hodierno dedisset Ducem Cenomania (le Duc de Maine) tutela a parlamento nihilominus credita Duci Aurelianensi, nec ratum habitum est testamentum regis, quia regnum Gallia est usufructuarium. Et Henricus IV. Imp. quum filio Henrico V. tutricem constituisset Agnetem matrem, tantum abest, ut principes hoc ratum haberint, ut potius pupillum Imperatorem Colonia in navem pellectum matri eriperint, & Annonia Archi-Episcopi Coloniaensis tutelæ crediderint.

n. 2. Porro monet, non confundenda esse regna patrimonialia cum iis, ubi ipsi fundi
ia

in dominio regis sint, quale Ægyptiacum fuit tempore Josephi regis: & Indica regna teste DIONORO SIC. lib. 12. Addi posset insula Severambes, quæ ab Auctore de l'histoires des Severambes ita describitur, quod omnia sint regis, isque solus alat liberos suos. Sed ea fabula est, in qua jam alii atheismum latitare animadverterunt.

Sed cur putat auctor regna patrimonialia & hæc esse distinguenda, quum tamen utraque sint in patrimonialibus? Resp. 1. In regnis patrimonialibus imperium est in patrimonio, in his ipsæ privatorum possessiones. 2) In illis imperans utitur dominio eminente, sed non nisi in extremo necessitatis casu, in his gaudet etiam dominio simplice. 3) Illa imperia sunt civilia; hæc herilia, quia populus nihil habet proprium.

§. 16.

Explicatis supra duabus cautelis, jam sequitur tertia: Non desinere summum imperium, si imperans aliquid vel Deo vel subditis per pacta promittat. Respicit auctor ad notissima exempla, Trajanus imperium consequutus caput & dextram suam Deorum iræ consecrabat, si sciens fefellisset. Ita & Hadrianus Imperator juravit, se senatorem non occisurum. Quæritur, an ideo non penes illos fuerit summum imperium? Resp. omnino fuit. Nam 1) nudum promissum non tollit superioritatem & imperium, si quis ipsi imperio non renunciavit, quod exemplo patrisfam. & mariti declarat Apator.

2) Plerumque hæc promissiones ita com-
para-

paratae sunt, ut ad eas jam tum obstricti sint imperantes. Sic sane obligatus fuit Trajanus, ne sciens falleret, Hadrianus ne senatores occideret. Juri vera Gentium & legibus divinis parere & imperans potest salvo summo imperio.

n. 2. Sed hic aliquot quaestiones solvendae.

1) An non autem imperium summum saltem restringitur, & arctius quodammodo redditur hujusmodi permissionibus, quae ad imperium pertinent, & ad quas imperans alioquin non tenebitur? e. g. dum rex Franciae se in causis civilibus subjecit parlamento.

Resp. restringitur omnino, sed non nisi quoad eam partem, de qua promisit, e. g. Regis Galliae non ulterius restrictum est imperium, quam quoad jurisdictionem illam prorogatam, cetera absolute rex est.

2) Quale jus nascitur ex hujusmodi promisso? Aut aliquid agit Princeps, quod se non acturum promisit, tum actus est injustus, e. g. Hadrianus si occidit senatorem; aut agit aliquid, cujus agendi facultati ipse per pacta & promissa renunciavit, tunc actus est nullus, e. g. si rex Poloniae tributa imponeret Polonis, inauditis comitiis.

Sed objici posset. Si actus contra promissa a rege suscepti sunt injusti vel nulli, sequitur ut habeat rex superiorem, a quo ejus actus puniri & nulli reddi queant. Et quem alium nisi populum? E. recte sentiunt Monarchomachi, qui regem populo subjungunt. Sed resp. Grotius, actus hos non irri-

irritos fieri a superiore, sed ipso jure, quæ non & jus superiorem supponat. Ergo potius respondemus, concedendo totum argumentum. Facile enim largimur, principem habere superiorem, puta Deum, ejus lex actus contra promissa susceptos injustos & nullos pronunciat. Nullum ergo hic monarchomachis præsidium.

Id omne illustrat Grotius elegantissimis exemplis Regum Persiæ, Ægyptii, Hebræorum, quibus demonstrat, tertiam cautelam esse veram, promissa a regibus facta non obstare summo imperio.

Quæritur, an summo imperio obster- clausula commissoria? Vocant Jcti clausulam commissoriam, si pactis adjicitur conditio, ut si illa non impleatur, pactum nullum sit. Hinc quæritur, si subditi eligentes regem eum adstrinxerint certis pactis, uti e. g. in Germania Capitulatio, in Polonia pacta conventa nota sunt, si que pactis adjecta clausula, si rex non ex pacto regnaturus sit, illum ipso jure regni juribus excidere debere, an non eo ipso imperium desinat esse summum?

Et resp. neg. Summum enim est, quod superiorem non agnoscit. Ast imperans hujusmodi superiorem non agnoscit, E. habet imperium summum.

Objicitur, atqui hic omnino imperantem habere superiorem populum, quia ab eo possit regno privari, si pactis non satisficiat. Sed id falsum. Ipse imperans se regno privavit, dum pactum hoc iniit. Non privatur in poenam a superiore, sed privatur

Ex pacto a compasciscentibus. Rem illustrabimus similitudine. Si princeps cum architecto paciscatur, & hic principi promittat se edificaturum ei palatium, si pecunia intra annum solvatur, pactum nullius valoris fore. An tunc si architectus spe sua frustratus pactum irritum esse dicat, principem punit, tanquam superior?

¶ 101

Idem alio simili declarat Grotius. Si quis fideicommissum possidet, an non est dominus? respondetur omnino. Sed tamen eo extincto fundus devolvitur ad fideicommissarium heredem ob clausulam fideicommissariam. E. non potest alienare. Resp. nihilominus dominus est per vitam, quamvis modus habendi sit talis, ut non possit pro lubitu feudum in alium transferre. Ita & imperans qui cum clausula commissoria regnum est adeptus, verus imperans est, quamvis modus habendi sit talis, ut regno excidat ex pacto, si non ex pacto imperet.

§. 17.

Sequitur quarta cautela: Summum imperium esse indivisum, & tamen dividi posse sive in partes integrales quoad provincias, sive quoad partes subjectivas, id est, ratione regalium vel jurium majestatis.

1) Ratione partium integralium multa exstant exempla in Rom. historia. Sic e. g. Constantinus inter tres filios divisit imperium, & Theodosius M. inter duos. Ita Hispaniæ sæpe tot præluere reges, quot ejus erant provinciæ.

2) Ratione jurium majestatis, si populus quedam majestatis jura sibi reservet, quod

quod fit 1) vel expresse, si hujusmodi leges
sunt, quibus jura majestatis dividantur, ut
in Britannia, 2) vel per modum præcepti
imperanti ante imperium injuncti, uti in
Germania per capitulationem.

Sed hic multa merentur animadversio-
nem. Nam...

1) Verum est imperium dividi posse
per partes integrales, sed tunc non sum-
mum imperium dividitur, ita ut ex uno
summo fiant duo semiplena, sed provin-
cia dividuntur, & in utraque manet sum-
mum imperium,

2) Falsum est, imperii vel majestatis
jura dividi posse inter principem & po-
pulum, nam tunc statim esset resp. in rep.
si pars imperii penes principem, pars po-
pulum esset. Hoc autem est monstrum po-
liticum, horrendum, ingens, cui lumen
ademptum. Id potius dicendum, jura ma-
jestatis communicari posse inter principem
& populum, ut Princeps certa jura im-
perii non exerceat sine ordinibus, nec or-
dines sine principe.

3) Falsum est id fieri per modum legis
vel præcepti, sed semper fit per modum
pacti. Paciscitur populus cum principe,
antequam imperio potiatur, se illi parituru-
rum, si hoc vel illo modo imperet. Talis
est Capitulatio Imperatoris, talia sunt pa-
cta conventa Polonorum, & omnes reli-
quæ pactiones, quæ abusive dicuntur le-
ges fundamentales.

Sed quærit porro Grotius, an hæc im-
perandi forma admittenda sit? Negant

Ma-

Machiavellistæ & Hobbesiani, & multa recensent incommoda, quæ non possint non ex hac communicatione jurium majestatis sequi. Sed Resp.

- 1) Illi supponunt divisionem regalium, qualis non est communicatio.
- 2) Omnia Imperia obnoxia sunt suis incommodis.
- 3) Machiavellistarum absolutum Imperium multo est incommodius.

§. 18.

n. 1.

Quum hætenus egerimus de rebus pub. in quibus jura majestatis inter principem & populum sunt communicata, jam porro Grotius monet, cum istis non confundenda regna absoluta, ubi rex acta sua a se natu ratihaberi jubet. Sic e. g. de regibus Franciæ dici solet, quod in perpetuum sint minores. Et hinc nec alienare quidquam, nec aliquid agere possunt magnæ rei, nisi accedat parliamenti confirmatio. Queritur itaque, an in hujusmodi regnis vel communicata vel divisa sint jura majestatis?

Resp. neg. Nam 1) hæc confirmatio, inquit, non petitur, quasi alioquin actus esset irritus, sed ne quid falsum pro vero obrudatur.

n. 2.

Illustrat id Grotius simili a testamentis desumpto, ubi testator sæpe addit clausulam: se nolle ut posterius aliquod testamentum valeat. Quo ipso non sibi facultatem eripit testator, condendi testamentum, sed indicat, non pro suo habendum, si posterius reperiat. Hinc si contra certo

certo constat, eum id testamentum condidisse, nemo dubitat, quin posterius deroget priori. Ita & princeps, dum exigit confirmationem senatus, non indicat, sine hac confirmatione actus suos esse irritos, sed eos non temere pro suis habendos, nisi ea sollemnitas accesserit.

Uti soleo hac illustratione. Non valent rescripta & privilegia nisi subscripserit præter Principem cancellarius & secretarius: an ideo inter principem, cancellarium & secretarium jus illud majestatis concedendi privilegia est communicatum, aut plane divisum?

2) Adde quod plerumque sub hac confirmatione lateat arcanum politicum, magis ad firmandam quam imminuendam majestatem comparatum. Solent enim principes eo uti, si quando ipsi acta sua irrita fieri cupiunt. Sic e. g. Franciscus I. Rex Galliarum a Carolo V. captus, pertæsus captivitatis multa promisit, e. g. se summam pecunie ingentem soluturum, juri in ducatum Burgundicum, Mediolanensem & Comitatum Flandrensem renunciaturum, &c. Dimissus vero horum nihil præstitit, causam interserens, pactionem hanc a parlamento suo non esse confirmatam, Regem Galliarum esse perpetuo minorem, & hinc nec pacisci, nec alienare posse. Conf. L. BARDI DANKELMANN *diss. de pallio principis captivi*.

§. 19.

Hinc porro quaerit auctor, quid de formis rerum mixtis sentiendum?

Tres sunt reip. formae simplices, Monarchia,

Idem de Jure Belli, &c.

H

chia,

chia, Aristocratia & Democratia. Est enim summum imperium vel penes unum, vel penes plures, vel penes omnes.

Polybius autem, quem & alii sequuntur Politici, dicit, has formas interdum misceri, & hoc demonstrat exemplo reip. Rom. ubi Coss. Monarchiam, Senatus Aristocratiam, populus Democratiam representavit.

Hinc quaeritur, an vere dentur mixtae resp. Idque multi cum Grotio negant eo argumento, quia non possit simul summum imperium esse penes unum & penes multos & omnes. Si enim esset penes unum, non esset penes multos, & vice versa. Deinde negant Reip. Rom. formam fuisse mixtam, sed mere popularem vel democraticam, quia & consules & senatus fuerint subiecti populo.

Sed potest tamen haec Polybii doctrina omnino defendi, si distingues inter materiam imperii & formam administrandi. Materia summi Imperii sunt jura majestatis, & haec non possunt esse penes unum & plures: & eatenus non datur resp. mixta.

Forma administrandi in eo consistit, ut ea jura majestatis non unus solus exerceat, vel unus cum multis & omnibus: & tunc resp. illa dicitur mixta. Hinc eatenus omnino mixta dicitur Romana, quia nec consules sine Senatu, nec senatus sine populo, nec populus sine Coss. & senatu quidem rite facere poterat. Qualis fere forma etiam in Britannia observatur.

Porro quod ad monarchiam in specie attinet: illam non esse unius generis, Aristoteles observat. Sed quum hujus doctrinam non satis plene proposuerit Grotius, eam suppleré javabit ex 3. Pol. 16. & 11. Dividit Aristoteles regna

1) In heroica, ubi rex omnia agit sub fragiis populi. Qualia fuerunt regna Græcorum, quorum meminit Homerus, unde etiam heroica vocantur. Hodiernum tale quid observatur apud Cosacos, de quibus in libello: *Novus status Russia.*

2) In Barbarica, ubi rex utitur subditis pro servis, unde & alias despotica & hecilia vocantur. Talia sunt in oriente fere omnia, ut & Maroccanum, Russicum.

3) In Æsymnetica, ubi rex tantum ad certum tempus in periculo constituitur, eoque finito res ad libertatem redit. Tales fuerunt Dictatores apud Rom. &, ut videtur, Judices apud Hebræos.

4) In Lætónica, ubi tempore pacis rex ordinarius est præses reip. tempore belli summum imperium obtinet. Tales fuerunt reges Spartanorum, & CONRINGIUS in *diff. de regno* et refert Gubernatores in Belgio, quamvis minus accurate, quia gubernatores ibi nullo modo tanquam imperantes, sed tanquam primi reip. administrati considerantur, & in bello non alio jure imperant, quam alii supremi belli duces.

5) Περβασιεία ubi rex solus omnia agit, salva populi libertate, salvoque epique rerum

suarum dominio. Eo enim ipso *αμβασιλεία* differt a regno barbarico vel herili.

Sed præcipue quæritur, an dentur hujusmodi *αμβασιλείαι*? Et resp. dari, idque ex auctoribus probat de Persis, aliisque Orientalibus.

n. 2. Quin probat & regnum Hebr. fuisse *αμβασιλείαν*, idque 1) ex jure regio, quod Samuel refert. 2) Ex verbis Psalmi: *Tibi soli peccavi*. 3) Ex testimonio Rabbi Bar Nachmon, quod nulla creatura iudicet regem, sed Deus benedictus.

Objici posset: aut regem ex Rabbidorum sententia potuisse flagris cædi, si adversus legem peccaverit. Sed resp. 1) id non posse probari, nisi ex Rabbidorum testimonio. 2) Addunt, illa flagra infamia caruisse, & ab ipso rege sibi eam dictam sententiam, qui & modum his flagris pro arbitrio statuerit. Ergo non fuere poena. Poena enim non est malum passionis inflictum a se ipso, sed a superiore. 3) Revera ea fuit poenitentia ecclesiastica, uti loquuntur Canonistæ. Conf. SCHICKARDI *liber de jure regio Hebraeorum*.

n. 3. Objiciunt porro, summam potestatem in regno Hebr. fuisse penes Synedrium. Et ipse Grotius concedit, illud synedrium exercuisse quædam judicia, quibus ipse rex præesse non potuerit. Idque probat 1) ex locis SS. ubi iudices vocantur *Dii*, & iudicium eorum Dei esse dicitur. 2) Ex testimoniis Rabbidorum distinguendum inter res Dei & res regis, & illas a synedrio independentem a rege fuisse decisas,

fas, affirmantium. 3) Ex verbis regis Jerem. XXXVIII, 5. ad proceres: *Ecco Jeremias in potestate vestra, nam contra vos rex nihil potest.*

Enimvero falli hic Grotium certissimum est. Nam 1) si synedrium independentem habuisset judicandi facultatem, Hebræorum regnum fuisset omnium monstruosissimum, & resp. in rep.

2) Non solum synedrium, sed omnes judices dicuntur Dii, & Dei judicium administrare.

3) Rex etiam absolute imperans potest dicere: Rex contra vos nihil potest, id est, argumenta vestra tam firma sunt, ut iis resistere nequeam.

4) Quod palmarium est, JO. CLERICUS in appendice ad Comm. in libros historicos V. T. singulari dissertatione demonstravit, & fere evicit, ante captivitatem Babylonicam nullum apud Judæos fuisse synedrium, sed inventum hoc esse recentius.

Contra jam demonstrat exemplis variis, dari etiam regna quæ non sint *καυβασιαι*. Demonstrat id exemplis n. 4.

1) Macedonum, de quibus Arriani & Curtii testimonia adducuntur.

2) Gothorum & Germanorum, de quibus TAC. *de mor. Germ.*

3) Regnum Romanorum, de quibus ante n. 5. 6. omnia conferri meretur DIONYS. HALIC. *Lib. II.* & ficta ibi oratio Romuli de instituenda nova rep. Ubi simul comparatur status popularis Romanorum, cum regno.

4) Atheniensium, de quibus Isocratis

H 3 testi-

testimonium expendendum. Sed in his nobis licebit esse brevioribus, quia exempla illustrent, non probant.

S. 21.

2. 1. His de natura summi Imperii præmissis, quæstiones quasdam tractat auctor, quarum prima est

I. An summum imperium habere potest is, qui inæquali foedere tenetur?

Fœdus est pactum inter summos imperantes vel resp. initum. Quamvis autem in pactis semper paciscentes concipiuntur tanquam pares: ipsum tamen fœdus in æquale & inæquale dividi solet: id verò duplici modo intelligitur, vel

1) Ratione præstationum, e. g. dum fœdus ineunt potentior & impotentior, & hic illi 6. millia hominum; ille huic 20000. in auxilium promittit. Tale fuit fœdus inter Regem Galliæ & Electores Baviariæ & Coloniarum.

2) Ratione subjectionis, si per fœdus alter fœderatus alteri se ad certum quoddam onus ab imperio summo alias alienum adstringit: e. g. ad tributum, ad evacuanda alteri munimenta & fortalitia. Et tunc hujusmodi fœdus inæquale est vel perpetuum & temporarium.

a) Perpetuum. Sic in fœdere Rom. cum Ætolis erat, ut Ætoli agnoscerent Romanam majestatem: in fœdere Michaelis Wiesznowvski, Reg. Pol. cum Tartaris, ut Poloni annum tributum solverent.

b) Temporarium, si per aliquod tempus, e. g. durante bello, alter ab altero sibi

sibi subjectionem quamdam stipulatur, vel aliud onus, e. g. ut foederatus foederato sumtus belli suppeditet, &c.

Jam facile patet, quid respondendum ad quaestionem. Nimirum dicimus, nullo modo hujusmodi foedus extinguere jus summum imperii, nisi sibi alter alteri perpetuam subjectionem spondeat. Hinc ne sic quidem extinguatur, si quis promittat, se alterius foederati majestatem comiter veneraturum, ut recte vidit **PROCVLVS l. 9. §. 1. ff. de caps. & post.**

Rationes sunt claræ.

Summum imperium est, quod in exercitio jurium majestatis a nemine dependet, tanquam a superiore.

Imperans vel resp. qui quæve foederato suppeditat milites, sumtus belli, aliquot munimenta, vel promittit se alterius majestatem comiter veneraturum, non ideo dependet a foederato tanquam a superiore.

H. penes hujusmodi Imperatorem vel rep. est summum imperium.

Minorem probo, 1) quia cuivis privato licet donare, quidni & imperatori & reip. 2) Quia & cuivis privato licet se ad perpetuam præstationem obstringere sine subjectione, quidni & reip. 3) Quia magnum est discrimen inter dignitatem & imperium. Possum aliquem dignitate superiorem agnoscere sine subjectione, uti e. g. Principes in Germania Electores, civitates imperiales principes superiores agnoscunt, eorumque dignitatem comiter venerantur.

H 4

Quia

3. Quia *PROCVLVS d. l. 7. §. 1.* id illustrat similitudine a clientibus desumpta: hanc similitudinem explicat Grotius hoc n. 3. Nimirum erat Romæ inter patritios & plebejos a Romulo introductum jus patronatus. Patritii plebejis, qui se in eorum fidem dederant, præstabant auxilia, eos defendebant gratis in judiciis, iisque consilia dabant in rebus ambiguis: contra plebeji se vocabant patronorum suorum clientes, mane eos honoris causa salutabant, domo deducebant, suffragiis juvabant in defendendis honoribus, &c. Vide *PLUTARCH. in vita Romuli* & *DIONYS. HALIC. Lib. II.* Sic inæquale erat pactum inter patronum & clientem, an vero hic alteri ideo erat subiectus? Minime.

Eodem itaque modo se res habet in regnis & civitatibus foederatis, quæ alterius imperii majestatem comiter venerantur. Illæ erant in fide, non in ditio-
ne: agnoscebant alterius imperii præminentiam ratione dignitatis, non ratione imperii, adeoque ideo non amittebant summum imperium.

n. 4. Sed objici posset: Sæpe tamen populi hujusmodi foederati rei fiunt apud alterum, cujus majestatem venerantur, *d. l. 7. §. 1. ff. de capt.* ergo revera subjectionem involvit hujusmodi foedus, quia actus unius ab altero irriti redduntur.

Resp. Grotius, quatuor esse controversiarum genera.

1) Si qui ex populo dicatur fecisse contra
fos-

foedus, uti Romani accusabant Hannibalem, quod foederi contravenisset.

2) Si populus vel rex ipse accusentur, uti Romani accusabant Albanos, quod foederi non stetissent.

3) Si socii populi in ejusdem Imperii clientela constituti inter se litigent.

4) Si subditi de rege, vel rex de subditis conqueratur.

Prima controversia non pertinet ad foederatum, quia sic esset iudex in propria causa: sed foederatus a foederato exigit satisfactionem, ea non praestita, ex foedere fit bellum.

2) Secunda species denuo locum non facit iudicio alterius foederati, ob eandem rationem, sed inde nascitur bellum, aequae ac inter inaequaliter foederatos, uti apparet exemplo Romanorum bellum inferentium Albanis. n. 9.

Addit Grotius, tunc foederatum a foederato puniri posse, quod incommode dictum. Poena enim infligitur a superiore, non a pari. Sed ut libro sequente videbimus, Grotius in ea opinione haeret, quod bellum & poenae nomine inferri possit, quod falsum esse suo loco docebimus.

Tertia controversia aliquando defertur ad foederatum, sed magis per modum arbitrii, quam iudicii ordinarii. Sic Masinissa socius P. R. rex Numidiae finito bello Punico II. saepe cum Carthaginensibus, eidem foederatis P. R. litigabat de finibus. Eam controversiam Romani decidebant, sed tanquam arbitri, vel ut hodie n. 6.

vocantur, tanquam *Guarantens*, ut bellum inter socios impediretur, non tanquam *judices ordinarii*. Arbitri autem neminem constituunt *superiorem*.

n. 7. In quarta controversa nullum jus est *foederato* se interponere huic controversie, nisi denuo per modum *arbitrii*. Quo elegantissima pertinent *Herodis & Carthaginensium exempla* ab ipso *Grotio* allata.

n. 8. 9. Objicitur secundo: *Ast foederatum dici imperare foederato*. Quae loquutio frequenter apud *veteres scriptores* occurrit. Sic e. g. *Romani naves imperabant* aut *pecuniam sociis*.

Resp. disting. inter negotia foederatorum communia, & propria singulis foederatis.

In illis *imperat omnino foederatus superior*, salva inferioris *libertate & superioritate*: in his non *imperat*. Multis exemplis e *vetere historia* petitis id illustrat ipse *Grotius*. Sed major est utilitas *quae rationis*, quomodo salva dici possit *foederati superioritas & libertas*, quum tamen alter *foederatus ipsi imperet*? *Respondemus*, imperare est *leges praescribere*: *leges praescribere est alterius inviti libertatem naturalem circumscribere*. Tunc enim *inviti libertatem nostram naturalem circumscribi patimur*, si *alterius ad utilitatem aliquid facere cogimur*. Ergo si *foederatus foederato aliquid imperat*, ad *communem foederis utilitatem pertinens*, illud non fit *invito*, sed *volenti*, adeoque id *proprie non est imperium sed executio pacti*.

Rem

Rem illustrabimus exemplo. Decem privati pacti sunt de societate mercatoria in eunda. Unus in se suscipit directionem. Is reliquis imperat pecuniam, itinera suscipienda, epistolas scribendas: an ideo reliqui huic subjiciuntur? Minime. Ea omnia enim faciunt non in utilitatem dirigentis, sed communem societatis, cujus ipsi membra sunt.

Monet tamen Grotius, & recte monet, periculosa esse hæc foedera inæqualia, & si nimia sit potentia foederatorum inæqualitas, facile inde nasci veram subjectionem. h. 10. 11.

- 1) Si altera alterius reip. majestatem agnoscere tenetur.
- 2) Si præstationes perpetuæ ipsi injunguntur.
- 3) Si oppidis induerentur alterius præsidia.

Tunc enim multa ferre tenentur focii infirmiores, nec ad arma convolare statim possunt. Ista patientia sensim transit in jus: & inde ex foedere fit subiectio. Exemplo suo id docuerunt Moldaviae, Valachiae & Transsylvanicae principes, qui olim foederati Turcarum inæquales, hodie vere subditi sunt, & quascumque ferre sententur eorum injurias.

§. 22.

Porro quaeritur: an resp. tributaria summum imperium habeat? Dicitur autem tributaria, quæ pacis redimendæ causa vicino potentiori annuam solvit pecuniam. Id sæpe contigit rebusp. Allegat auctor Hebraeorum regnum, quod aliquando tributarium

factum Chaldaeis, aliquando Ægyptiis, aliquando Romanis. Ita & Imp. Germanorum Turcæ tributum solverunt sub Rudolpho II. Hungaris sub Conrado I. Imp. Eadem necessitas incubuit Polonis sub Michaele Wiefnovviski.

Recte resp. A. hujusmodi tributum non imminuere summum imperium. Summum imperium enim est facultas omnes partes reip. administrandi ad finem suum. Id possunt & regna tributaria, siquidem illa resp. quæ tributum accipit, nullum alterius actum reddere potest irritum. Ergo penes tributariam reimp. manet summum imperium.

Fatendum equidem esse tributum confessionem publicam impotentia, sed non semper concessionem imperii. Quo etiam fit, ut plerumque gentes prudentiores id non vocari patiantur tributum, sed donum ultroneum, (un don gratuit,) vel pensionem.

§. 23.

Porro queritur: an nexus feudalis summo obstat imperio? Hic

1) Præmittendum, quid sit feudum?

2) An ex ejus natura fluat subjectio?

n. 1. 1) Quod ad priorem attinet questionem, feudum potest considerari vel ut contractus, vel tanquam jus in re: uti simile quid in pignore & emphyteusi animadvertimus.

Si consideretur tanquam contractus, tunc est obligatio reciproca inter dominum & vasallum. Ille huic concedit dominium utile rei vel prædii sub conditione fidelitatis, hic alterum agnoscit dominum directum, & fide-

Fidelitatem servitiæque militaria promittit. Recte Grotius observavit, esse hunc contractum non juris gentium, sed a Germanicæ originis gentibus inventum, quia ob defectum pecuniæ militibus suis prædia hoc modo concedere solebant Domini. Conf. THOMASII *selecta feudalia* & Dissert. *de originibus feudorum*.

Si consideretur tanquam jus in re: tunc est dominium, quod per investituram nascitur: & quidem divisum inter dominum & vasallum. Ille habet dominium directum, quod in eo consistit, 1) ut sine ejus consensu non possit feudum alienari vel oppignorari, 2) ut illud ob delicta feudalia, quæ felonix vocantur, possit eripere, 3) ut possit servitiæ exigere, 4) ut mortuo sine heredibus masculis vasallo feudum ad eum redeat. Vasallus autem fit dominus utilis, siquidem & fructus feudi omnes percipit, & feudum vindicat, & ad ipsos heredes masculos transmittit.

II. Jam facile patet, an hic nexus feudalis involvat subjectionem? Resp. Grotius negando. Vasallus potest & solet esse subditus Domini, sed non sequitur ut sit subditus, quia est Vasallus. Nam

1) Si consideretur ut contractus: nihil aliud est feudalis ille nexus, quam foedus inæquale *συμμηχικόν*, quia vasallus promittit se militaturum domino vel adversus omnes promiscue, tunc dicitur feudum ligium, vel contra omnes excepto principe suo, tunc dicitur non ligium: contra Dominus promittit Vasallo, se hunc defensurum
adver-

adversus quoscumque. An id foedus in-
volvit subjectionem?

2) Si consideretur ut jus in re: aliud
est dominium, aliud imperium. Potest il-
lud sine hoc esse, & hoc sine illo. Sic
e. g. Imperator non negat, Papæ compe-
tere dominium directum in regnum Nea-
politanum, & tamen ne minimam quidem
partem imperii ibi exercere cum patitur.
Alius enim est dominus, alius imperans.

Hoc ideo observandum,

1) Quia sæpe & æquales reges & prin-
cipes sibi invicem nexu feudali obstric-
ti sunt. e. g. Imperatori rex Britannia, ra-
tione Electoratus, Sveciæ ratione Pome-
rania, Daniæ ratione Holsatia & Olden-
burgi, Polonia ratione Saxonia.

2) Quia sæpe majores feuda tenent a
minoribus, e. g. rex Daniæ est vasallus
ducum Brunsa. Quatuor electores Episco-
pi Bambergensis, Rex Prussiae Abbatissæ
Gandersheimensis.

3) Quia inde sæpe nascuntur contro-
versia. Sic principes Schwartzburgici
sunt vasalli Saxonici: sed non ideo sequi-
tur, ut sint subditi. Inde maxima nata
controversia.

§. 24.

Concludit A. hoc caput monito, quod
distinguendum sit inter imperii actum pri-
mum, (seu potentiam,) & actum se-
cundum, (seu exercitium.)

1) Actus secundus adparet, quoties
quis jura Imperii exercet.

2) Actus tantum primus, quoties ejus
exerc-

mercitium impeditur. Quod fieri potest
1) atate, 2) furore, 3) captivitate,
4) rebellione subditorum. Quamvis quod
ad furorem attinet, in regnis successivis
tantum furiosus actu primo rex maneat,
non in electitiis, ubi statim novus eligi
potest. Conf. DANIELMANNI *Diss. de prin-*
cipe captivo.

C A P U T IV.

De Bello Subditorum in Superiores.

Bellum est status societatum liberarum
per vim certantium, aut propositum
certandi retinentium. Hæc definitio in
statu civili locum habet. In statu autem
naturali, quum nulla sint judicia, nulli
imperantes, a quibus defendi quis possit,
unusquisque vim vi privata propulsat, id
est, bellum gerit.

Ex hoc ergo axioma facile jam variaz
questiones solvuntur. Nam queritur

1) An privatus bellum gerere possit ad-
versus privatum? Negamus in statu civili;
adfirmamus in statu naturali. Ad statum
autem naturalem & is videtur redisse, qui
in eo loco versatur, ut auxilio magistra-
tus nullo sublevetur. e. g. si a latronibus
quis circumveniat.

2) An imperans contra imperantem?
Adfirm. sunt enim utraque resp. societa-
tes liberae. Huc pertinet exemplum belli
Davidis in Ammonitarum regem.

3) An

3) An imperans contra imperantem extraneum? Adfirmat Grotius, nos negamus, nisi moderamen inculpatæ tutelæ suscipiat. Ratio, quia non est liber privatus a superioritate. Ad exemplum Abrahami respondemus, eum non fuisse privatum, sed foederatum regem & socium, in quorum regnis habitabat.

4) An imperans contra subditos rebelles? Adf. sed tunc proprie non est bellum, nec enim subditi sunt societas libera. Est ergo potius exsequutio poenæ rebellibus debita.

n. 2. 3.

Verum de his omnibus quæstionibus jam non agimus: sed de bello subditorum in superiores hoc capite quarimus. Et hinc status controversiæ rite formandus. Non quæritur

1) An subditi se defendere possint adversus superiores non suos, sed eidem regi subiectos, si is injuriam intenet sine mandato regis. Exemplum Nehemiz. Nam & privati hic se possunt defendere. Vid. *L. devotum* & *de mesasoribus*.

2) Nec quæstio est, an obsequium denegari possit imperantibus aliquid contra jus naturæ præcipientibus. Id enim ipsa S. S. jubet. Act. 3. *Deo magis obediendum quam hominibus*. Est notum exemplum obstetricum Ægyptiarum. Exod. I. Sed quæstio est:

3) An vi subditi possint resistere regi legitimo, & cum eo gerere bellum, si injuriam ab eo nobis fieri existimemus? Id vero negandum esse Grotius demonstrat:

1) Ex

- 1) Ex jure naturæ & gentium. §. 2.
- 2) Ex lege Hebræa. §. 3.
- 3) Ex Evangelio. §. 4.
- 4) Ex praxi Christianorum. §. 5.

Quia autem nulla regula temere sine exceptione est, hinc caput hoc constat 2. partibus. Nam

Priore tradit regulam. §. 2. 7.

Posteriore subjungit exceptionem. §. 2. ad fin.

Nos jam primo regulam demonstrabimus, aliorumque objectiones refutabimus. Regula est: Non posse subditos bello adgredi superiores suos.

§. 2.

Hanc regulam Grotius probat I. Ex jure nat. & Gent. Argumentum Grotii tale est. n. 1. 2. 3.

Quicumque renunciarunt libertati naturali vim vi repellendi, illis non competit jus belli.

Subditi ratione civitatis & Imperantium renunciarunt libertati naturali vim vi repellendi.

E. subditis non competit jus belli adversus civitatem vel imperantes.

Major clara est. Nam

- 1) Ad renunciata non datur regressus.
- 2) Renunciatio hæc non magis iniqua est, quam hominem, qui se in servitutem addicit, renunciare omni juri suo in se ipsum.

Minor autem, quod facta sit hujusmodi renunciatio, probatur.

1) Ex sine civitatum, quæ coaluerunt mutæ defensionis causa adversus exteros.

Non

Non ergo defensio locum habet adversus ipsam temp. & qui eam repræsentat, regem.

2) Ex forma. Hæc consistit in unione voluntatum & jurium. Unio illa voluntatum in eo consistit, quod omnes voluntates suas submiserunt vel uni, vel pluribus, vel majori parti civitatis. Quibus vero submisimus voluntates nostras, earum ratione renunciavimus libertati naturali.

3) Ex effectu. Aut resistere licet, aut non licet summo imperanti. Si licet, tunc erit anarchia, quia nulla erit submissio voluntatum. Si non licet, nec bellum gerere licebit.

§. 3.

Eandem regulam Grotius demonstrat II. ex lege Hebræorum. Quum enim ea resp. sit divinitus instituta: magnum omnino in eorum testimonio positum erit præsidium.

Hebræis autem non licuisse resistere summis Imperantibus, probatur.

1) Ex Deut. XV. 1. 12. Jos. I. 18.

2) Ex lege regia 1. Sam. VIII. 11. Atqui sæpe diximus, ibi non referre Samuelem, quid rex facere debeat, sed quid facturus sit: & tamen additur, populo nullum fore auxilium adversus regem, ne in ipso quidem Deo, qui ad se clamantes non sit auditurus. Addi possunt

3) Exempla Israelitarum Pharaoni in Ægypto non resistentium, Davidis, qui iusto fultus exercitu fugere maluit, quam resistere Sauli, impio, injusto, a Deo reiecto.

§. 4.

§. 4.

Sequitur demonstratio III. ex Evangelio. Ubi Grotius allegat 1) dictum Christi: *Dare Cæsari &c.* Notatu dignum, non adjicere Christum, quid Cæsari dare debeant: sensus enim est, Date ei quæ jam ex lege vestra scitis illi esse danda. At lex Hebræorum exigebat obsequium sine resistentia. Ergo hanc præstate Cæsari.

2) Ad dictum Pauli Rom. 13. Qui resistit, condemnationem accipiet. Ast qui bello persequitur summum imperantem, is resistit, E. condemnationem accipiet, adeoque injuste egit.

3) Ad dicta ejusdem, ubi vocatur imperans minister Dei, cui parendum non solum ob iram, sed & propter conscientiam. Ergo qui resistit, Deo resistit, & peccat contra conscientiam.

Objici posset, non utile esse pati injurias, quia & is qui infert hac patientia fit deterior, & aliis idem imminet periculum.

Resp. hic omnino utilius esse privatos aliquid pati injuriæ, quam bello persequi imperantes. Si enim hoc fit: statim dissolvitur civitas, & fit anarchia. In anarchia autem multo minor securitas est, quam in quovis imperio etiam tyrannico.

Accedit, quod multa subditi interpretentur pro injuriis, quæ tales non sint. Ne turpiter quidem omnibus placet, nedum imperans. Si liberet itaque subditis eum bello petere, eique resistere: nunquam futura esset tranquilla civitas.

Hæc omnia egregiis testimoniis veterum
suo

suo more illustrat Grotius, ex quibus præcipue expendi merentur loca THUCYDIDIS n. 4. & DIONIS CHRYSOSTOMI n. 5.

n. 6.

4) Sequitur testimonium Petri I. Epist. II, 18. ubi docet injurias etiam regum & dominorum malorum ferendas, idque exemplo Christi.

Jam argumentamur:

Qui tenentur honorare reges & dominos exemplo Christi, illi non possunt in eos bellum suscipere.

Christiani ex præcepto Apostoli tenentur honorare regem exemplo Christi.

Ergo non possunt in eos bellum suscipere. Major clara est. Nam Christus nunquam resistit, quum ipse fateatur, se posse a patre impetrare plus quam XII. legiones, non hominum, sed angelorum.

Minor ex ipso Petri textu desumpta est. Vera ergo & conclusio.

§. 5.

n. 1.

Denique hanc regulam firmat IV. praxi veterum Christianorum, quæ sane optima est dictorum Christi & Apostolorum interpretes. Nam

1) Christiani nunquam se opposuere tyrannis, quum & multitudine vincerent, & facile possent socios reperire. E. g. Neroni crudeli Christianorum lanioni se opposuere Galba, Otho Vitellius. Nemo Christianorum horum factionibus accessit. Domitiano Cassius & alii, Antonino Philosopho Cassius bella intulerunt. Nemo his Christianis adfuisse legitur, quum tamen & possent, & ab aliis Imperatoribus dira passi
es-

essent. Hinc iusta Tertulliani gloriatio in Apologetico: Unde Cassii & Nigri, &c.

2) Nunquam vim vi repulere. Adparet id 1) ex 10. illis gravissimis persecutionibus, quibus Christiani innumerum mactabantur. Tanta erat Christianorum multitudo, ut Tertullianus in eodem Apologetico dicat, Christianos implere palatia, curias, castra: nam totae legiones Christianae memorantur, & tamen nunquam resistebant, nunquam sumebant arma. 2) Exemplo Ambrosii, quod auctor refert, qui & populi motus sedare, & Maximi copias auxiliares detrectare maluit, quam Valentiniano crudeli & Arriano resistere. 3) Exemplo Christianorum sub Juliano Apostata. Sane tunc religio Christiana erat supereminens & dominans: Imperator paucissimos habebat asseclas gentiles. Et tamen illi omnia ferebant, & ut Greg. Nazianzenus loquitur, precibus & lacrymis tantum se defendebant, quia solum hoc ipsis concessum videbatur contra persecutiones remedium.

Ergo manifestum est, Christianos semper credidisse, non licere bellum gerere adversus superiores, Q. E. D.

§. 6.

Haecenus pluribus argumentis demonstrata est regula, quod non liceat bellum gerere contra superiores. Sed antequam ad alteram capitis partem progrediatur Grotius, aliorum argumenta profligare instituit.

Et sunt quidam, 1) qui putant universum populum resistere posse regi, eumque bello

Bello persequi, si male imperet, eaque sententia est monarchomachorum, imprimis Miltoni, Hotomanni, & Steph. Jun. Bruti. Sunt 2) qui hanc potestatem quidem non omni populo concedunt, sed magistratibus inferioribus & ordinibus. In qua sententia PETR. MARTYR Theologus, qui Genevæ docuit, & sub Eduardo reformationem Anglicanam promovit, in *Libr. Judic. III.* DARÆUS, theologus Heidelbergensis in *Rom. XIII.* HADR. JUNIUS Belga & LAMBERTUS DANÆUS NAVARRUS in *Libr. VI. Polit. Christiana.* Et hos præcipue refutat Grotius ex principiis philosophicis. Ut genus aliquid est ratione inferioris, & tamen eadem est species ratione superioris: ita magistratus inferiores sunt magistratus & superiores ratione privatorum, quibus præsent, sed sunt iidem subditi ratione imperantium, quorum nomine magistratu funguntur. Hinc argumentum:

Si subditis non licet bellum gerere adversus imperantem, nec id licet magistratibus inferioribus.

Prius verum est, uti concedunt hi auctores.

E. & posterius.

Secundo eos Grotius ducit ad absurdum, & urget, si possint magistratus inferiores bello coercere summos imperantes, regnum statim fore in regno, remp. in rep. id est, cum statum, quem omnes fatentur esse monstrum politicum. Hinc alterum Grotii argumentum:

Si magistratibus inferioribus licet coercere

cere summos imperantes, erit regnum in regno.

Posterius est absurdum, E. & prius.

Repugnat id tertio scripturae sacrae. Nam

1.) ipse Petrus 1. Ep. II. 1. subordinatio- nem arguit, & aliter nos subesse jubet ma- gistratibus inferioribus, aliter summo im- peranti. Regem enim vocat potestatem supereminentem. 2.) Paulus Rom. XIII.

vult omnem animam subesse summo im- peranti, E. & magistratus inferiores. 3.)

Praxis Hebræorum docet, regi Israelita- rum & proceres subfuisse, veluti Samue- lem Sauli, etiam divinitus rejecto. 4.)

Addendus elegans locus de centurione Ca- pernaumitico: sum homo, subjectus im- peranti, & habeo infra me milites. Hic erat magistratus inferior militaris, & fa- cetur tamen se subjectum imperio.

Objiciunt dictum Trajani, qui porrecto p[re]fecto pugione: Hoc, inquit, pro me utere, si recte imp[er]o, contra me, si male.

Resp. 1.) Ex dictis regum eorum jura frustra probantur. Nam alias & dicta Ne- ronis, Commodi, Caracalla non minus roboris habent, quam illud Trajani.

2.) Quando rex quidam se sponte sub- mittit, vel juri alicui renunciat, id non p[re]judicat aliis, cui potest exemplo eo- rum regum, qui sponte & per modum jurisdictionis p[ro]ferunt se submittere ju- dicio curiarum suarum.

3.) Trajanus & alii Imperatores civiliter imperantes invidiam operam, ut scula- cris libertatis populo illuderent. Explican- dum

dum autem ex politicis, quid sint simula-
cra libertatis.

§. 7.

Queritur porro, an lex de non resisten-
do superioribus obliget etiam in extremo
periculo? e. g. Si imperans ira percussus me
gladio petat innocentem, & aut mihi aut
illi pereundum sit: mihi ne potius consu-
lam, an principi? Et an non ejus repelle-
re possim conatus?

Resp. ante omnia distinguendum est in-
ter defensionem sine principis interitu, &
cum ejus interitu conjunctam.

a. 1. De priorē recte defendit Grotius, licitam
illam esse, nec principem conqueri posse de
facta sibi injuria, si me non patiar innocen-
tem mactari. Id Grotius demonstrat ita

1) Argumento a majore ad minus. Ipsæ
leges divine & de cultu divino cessant in
casu necessitatis extreme. E. multo magis
leges de non resistendo summo imperanti.
Antecedens probatur exemplo de sabbat-
ho, & de cibis veteris, quas necessitati
cedere, & magistri Hebræorum & ipse Chri-
stus fatentur.

Accuratius dicimus leges vel esse

1) Humanas, quæ semper admittunt ex-
ceptionem necessitatis, nisi discrete di-
cat imperans, eam cessare debere.

2) Divinas

1) De officiis erga Deum

a) Affirmativæ, admittunt exceptionem.

b) Negativæ, non admittunt.

2) De officiis erga proximum, tunc ne-
cessitas est

a) A

a) A Deo, & sic admittit exceptionem.

b) Ab hominum malitia, quæ interdicit vel

1) Perniciem, tunc admittit

2) Peccatum & non admittit. THOMAS: *de jurispr. div. l. 2. c. 2. §. 143. sequ.*

2) A modo & sine se subjiciendi. Nunquam Deus vel in lege naturæ, vel in S. S. absolute jussit, ut civitates & resp. constitueremus. Ergo civitates & resp. originem sunt humanæ: ergo & primæ leges de non violandis summis imperantibus humanæ fiunt. E. non præsumitur eas obstringere etiam ad subeundum vitæ discrimen: quum plerumque leges humanæ intelligendæ sint cum exceptione necessitatis.

Objiciant. Ast possunt & humanæ leges sancire, ut & extremum subeamus periculum, v. c. quis neget summum imperantem posse injungere militibus, ut potius intermi se patiantur, quam loco cedant?

Resp. non queritur hic, quid legibus humanis sanciri possit, sed quid iis sanciturum sit. Jam si omnes, qui primum in societatem coaluerint, interrogasses, vellentne ita se mancipare, ut si innocentes a principe perantur, se mori velle præoptarent, quam propulsate injuriam: nemo forte id affirmasset, ergo tam dura & rigida obligatio non præsumitur.

Possent porro objici: Ast supra demonstratum esse populum qui in temp. co-

luit, renunciassse juri resistendi. Resp. recte, sed 1) renunciarunt, se principi non restituros, id est, si princeps tamquam princeps aliquid præcipiat, vetet, injungat. Ast si princeps ira percitus gladio innocentem petit, id non facit tamquam princeps, sed tamquam hostis meus. 2) Renunciaverunt juri resistendi, id est offendendi belloque petendi regem. Nos vero loquimur de defensione non conjuncta cum principis interitu, veluti, si ictus ejus ante elidam, si me recipiam in ædes bene munitas, ex iisque in tutiora loca me recipiam, &c.

n. 3. Porro objicitur: Non resistendum esse magistratui non esse legem humanam, sed divinam. Resp.

1) Et leges divinas aliquando admittere exceptionem necessitatis, supra ostendimus.

2) Est lex divina non ratione originis, sed ratione confirmationis. Resp. sunt originis & inventionis humana, adeoque & leges de nexu imperantium & subditorum. Sed Deus hunc ordinem tamquam ad conservationem generis humani utilem confirmavit, legesque de illo imperantium & subditorum nexu ratas habuit. Et hinc videmus: imperia modo dici ordinationem humanam, ut 1. Petr. II, 13. modo divinam, ut Rom. XIII. humanam ratione originis, divinam ratione confirmationis. Manet ergo ea lex humana, quamvis a Deo confirmata,

n. 4. 3) Eandem thesiam Grotius probat testi-

mo

monio GUIL. BARCLAY Scoti, viri doctissimi. Est ille non confundendus cum ROB. BARCLAYO, qui elegantissimo & florido stylo scripsit *Euphormianem*, *Argeidam*, *iconum Animorum*, nec cum ROBERTO BARCLAYO, qui Quakeros, quos vocant, apologia non in scite scripta defendit, sed Guilielmus in jure publico & gentium inelavit, & demum Romam migravit, mutata religione avita. Scripsit libros *de regno contra monarchomachos*, eorumque principia feliciter profligavit.

Id ergo ipse concedere tenetur, majorem partem populi se tueri posse adversus sevitiam principis, (tueri inquit, non bellum gerere.) Ast inde arguit Grotius: Si id potest major pars, quidni & minor pars, quidni & privatus? Idque illustrat exemplo Davidis, a Saule injuste pressi, qui non solum in fugam se conjecit, sed & quadringentorum hominum presidium sibi circumposuit, 1. Sam. XXII, 2. XXIII, 13. non ut bellum cum Saule gereret, sed ut personam suam meretur ab ejus injuriis.

4) Addit denique Grotius exemplum Machabæorum, sub quibus Judæi injuste oppressi ab Antiochis sacra vicamque strenue tuebantur, non modo multi, sed & singuli & subducendo se, & presidia manendo templum,

Sed hoc exemplum hæc vix pertinet. Nam 1) hæc non fuit innoxia defensio, sed verum bellum contra Antiochos: adeoque de ejus justitia in altera capitis par-

te dispiciendum. Ubi & indagandum erit, fuerintne Antiochi justis Judaeorum reges, an nudi invasores, quam controversiam hic loco non satis commode tractavit Grotius.

n. 6. Haecenus de priorè quaestione: an non liceat in extremo periculo se defendere adversus Principem, si defensio illa sine interitu principis fiat?

Jam sequitur altera: an licita sit defensio cum Principis interitu conjuncta? Recte resp. Regis personae etiam in tali periculo parcendum. Nam

1) Regis & Principis personae sunt sacrosanctae, non in sensu theologico, sed juridico, inviolabiles; idque omnes gentes agnoscunt.

2) Regis interitus non potest non cum summa perturbatione reip. conjunctus esse, cui quam maxime parcendum est.

3) Davides Saulem saepe in casses suis incidentem nunquam occidere voluit, sed ei semper pepercit, nolle se iniquis manus injicere unctio domini. Sunt qui putant, id Davidem non fecisse ex obligatione stricta, sed ex sublimi proposito, vel ut opus supererogationis, uti loquuntur moralistae Pontifici, sed id falsum esse, tum ex praeepto Dei Deut. XXII, 28. tum ex ipso facto Davidis patet, qui & eum occidi jussit, qui Saulem semivivum ipsius rogatus occiderat, coronamque attulerat ad Davidem.

n. 7. 4) Porro arguit Grotius a minore ad majus, si ne verbis quidem ledere dicatur peran-

perantes: multo minus factis & manu.
Prius verum, E. & posterius.

Antecedens probatur ex Deut. XXII, 28.

Principi in populo tuo ne maledicas. Quin-
mortis supplicium imminebat ei, qui Regi
malediceret. Adeo, ut quamvis Davides
Semei, sibi in fuga maledicenti, gratiam
hujus delicti fecisset, Salomoni tamen in-
ter extrema mandata injungeret, ne pate-
retur eum morte sua mori.

Nec Judæi solum, sed & omnes gentes
eiusdem erant sententiæ, ceu variis testi-
moniiis ex Aristotele, Curtio aliisque peritis
demonstrat Grotius. Præclarum est testimo-
nium ARTABANI Persæ apud Plutarchum,
ubi regem vocat *εἰκόνα Θεῶν τὰ πάντα ὑπε-
ρέχοντος*, Dei omnia sospirantis effigiem.

Ex his de rebus quæstionibus tertiam for- u. 8.

mat Grotius. Quum enim supra concesserit
licitam adversus Regem injurias inten-
tanti defensionem, modo ne in personam
illius gravius quid statuamus, jam potro
querit, an non Christianismus potius ab-
solutam nobis injungat patientiam?

Multa enim permittunt leges naturales,
immo & revelatæ veteris testamenti, quæ
non permittit Evangelium, multo exactio-
rem a nobis exigens sanctimoniam.

Et sane Grotius in eam sententiam vi-
detur pronior, quod Christianus rectius fa-
ciat, si se plane non defendat adversus
superiorem. Id probat.

1) Ex illis dictis, quæ patientiam suadent
exactissimam, e. g. Matth. V. *Benedicite
maledicentibus vobis, benefacite ludentibus*

suos, deprecantini pro iis, qui persequuntur
vos, ita eritis filii patris celestis.

2) Christus iis, qui patiuntur persecu-
tionem religionis causa, fugam tantum
concessit.

3) Exemplo Christi, quod Petrus ur-
get 1. Petr. IV, 12. & sequ. Quum is non
defenderit se adversus Pontifices & Pila-
rum, sed omnes subjerit injurias: idem
videtur Christianorum officium.

n. 2. 4) A praxi primorum Christianorum in
persecutionibus se nunquam defenden-
tium. Dicas, vires non animum illis de-
fuisse. Sed audi Tertullianum, Cypria-
num, Lactantium, ab iplo Grotio alle-
gatos.

n. 10, 11.

12.

5) Exemplo legionis Thebez a Maxi-
miano Cæsare apud Ostodurum decimata
nullo militum repugante. Id exemplum
suse narrat Grotius, simulque verba præ-
cipuorum ex ista legione enarrat. Nam
Mauritius Dux vel Tribunus legionis:
Quam timui &c. Sic quum facta esset de-
cimatio, & iis qui superstites erant denuo
Maximianus præciperet, ut diis sacra face-
rent: responderunt intrepide, se in Imp.
potestate esse, aut non sacrificaturos. In-
primis egregia est Exuperii signiferi Oratio:
Non adverium te, Imperator armavit &c.

n. 14, 15.

6) Exemplo Christianorum sæculi IV.
qui nunquam se Valenti Ariano, sævienti
in se, opposuerunt. Et demum inde in-
fert. Quemadmodum Christi, ita & Chri-
stianorum patientiam se ad mortem exten-
dere.

Sed

Sed quamvis hæc omnia recte se habeant: non tamen confundenda justitia & sanctitas actionis. Qui debita remittit debitori, is sancte agit: sed non ideo injustus est, si non remittit. Qui sua sibi injuste erepta actione forensi non vindicat, sancte agit, sed quis diceret injustam, qui actione petit, quod sibi debetur? Ita & sancte agunt, qui Christi exemplo potius perire, quam se defendere adversus Principem malunt, sancte egerunt Thebæi legionarii, qui arma in Principem non converterunt: sed nec injustos eos dicerem, si iis usi essent præsidiis, quibus sine Imperatoris læsione se vitamque suam defendissent.

§. 8.

Vidimus hæctenus regulam: quod bellum gerere nefas sit subditis adversus Principes vel superiores. Sequuntur jam exceptiones. Quarum prima se prodit

1. In regibus principibusque nullo jure majestatis gaudentibus, & hinc revera populo suo subjectis, quales erant Reges Lacedæmoniorum, & hodie Dux Venetus, Januensis. Hi enim si vim inferrent populo, & ejus jura vel libertatem opprimere auderent, præcul dubio populo jus esset vim vi repellere. Nam

1) Hi improprie dicuntur Reges & Principes, revera magistratus a populo constituti.

2) Bellum itaque proprie non gerunt adversus superiores, sed adversus inferiores, injuriam sibi illaturos.

I 4

3) Pro-

3) Proprie id ne bellum quidem est, quippe quod inter se gerunt societates liberae & summi imperantes, quales non sunt, qui superiorem agnoscunt populum. Est ergo potius executio poenae, quam merentur, qui tyrannidem adfectant in societate vel civitate libera.

§. 2.

Alteram exceptionem videmus II. in his qui quum antea regno se abdicassent, vel illud pro derelicto habuissent, postea illi intentant hostilia. Conf. LACTANT. de *mors. persecutor.*

Hujus rei illustre exemplum exstat in historia Diocletiani & Maximiani Imperat. qui quum sibi alios sub nomine Caesarum substituisent, postea regno se abdicarunt, & ad privatam vitam redierunt. Sed adfectos Imperio facile & mox poenituit, maxime Maximianum, qui Constantinum & alios regno conabatur privare. Bello itaque petitus & profligatus est. Quæritur an tunc pop. Rom. jure militare potuerit adversus Principem suum? Et resp. Grotius, omnia in hujusmodi adgressorem licere, quæ in hostem.

Recte. Nam 1) non est Princeps vel superior, qui per abdicationem juri suo renunciavit.

2) Jure defenditur ab his justus Imperans, qui illis se abdicantibus, Imperium capessivit.

3) Dum ad vitam privatam redierunt: facti sunt successoris subditi. Subditi adfectantes Imperium superioris sui crimen majestatis.

jestatis committunt. Reos hujus criminis bello coerceri posse manifestum est.

§. 10.

Tertiam exceptionem ipse Barclajus admittit: si Rex velit alienare regnum, tunc enim amitti ab eo Regnum, & hinc posse eum pro hoste haberi.

Sed recte Grotius hic cautius procedendum putat. Nam aut Regnum est patrimoniale, aut usufructuarium.

Si patrimoniale, valet regula: Qui jure suo utitur, nemini facit injuriam. Hujusmodi enim regem regnum posse alienare, extra controversiam est.

Sin usufructuarium: aut vult alienare, aut alienavit. Si prius, non opus est bello, sed nullum est ipso jure hoc consilium. Sin jam alienavit: tunc non bellum geritur adversus Principem alienantem, sed adversus eum, qui vi utitur, in Regno occupando. Si ejus partibus accedit rex, tunc non amplius rex est, sed hostis populi sui, adeoque non geritur bellum adversus superiorem, sed adversus hostem.

§. 11.

Quarta exceptio est in tyranno. Sed hæc paullo difficilior, & hinc accuratius explicanda. Tyranni vox est indifferens, & denotat Regem, adeo ut & Gentiles in precibus Herculem cognominarent tyrannum, quasi Regem: & Miltiades tyrannus vocari sibi laudi duceret. CORN. NEP. in *Mils. cap. 8.* Sed postea id vocabulum in denotatorem partem sumum est, quemadmodum

idem fatum habuere vocabula fur, sophista, caussidicus &c.

Sunt autem tyranni duorum generum, titulo & administratione. Titulo sunt tyranni, qui nullo precedente & concurrente justo titulo imperium adfectant & administrant, quales tyranni fuerant Athenis Pisistratus, Siracusæ Dionysii, Romæ Julius Cæsar.

Administratione contra, qui quam iusto titulo imperent, Imperium tamen ita administrant, ut hostilem animum adversus totum populum ostendant. Aliquando utrumque concurrit, ut nec titulus adsit, & magna crudelitate utatur imperans, idque fit frequentissime. Nam Imperium flagitio questum nemo bonis artibus retinuit. TACIT. *Hist. lib. I. cap. 30.*

Ergo patet 1) non esse statim tyrannum, cujus titulus dubius, modo aliquis sit. Sic e. gr. Papa declarabat Henricum IV. Imp. esse tyrannum, quia sibi non parcat, Eridericum II. esse tyrannum, quia iura Imperii in Italia vindicabat, Elisabetham Reginam Angliæ non esse Reginam legitimam, quia Religionem Pontificiam deseruisset. Multi Papæ obnoxii tunc dubitare cœperant de titulo, an ideo tyranni, erant? Minime.

2) Non statim esse tyrannos, qui aliquid iniuste agunt, quin qui multa agunt crudeliter. Omne enim magnum Imperium, inquit Tacitus, habet aliquid ex iniquo, quod publica utilitate pensatur. Sic e. g. Ludovicum XIV. Reg. Fr. nemo igno-

rat,

rat, Veneri plus justo indulgisse, subditos reformatæ religioni addictos adflixisse, sæpe foedera & pacem abripuisse &c. omnia hæc injusta: nec tamen ideo statim tyrannus fuit. Exemplo Tarquiniū Superbi egregie id illustrat Budæus in *Specimine Jurisprudentiæ historica* §. 35. sequ.

3) Nec eos esse tyrannos statim, qui bello & aperta vi jura sua vindicant a subditis. Jam supra enim diximus, hanc non esse speciem belli, sed exsecutionis. Exsecutio autem & sine hostili animo in *remp.* fieri potest, Ergo quum Carolus I. Rex Britann. a Miltoño tyrannus ideo dicitur, quod bello adgressus sit subditos, male ratiocinatur, si supponamus, subditos ipsi omnia jura extorsisse per injuriam, quæ vi Rex infelicissimus recuperabat.

4) Illos esse tyrannos, qui vel nullo plane titulo Imperium invadunt, & in eo nunquam a populo confirmati sunt, vel hostilem animum adversus populum, vel *remp.* aperte ostendunt. Addo, a populo non confirmati sunt. Sic e. g. verum quidem est, Turcas Imperium Constantinopolitanum sine titulo adgressos, sed tamen postquam semel populus in eorum Imperium consensit, non amplius habetur tyrannus, sed legitimus imperans. Et hinc merito dubitatur, an tanquam tyrannus fuerit Cæsar occisus. Tanquam tyrannus invaserat *remp.* Sed postquam semel Senatus Populusque Romanus ei Dictaturam perpetuam lege lata detulerat, tyrannus non amplius erat, sed justus imperans.

Hostilis autem animus adversus populum adparet ex eo, 1) si imperans omnes promiscue occidat, in omnes feriat sine discrimine, v. g. Nero & Domitianus, 2) si bellum illis inferat nulla injuria provocatus, e. g. Rex Hispaniæ Belgis.

Si itaque certum est, aliquem esse tyrannum: certum quoque eum posse bello peti: Tyrannus enim est hostis reip. Adversus hostem autem hosti in infinitum omnia licita sunt.

Eleganter ergo MARIANA de Rege & Regis Insipient. Lib. 1. cap. 6. p. 57. Falli quaestio in controversia est: quis merito tyrannus habeatur: juris in aperto est, fas esse, tyrannum perimere.

§. 12.

Quinta exceptio est in eo, qui regnum commisit. Quid sit clausula commissoria, supra declaravimus. Talis vero in Imperiis duplex occurrit.

1) Ubi capitulatio vel pacta conventa incuntur inter regem & subditos, in primis ordines, additurque, si eas leges non servet imperans, tunc eum ipso jure Imperii exfortem fore. Exemplum est in Germania a Caroli V. temporibus, & in Polonia.

2) Ubi Regnum vel Principatus feudali nexu alteri obstringuntur. Tunc enim regno privatus ob feloniam, qui delictum feudale commisit, & tunc subditi magis obstricti sunt domino directo, quam ejus Vassallo. Sic e. g. Leopoldus Imper. ob feloniam in bannum Imperii declarabat Duces Sabaudie & Mantuanum: Josephus Elector

res Bavariz & Colon. an iniuste egissent subditi, si eos bello fuissent persecuti? Minime.

§. 13.

Sexta exceptio est nullius momenti. Dicit Grotius, licitum esse bellum in Imperantes, si partem Imperii habeat Princeps, partem populus, & imperans in partem populi inolet.

Sed hic status reip. plane esset monstruosus: esset enim resp. in rep. Imperans & populus possunt regalia communiter exercere, non inter se dividere. Potest imperans quaedam regalia solus habere, quaedam communicare cum populo: sed nunquam potest populus quaedam solus habere, ad quæ rex non concurrat.

An autem tunc quoque bello locus est, si princeps sibi soli vindicet, quæ communia sunt? Et tunc respondetur omnino, modo vere id agat princeps, & modo non subditi sibi arrogent jura, quæ illis minime competunt. Sic nemo dubitat, si Imperator omnia principum & statuum jura vellet supprimere, & absolutum adfectare Imperium, bello fore locum, quale etiam adversus Ferdinandum II. Imp. per 30. annos gestum novimus.

§. 14.

Septima exceptio est eo casu, si populus sibi jus resistendi certo casu expresse reservarit, & rex in id consenserit.

Quisque enim potest juri suo renunciare, in sui favorem introducto. Exempla habet IUVANUS lib. 23. in ann. 1604. & libro 133. ann. 1605. de Hungaris, qui sibi stipulati sunt iustitiam dæregi, si vel religioni

VIII.

vim inferret, vel præsidia externa induceret in temp.

§. 15.

n. 1. Redit 1) Grotius ad tyrannos titulos, & quaerit:

2) Quatenus parendum sit invasori alieni Imperii? §. 15.

3) Quatenus ei resisti possit? §. 16. 19.

Prima quaestio facile expeditur. Omne imperium acquiritur consensu. Consensus est vel ultroneus, vel metu sui que extortus. Ergo quamdiu populus nondum consensit in invasoris Imperium, tamdiu hostis est, & in eum omnia permessa sunt: simul ac autem consenserunt, sive id ultro fecerint, sive metu coacti: parendi ipsis gloria relicta est. Sic e. g. Imp. Rufforum invadebat Livoniam: Fingamus, et nullum fuisse justum titulum, adeoque illum vere fuisse invasorem: an poterant Livones jure illi resistere & bello oppondere bellum? Procul dubio. Si autem quaeras, an postea, quum urbes sub suam rede-gisset potestatem, id potuissent? Negandum id esset. Jam enim consenserant in ejus Imperium.

Ast unde is consensus praesumitur? Ex depositione armorum & deditioe. Dum enim se dedunt, dum arma animumque hostilem ponunt, procul dubio consentiunt in ejus Imperium.

n. 2. Nec admittenda exceptio Grotii, quod parendum non sit in iis, quae ad firmandum invasoris Imperium pertineant. Qui enim consenserunt in Imperium invasoris,

pro-

procul dubio etiam ad id firmandum obstricti sunt. Hinc si Livones Russis negassent tributa, quia iis Imperator abusus sit adversus Suecos, veros dominos, & ad firmandum in Livonia imperium omnino stolide egissent.

Ast alia quaestio est, an parere teneantur subditi, si invasor eorum opera uti velit adversus verum dominum, id enim nec tenentur facere, nec salva conscientia possunt, quia quidem invasor imperans noster est, respectu exterorum, sed non respectu veri domini, cui semper salvum est jus recuperandi Provinciam, quamdiu ei in pacis conditionibus non renunciarit.

§. 16.

Sequitur jam altera quaestio: an invasori liceat resistere, eum dejicere, immo occidere?

Responder Grotius, licere, & quidem variis casibus. Generalis vero regula est: Quoties hujusmodi invasor nondum est Princeps, sed hostis, toties in illum omnia licent. Inde itaque colligimus:

I. Id licere, si bello injusto quis nos adgrediatur, & nulla pactio inter illum, & nos sequuta sit, & quidem neque tacita neque expressa. Nam tunc non est Princeps, sed hostis. In hostem nihil nos licet.

Dico autem perinde esse, sive tacite pacti simus cum invasore, sive expresse. Nam tacitus consensus etiam verus consensus est, quod non videtur agnovisse Gro-

Gro-

Grotius. Dum enim tolero alterius Imperium, dum arma pono, dum, ut in me jure belli absteat, volo, eo ipso tacite cum eo pacifcor, adeoque ipsum agnosco principem, eoque, donec verus & legitimus imperans Imperium justis mediis recuperarit.

Hinc non minus injustum esset bellum Græcorum in Turciæ Imperatorem; quam vesperæ Siculæ, quibus Galli perfide trucidati sunt. Illi tacite; hi expresse Imperium inuasorum agnoverant.

§. 17.

II. Si lex existat, ut cuius fas sit occidere tyrannum. Tales autem leges existabant in Græciæ civitatibus fere omnibus, nec non Romæ lex Valeria. Et hinc defendi solet cædes Julii Cæsaris, quamvis a privatis perpetrata.

Sed hæc regula non usquequaque vera est. Nam 1) distinguendum inter inuasores, qui ipsi cives sunt, & extraneos. Illos solos hujusmodi lex obstringit, & quum contra hanc legem invadant remp. non possunt de facta sibi injuria conqueri, si occidantur. At extraneos hæc lex non obstringit; adeoque si is invasit remp. & libertatem sustulit: non valebit adversus eum lex a libero adhuc populo facta. Hinc absurdum fuisset, si quislibet Thebanus putasset sibi licere occidere Alexandrum M. postquam semel eorum princeps fuerat factus.

2) Etiam quod ad cives attinet, distinguendum, utrum pactio sequuta sit cum populo; nec ne. Si prius, legem illam ve-

rem nova lege sustulit populus: si posteriorius, tunc locum habet Grotii regula. Ergo jure occisus est C. Cassius, qui invaserat remp. non jure occisus est Julius Caesar, quem ipse populus lege lata Dictatorem perpetuum constituerat.

§. 18.

Tertius casus est, si accedat jussus veri imperantis. Hinc saepe solent veri Imperatores promittere primum ei, qui invasorem vivum mortuumve obtulerit.

Sed denuo distinguendum 1) an adhuc possideat Imperium Princeps legitimus, an invasor jam universum regnum teneat. Sic jure poterat Imperator primum hujusmodi promittere ei, qui Ragozziam vivum mortuumve sibi obtulisset, at id non poterat Augustus Rex Poloniae, quum Regno defectus Stanislaus opo Svecorum imperaret. Ratio diversitatis est, quia uti jam diximus invasori parere eoque tenemur, quoad imperans legitimis mediis recuperasset remp. Quamdiu nondum recuperavit, ejus jus in suspenso est, E. nihil nobis potest precipere.

2) Denuo distinguendum, an pacta intercesserint, nec ne. Pactum enim ex invasore ratione paciscentium facit Principem, quamvis legitimum imperantem haec pacta non obstringant, tanquam res inter alios acta.

§. 19.

Subjungit Grotius monitum. Extra hos casus non licere privato deicere aut occidere invasorem. Idque probat

1) In

1) Inde, quia non constat de voluntate summi imperantis, qui mavult fortassis tolerari invaluorem, quam rem in extremum periculum adduci. Hinc laudant Roman. Scriptores Mutii Scævola factum, qui in Porſennæ castra profectus regem infesto ictu petens, ejus administrum primarium occidit. Sed addit Livius, eum rem prius ad Senatum detulisse; & eo probante in castra profectum. Extra jussu Principis vel populi legitime imperantis non licebit privato in summum discrimen adducere remp.

2. 2. 3.

2) Quia libertas quidem jucunda, sed saepe remedium servitutis ipso morbo gravius. Nam 1) aliquando non potest populus libertatem ferre, uti Romæ tempore Cæsaris & Augusti: 2) Semper invalor occidendus habet, qui ipsi favent. Hinc ex hujusmodi cæde nascitur bellum civile, ex hoc nova tyrannis priore multo gravior, ceu exemplum Jul. Cæsaris occisi docuit.

Quum itaque privati non sit de gravi hac quaestione decernere, nec ei licebit occidere invaluorem, sine jussu totius populi.

2. 4

Objiciunt aliqui factum Ehudis, qui hoc modo occidit Bylonem Phylistacorum regem Jud. III, 15. Facinus Jehu, qui domum Achabi ita destruxit, & principatu dejecit. Sed resp.

1) Exempla non probare, sed illustrare: non ostendere quid fieri debeat, sed quid factum.

2) Utrumque tyrannidicam ipso Dei jussu

justu dextram adversus tyrannos armasse. Dei autem judicio supremo nemo injusti-
tiae dicam scripserit. Condemnaverat illos
Deus ad mortem, executionem deman-
dare poterat cuicumque vellet.

§. 20.

Denique graviter monet Grotius: non
esse privatorum de controversiis hujusmo-
di & factis principum judicare. Et recte
quidem. Nam

1) Illis deest judicium & prudentia suf-
ficiens ea de re iudicandi.

2) Plebs summis imperantibus semper
iniqua est.

3) Christus ipse noluit privatis permit-
tere judicium de Imperio Augusta-
rum,

dum dixit: *Date Caesari &c.*

C A P U T V.

Qui Bellum licite gerant.

§. 1.

Ultimo hoc capite quænam quæstio
tractetur, paucis explicandum. Causa
efficiens belli duplex est, principalis,
& minus principalis. Principales sunt sum-
mi imperantes vel republicæ, quorum au-
spiciis bellum geritur. Minus principales
sunt duces, milites. Hinc tres nasci pos-
sunt quæstiones.

1) An

- 1) An summi Imp. vel republ. & qui quæve inter se bellum jure gerant?
- 2) An summi Imp. & republ. etiam pro aliis bellum gerere possint?
- 3) An subditi possint & teneantur milites agere pro superioribus suis.

Prima quæstio hæctenus explicata, de reliquis agitur hoc capite, & de secunda quidem §. 2. de tertia §. 3. 4.

§. 2.

B. 1. Quod ergo ad bella pro aliis gerenda attinet: nemo dubitavit ea justa esse. Nam

1) Ipsa humana natura nos obligat, ut miseris succurramus, si privati jure reprehendantur, qui id non faciunt: quidam & imperantes & resp.

2) Vicinorum clades semper fere cum nostro periculo conjuncta est. Vicino oppresso, tanto facilius & nos opprimimus. Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.

B. 2. 3) Potest & vinculum nos obstringere ad arma pro aliis capienda. Sed quale? Grotius sufficere ait naturæ humanæ communionem. Sed id vinculum paullo laxius. Sunt multo majora, veluti

1) Foedus, ex quo tenemur alterius causam suscipere.

2) Fidejussio de servanda pace, quæ vocatur la garantie: Tunc enim fidejussor (le garant) tenetur armis tueri cum cui contra pacem fit injuria.

3) Cognatio, adfinitas.

4) Spes succedendi.

5) Re-

5) Religionis societas ejusque periculum.

§. 3.

Sequitur ultima quæstio: an & qui subditi possint & teneantur militare superiori? Adfirmat Grotius, idque

1) Inde probat, quia subditi sint instrumenta summi Imperantis, non externa, sed interna. Sed hoc argumentum dilutum est. Nos addimus alterum.

2) Quia reipubl. essentia consistit in unione voluntatum & virium. Si vires unire, poterit imperans & subditis uti ad militiam.

§. 4.

Sed quæritur, an nemo excipitur? Dist. inter militiam lectam & mercenariam. Illa neminem excipit, nisi privilegio munitum: hæc omnes, qui sumtus reip. suppeditare possunt ad conducendum militem.



REAG2296422796422 9642296422 9642296422

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De Belli causis, & primum de defensione sui, & rerum.

Diximus sub finem proemii, tres esse Grotiani operis partes, quas vulgo hoc versiculo solent complecti:

Quid bellum? belli causæ; quæ juraque belli?

Quum itaque hæctenus primo libro adunat fit de bello in genere: jam libro II. causæ belli prolixè explicantur.

Caput primum constat 3. partibus. In prima ostenditur, quid sit causæ belli? §. 1. in secunda, quot & quænam sint §. 2. in tertia prima belli causæ tractatur, nempe defensio vitæ & rerum suarum. §. 3. ad fin.

§. 1.

Si itaque quæritur, quænam sint causæ belli: ante omnia distingui merentur, quæ vulgo confunduntur. Nam

n. r. 1) Alii sunt prætextus, aliæ sunt causæ belli. Prætextus, vel ut latinius loquamur causæ, quas obtondere falso solent belligerantes, sunt illæ, quæ quum movisse Imperantes dicantur, eos tamen non moverant. Sic e. g. Ferdinandus Catholicus

cus

cus occupabat partem Regni Navarra Hispanicam sub prætextu excommunicationis Papalis, quum vera causa esset habendi cupiditas. Romani debebant Carthaginem sub obtentu, quod foedus violaret, quum vera causa esset, quod exstare nollent urbem, a qua aliquando fuerant tot cladibus affecti. Causæ autem belli sunt, quæ vere moverant.

2) Et hæc denuo vel politicæ sunt, vel occasionales, vel justificæ. Merè politicæ, quæ merè utilitatis contemplatione movent, e. gr. bello adgrediendus vicinus, quia jam debilis est. Occasionales, quæ proxime occasionem dant, ut ad manus veniatur, unde & *principia belli* dicuntur. Tale belli principium erat cervus apud VIRGILIUM *Æneid. lib. 7. n. 485.* cujus occasione ad manus veniebant Æneas & Turnus. Ita & cæsi ad Delium templum milites principium belli fuerunt Romanorum adversus Antiochum, *LIV. lib. 35. cap. 52.* Causæ denique justificæ sunt, causæ quæ ex regulis justæ sunt, & efficiunt, ut salva fide & conscientia bellum geri possit. Et de his jam agendum.

His causis justificis opus esse, & bellum debeat justum dici, facile probatur. Nam

1) Rerum moralium justitia & injustitia ex fine & causa impulsiva estimatur. Justa est lis, quæ sui recuperandi retinendique: injusta, quæ alienius vexandi causa suscipitur. Ita & justum bellum quod ex justa causa, injustum, quod ex mera ambitione & avaricia suscipitur.

2) A

n. 3. 2) A minore ad majus inferri potest. Si injustum est privatim vim adhibere sine justa causa, idque qui facit, latro merito appellatur: multo magis, qui totam gentem sine justa causa variis cladibus afficit. Immo tanto magis latro est, quo plus innocentis sanguinem sine ratione fundit. Notetur elegans judicium Seytharum de Alexandro M. apud CURT. L. 7. c. 8. n. 29. *At tu, qui te gloriaris ad latrones persecuendos venire, omnium gentium, quas odisti, latro es.* LUCANUS lib. 10. v. 20. VOCAT, *torrarum felicem pradonem.*

n. 4. 3) A sine bellorum idem probatur: Bellum idem est in statu naturali, quod in civili sunt judicia. Quemadmodum itaque locum non habent judicia sine injuria, ita nec bella sine injuria a Principe vel gente illata.

§. 2.

n. 1. 2. Jam porro queritur, quanam illa fiat causa justificæ, ob quas bellum pie & juste geritur?

Grotius ita procedit, ut comparet inter se judicia civilia & bella, & supponat regulam: *Ex quibus causis civis inter se iuste litigant, ob easdem Principes & gentes inter se iuste bella gerunt.*

Jam omnes lites justæ nascuntur ob injuriam sive mandatum factam, sed quam metuimus, uti cautio de damna infecto, interdita uti possidetis, ne vis fiat cet. sive ob *iam factam*, unde dantur actiones reales, rei vindicatio, confessoria &c. & personales ex contractibus veris & quasi contractibus.

vel

Et primum de defensione sui, &c. 211
vel denique de pœnis ob delictum sive publicum, sive privatum: quo pertinent omnes actiones pœnales & persecutiones criminales.

Ita & tres sunt belli causæ. Ob injuriam enim imminentem licita est *defensio*; ob jam illatam, *recuperatio* rerum nostrarum; ob factum quodcumque gravius vel injustam pœnam seu ultionem.

Ita Grotius: tres sunt belli causæ justificæ, *defensio*, *recuperatio* rerum, & *punitio*: idque deinde suo more illustrat testimoniis veterum, veluti Diodori, Livii, Aristotelis, Curtii.

Sed hic Grotium merito castigarunt Boeclerus, Jo. a Felde & Casp. Zieglerus. Nam pœna concipi nequit sine superiore, qui jus pœnam exigendi habet. Quum vero principes & gentes inter se non sint superiores & inferiores, merito argumentamur:

Qui sunt pares, ii se invicem punire nequeunt,

Principes & gentes inter se sunt pares, Et hinc merito hæc tertia causa omittitur & omne bellum aut geritur propter defensionem, aut propter reparationem rerum nostrarum, non propter punctionem. Conf. *BUDDEI Diss. de expeditionibus cruciatis*, §. 7. *seqq.* ubi querit, an justa fuerint bella Christianorum cum barbaris, quia hi fuerint infideles?

Interim Grotius hunc ordinem hoc libro observat. Nam

1) De defensione sui agit, Cap. I. IX.
Hein. de Jure Belli, &c. K 2) De

n. 3.

2) De reparatione rerum nostrarum.
Cap. X. XIX.

3) De punitione Cap. XX. XXI.

§. 3.

Prima causa est DEFENSIO sui suarumque rerum. Ea vero denuo est triplex. Nam aut defendimus

1) Vitam §. 3. 5.

2) Integritatem membrorum §. 6.

3) Pudicitiam §. 7.

4) Res nostras §. II. seqq.

De singulis jam seorsim.

1) Recte defendit, ob periculum vitae imminens, & quod aliter evitari non potest, bellum & privatum & publicum recte geri. Privatum, quoties suscipimus moderamen inculpatae tutelae: publicum, quoties hostis nobis extrema intentat. Immo hic non interest, si is qui me adgreditur, id bona fide faciat, e. g. furiosus, errans, siue mala. Nam

1) Nullum jus nos obligat, ut magis amemus alios, quam nos ipsos. *Dilige proximum tuum, sicut te ipsum.* Non itaque parcere alii cogor cum meo interitu.

2) Ex eo fundamento porro sequitur. Quia defendere cogor proximum, si incidat in periculum, multo magis me ipsum. Verum enim dilectio incipit a se ipso.

3) Quum ergo fundamentum defensionis meae non sit alterius peccatum, sed obligatio illa & impetus naturalis me defendendi. Hinc facile patet, me meae defensionis causa occidere posse, qui mihi intentat necem, quamvis id sine dolo fa-

§. 4. de defensione sui, §. c. 213
faciat. Hinc variaz decidendaz quæstio-
nes:

a) An in bello occidere possim mili-
tem hosti bona fide militantem?

b) An qui me adgreditur ex errore,
quum putet me alium esse?

c) An furiosum, insanum, noctivagum
vel lunaticum? Omnes hæ quæstiones ad-
firmandaz, quia, ut diximus, id jus non ha-
bet pro fundamento peccatum alterius, sed
obligationem meam vitam defendendi.

§. 4.

Ex eodem fundamento definiendaz quæ-
stiones:

d) An & innocentes plane, qui mihi
resistunt possim obtruncare, si mihi aliter
consulere nequeam? e. g. si infans vel clau-
dus impediatur me fugientem, dum viam oc-
cupavit. Resp. alii affirmando, ut *Cardina-
lis Hostius qu. 33. c. 1. Petrus Navarrus
L. II. c. 3. n. 147. Cajetanus L. II. c. 20. art.
6. 7. qu. 2.* Alii Grotius id putat repugnare
dilectioni, adeoque regulis Evangelicis.

Sed 1) quod iustum est ex jure natu-
ræ, id non potest injustum fieri evange-
lio, quamvis forte Evangelium majorem
sanctitatem requirat.

2) Nullum est testimonium S. S. quod
hoc casu me jubet parcere infanti, vel
claudo, & me potius perire.

3) Evangelium non aliam requirit di-
lectionem proximi, quam ut cum diliga-
mus sicut nos ipsos. Si autem ei parci-
mus, ut pereamus: magis diligimus pro-
ximum, quam nos ipsos.

Hinc rectius alii dicunt, hoc quoque casu quamvis esse honestam rationem expediendæ salutis, quamvis recta ratio suadeat, 1) ut periculum faciamus an saltu possimus transmittere infantem. 2) An claudum sine interitu possimus prosterne- re. 3) Ut si ei damnum dederimus, id resarciamus pro virili.

§. 5.

Dum autem defensionem vice etiam violentam concedimus, aliter id intelli- gendum in quæstione de bello privato, aliter in altera de bello publico.

In bello publico sufficit quodvis pericu- lidum imminens, modo certe immineat, & non mera suspicio periculi sit. e. g. vici- mis non solum bellum manifesto parat, sed etiam variis in rebus hostilem adversus nos animum ostendat, nullum est dubium, quin præoccupare illum liceat. Sic quum domus Brunsvicensis exercitum compararet maxi- mum munis Gallicanis, & nemini exitium minaretur, quam domui Hanoveranz, cui ob electoratum succensebat: hac una nocte omnes invasit terras Brunsvicenses & mi- litum nondum contractorum partem maxi- mam captivam abduxit.

At in bello privato periculum adesse debet præsentissimum, adeo ut moderamen inculpatæ turpis non sit.

1) Si quis ob imminens periculum, vel ob minus alterum occidat.

2) Si periculo jam propulsato adgres- sorem occidere audeam.

Rationem Grotius arcessit a natura motus, qui

qui sæpe fallere soleat, ut nobis periculum imminere fingamus, quale nullum imminet: sed hæc ratio non sufficit, nam & in bello publico locum habet, nec quisquam potest salva conscientia bello adgredi alterum, nisi metus sit justus. Ergo ex hac ratione explicari non potest, hoc discrimen, cur in bello publico liceat ob metum justum defensionem suscipere, in privato non liceat.

Vera itaque ratio est, quod in statu civili periculum imminens possit propulsari, implorato auxilio magistratus, qui potest jubere cautionem præstari de non offendendo, id autem fieri nequit in statu naturali. Ergo hic primum ictum excipere non teneor.

Ergo facile patet, quid sentiendum sit de quaestione n. 2. proposita, an si conjurasse, insidiari, venenum parare alterum videam, eum jure interficiam? Ex theologis moralistis, uti se vocant, hoc concedit BANNER in *Quæst. 64. Art. 7. dub. 4.* ex JCtis BALDUS: sed Grotius merito negat. Nam non video, quomodo hic magistratus auxilium implorari, ab eoque nobis auxilium præstari nequeat. Quamdiu autem id nobis præsto est, nullum nobis sus est defensionis in statu civili.

§. 6.

Secundo etiam defensio membrorum nonnunquam necessaria est, maximeque ea causa locum habet in bello privato, seu moderamine inculpate tutelæ. Quæritur, an ea justa sit, ita ut occidere possim

216 : *Lib. II. Cap. I. De Belli iustitia*,
cum, qui me manu, oculo mutilare, vel
mihi vulnus dolorificum infligere intentat?

Resp. affirmandum id esse. Nam 1) non
teneor alterum plus amare quam me.

2) Ea intentio sæpe dubia est, nec ictus
ita ad mensuram dari possunt, ut certus
esse possim, solam manum peti.

3) Integritas corporis sæpe non minoris
nobis est, quam ipsa vita: immo facilius,
aliquando vitam quam oculos manusque no-
bis eripi pateremur.

4) Incertus est vulneris eventus, quum
et ex minimo vulnere mors sequi possit.

§. 7.

An vero idem licet pro pudicitia? Ad-
firmant plerique, & in his GROTIUS, BU-
FENDORBIUS, & ipse PLATO §. 9. de legibus.
HADRIANUS l. 1. §. 4. ff. ad La. Corn. de
St. Hebræi apud SELDEN, de J. N. & G.
lib. 4. c. 3.

1) Quia Deus ipse vitam & pudicitiam
pari pretio æstimet.

2) Quia virgini pudicitia pro dote sit.

3) Quia magistratus stupratorem violentum
possit capitis damnare, adeoque & pri-
vato, ut id faciat permittere.

Sed dissentiunt tamen alii, & in his
THOMAS. in jurispr. div. l. 2. c. 2. §. 114.
BUDD. in Theol. Moral. p. 675. quin ex ve-
teribus AUGUSTIN. de lib. arbitr. 1, 5. Ra-
tiones sunt:

1) Si per pudicitiam intelligatur virtus
moralis, eam eripi non posse: cuius vero
amittendi non est periculum, ejus nec de-
fendendi jus est.

2) Sin

2) Sin per pudicitiam intelligatur integritas corporis physica: ea in se non ita violatur a stupratore, ut non magistratus auxilio satisfactionem impetrare possit.

3) Sic ex parte virginis duo concurrere mala, unum minus & physicum, ut hanc injuriam corpore excipiat, alterum majus & morale, ut stupratorem occidat: ex duobis autem malis, quorum alterum physicum, alterum morale, vel utrumque physicum est, semper eligendum esse minus.

Nos virginem hanc in foro puniri haud posse dicimus: sed an conscientiae suae laesus consulat hoc defensionis genere, non definiam. Tutius saltem fuerit, clamore, reluctatione, minis se defendere quovis modo, quam his non sufficientibus ad arma se convertere.

§. 8.

Sequitur jam nova quaestio, an liceat defensionem omittere, adeoque juri suo renunciare?

Negant hoc alii, qui hanc legem putant esse praecipivam: *defende te*. Alii qui eam permissivam volunt, adfirmant, quum quisque juri in sui favorem introducto possit renunciare. Alii denique distinguunt inter personas, quas vivere inter sit, & quorum vita non adeo utilis sit reip. Illas se defendere teneri putant: has laudabilius agere, si se non defendant, quamvis, si velint, id possint.

Nobis omnino haec lex non solum permissiva sed praecipiva videtur, adeoque hic non valet regula: *Quisque potest juri*

218 *Lib. II. Cap. I. De Belli causis,*
in favorem sui introducto renunciare. Narr
ea locum non habet nisi in rebus nostris.
Vita non nostra est, sed Dei. Præterea
nititur obligatio defensionis regula & lege
divina: *Dilige proximum, sicut te ipsum.*
Usi ergo proximum defendere non sola
permissio, sed verum præceptum est: ita
& se ipsum defendere.

§. 9.

n. 1. 2. 3. Jam regulæ huic quæstiones nonnullæ
adduntur. Et quidem 1) Defensionem
violentam cessare in privato contra prin-
cipem suum, de quo late Grotius toto
hoc §. sed quum jam superiore libro,
cap. 4. de hac re ex professo actum sit,
non opus plura jam addi.

§. 10.

n. 4. Secunda exceptio est, si injuria inten-
tata sit momenti paullo minoris. Unde
varie quæstiones. Nam

1) Quæritur, an ob intentatam alapa
liceat ad defensionem violentam prouere,
& intentantem occidere? Grotius dividit
inter jus strictum & æquitatem Evangeli-
cam. Illo jure seu exacte justitia du-
ce putat licere: ex ea ratione, quod dum
alter me injuria adficere parat, is mihi
eo ipso det jus in infinitum adversus se.
Ast ex Evangelica lege id minime conce-
di, quia Christus potius vult nos inju-
riam istam tolerare.

Sed ego nec ex lege evangelica, nec
ex jure naturæ stricto procedere arbitror de-
fensionem, usque ad destructionem alterius.

Nam alapa consideratur aut tanquam in-
juria,

& primum de defensione sui, &c. 219:
juria, aut tanquam dolorem efficiens actus.
Si prius, nullum hic est periculum, ne per
magistratum satisfactionem accipere non
possimus: sin postorius, non est dolor iste
tam intolerabilis, ut dignus sit, ut ad eum
evitandum alterum destruere conemur.

2) An accepta alapa liceat alterum occi- n. 2.
dere ad recuperandum honorem, ut ajunt?

Adfirmant id theologi, Navarrus, Hen-
riquez, Defoto aliique, sed Grotius recte
negat. Nam

a) Vera existimatio est opinio aliorum
hominum de nostra virtute. Ea non amit-
titur alapa innocenter accepta, sed vitiis,
ut facinoribus adversus rectam rationem
admissis.

b) In bello privato jus defensionis
non durat diutius, quam dum præsens
est periculum. Eo defuncti reliqua com-
mittenda magistratui.

c) Si amissa esset existimatio, illa non
recuperaretur vindicta privata, quæ est
actus illicitus, sed auxilio magistratus, &
poena ab illo inflictæ.

3) An si fuga possim declinare peri- n. 3.
culum, nihilominus possim violenta alte-
rius cæde mihi securitatem parare?

Negat Grotius, ex ea ratione, quod
fuga in se nihil ignominie habeat, nisi
forte in milite ad moriendum potius,
quam fugiendum obligato.

Sed distinguendum potius inter fugam
& perfugium. Ad hoc obstricti sumus,
quia sic securitati nostræ consulitur: ad
illam minime,

K 5 a) Quia

a) Quia fugiens tergum præbet adversario.

b) Quia si caderet, actum esset cum fugiente.

c) Quia si adgressor illum adsequeretur, difficile foret, ad defensionem se de novo componere.

§. 12.

Ultima species defensionis est, quæ pro-
tendendis rebus nostris suscipitur. Ubi au-
ctor disquirat, 1) an ea conveniat juri
nat. §. 11.

2) An LL. V. T. §. 12.

3) An doctrinis N. T. §. 13.

4) An juri civili? §. 14.

L. Quod ad primam questionem attinet,
illam adfirmat Grotius, fateturque, non
adversari hanc defensionem juri N. Nam
1) res, bona, opes pertinent ad vitam
sustentandam, & sæpe occidere videtur,
qui bona & res nobis subtrahit. 2) Ple-
rumque fures & raptores non tantum fur-
randi, sed & occidendi animo irruunt. 3)
Fuga sibi consulunt ordinarie, & res le-
vissimo pretio distrahunt, adeoque vix spes
est, vel personam adsequendi, vel res no-
stras recuperandi. Quum itaque hic cesset
Magistratus auxilium: quælibet honesta ra-
tio est expediendi salutem.

Sed tamen ex his ipsis rationibus patet,
regulam hanc admittere exceptiones, ni-
mirum

1) Si res sit nullius momenti, quam
raptor petit.

2) Si vel spes sit recuperandi, e. g. si

raptor sit notus & locuples, vel magistratus aliorumve hominum auxilio periculum propulsare possim. V. g. Si interdium raptore conetur in urbe celebri & populosa, ubi facile sit advocare vicinos. Defensio enim inter privatos cessat, nisi adsit extremum periculum.

S. 12.

II. Quæritur quid leges V. T. ea de re sanxerint? Lex Mos. distinguit inter furem & raptorem diurnum, & nocturnum, illum occidere vetat, hunc permittit. Exod. XXII, 2.

n. 1.

Ea lex tam æqua visa est, ut apud plebasque gentes reperias similem, e. g. apud Athenienses: vid. DEMOSTH. in *Timocr.* apud Romanos, ubi in XII. Tab. cautum fuerat, ut furem nocturnum occidere liceret, non item diurnum, nisi telo se defendat. CIC. *pro domo, cap. 41.*

Jam quæritur, quænam sit hujus distinctionis ratio? Alii rationem hanc allegant, quod noctu discerni non possit fur & sicarius: sicarium autem occidi posse nemo negat.

Alii dicunt, rationem esse, quod res noctu surreptæ difficiliter recuperari possint, quia fur sit nobis ignotus.

Sed vera ratio longe alia est, nempe quod demonstravimus, defensionis privatæ longe aliam esse rationem, quam belli publici. In hoc jus mihi est me defendendi, simulac periculum justè metuo, & id jus durat tamdiu, donec impetraverim securitatem. Ast defensio privata incipit,

n. 2. 3.

Simulac periculum est presentissimum, nec diutius durat, quam illud periculum durat: quia alias ope magistratus uti possum. Jam in furto diurno plerumque non est periculum presentissimum, nisi in locis solitariis: in nocturno autem omnino. E fures nocturnos occidere licet, diurnos non item, nisi telo se defendant.

Hinc non admittenda presumptio, quam urget Grotius. Dicit presumi, furem nocturnum cum telo adfuisse: hinc si contrarium probari possit, cessare presumptionem. Nam id potius ad furtum diurnum pertinet. Noctu hæc vix discerni possunt, quum fuerim in justo metu.

4. Illustrat id Grotius exemplo legis de occidendo stupratore. Nam Moses id permittit in agro, non item in urbe, ubi clamore possit periculum avertere.

Sed pudicitiae aliam rationem esse, jam supra ostendimus; & hæc ipsa lex eodem principio potest explicari: quod in urbe populosa periculum non sit presentissimum, in agro aliisque locis solitariis omnino presentissimum esse soleat.

§. 13.

5. III. Pergit Grotius ad doctrinas N. T. & putat, eam defensionem rerum suarum violentam non esse iis permissam, idque probat dictis Christi notissimis, si quis pallium eripiat, tu ei tunicam quoque concede. Matth. V. item Pauli, qui Christianis turpe putat de rebus hujus mundi litigare. Quanto minus justum erit occidere, ad res suas servandas?

Sed

Sed 1) Christus non est novus legislator.

2) Consilia hæc non obligant, nisi quibusdam casibus, nempe tempore persecutionis.

3) Paullus non dixit, nefas esse Christianis, litigare coram iudice, sed coram iudice ethnico, unde scandalum nasci possit. Hinc suadet, ut inter se arbitros eligant, qui iudicent inter fratrem & fratrem.

11. 20.

Hinc nec est, quod theologos reprehendat, qui id ius defendendi defendunt. In hoc uno tamen reprehensionem merentur moralistæ illi pontificii, Soto & Lessius, quod & furem diurnum, & qui telo se non defendat, occidi posse existimant. Id enim vel ideo absurdum, quod regula generalis etiam in defensione vitæ obtinet, defensionem justam esse, non nisi eo casu, si præsentissimum adsit periculum. An plus liceret pro rebus tuendis, quam pro vitâ?

S. 14.

IV. Denique progreditur Auctor ad ius civile, & quærit, an illud huiusmodi eadem pro rerum suarum defensione permittere possit? Id negat.

1) Quia lex non habeat ius necis in cives, nisi ex delicto gravi, quod mortem mereatur.

2) Quia probabilis sit Scoti sententia, neminem posse ad mortem damnari, nisi ob delictum, cui lex Mosaica poenam capitalem proposuerit. Fortum autem ex L. Mosaica non puniri morte.

3) Lex nemini irrogat poenam, nisi causa cognita.

1) Lex

4) Lex impunitatem promittere, jus facere non potest.

Sed in his omnibus egregie fallitur. Nam respondeo

1) Ad primum, Legislatorem gaudere jure vitæ & necis, si graviora delicta ingruant. Graviora autem habentur, quæ & frequentius perpetrantur, & securitatem reip. turbant. Tale est furtum & rapina.

2) Ad secundum. Falsum esse, quod ea tantum delicta capitalia sint, quæ capitalia voluerit esse lex Mosaica. Leges enim forenses attemperandæ statui reip. Jam Israeliticæ reip. consentaneæ fuerunt leges Mos. at non ideo statim conveniunt nostræ, ubi furta sunt multo frequentiora.

3) Lex nemini irrogat poenam, nisi causa cognita: sed hic poena non est, sed defensio.

4) Lex non potest jus facere, sed impunitatem dare. Resp. concedendo, si lex quidquam introducit contra jus naturæ. Sed defensionem hanc licitam esse jure N. ipse Grotius fassus est §. 11.

§. 15.

Hinc quæstionem movet de duellis, an ea licita? Idque negat exceptis duobus casibus.

1) Si invasor me adducat in hujusmodi discrimen.

2) Si magistratus duos mortem meritos committat: quod frequenter in theatris faciebant Romani. Sed quum prius non sit duellum, sed defensio vel moderata inculpatæ tutelæ: posterius actio

foli-

Et primum de defensione sui, &c. 229
solida, & crudelis: rectius dixeris, duella
nunquam licita.

1) Quia defensio privatis nulla, ubi
non presentissimum periculum. Provocatus
vero posset implorare auxilium magistratus.

2) Quia hoc modo invaditur officium
magistratus.

3) Quia iste modus decidendi contro-
versias est absurdus, quum & innocens
perire, & injustus vincere queat.

§. 16.

Hæc de bello privato: Jam queritur an
ea & ad bella publica pertineant? Resp.
Et hæc ob defensionem reip. jûste geri:
sed tamen non unum esse inter bella pu-
blica & privata discrimen. Nam 1) pri-
vati defensio incipit, simulac periculum
est presentissimum. Contra publicum bel-
lum suscipitur etiam ob metum justum pe-
riculi futuri. 2) Defensio privati cessat,
cessante periculo, jus belli non cessat pro-
pulsato periculo: hosti enim in hostem
in infinitum omnia licent, donec mihi sa-
tisfecerit.

§. 17.

Queritur autem, an ob solam vicini
potentiam liceat bellum gerere?

Negat Grotius merito. Bellum enim nul-
lum est sine injuria. Ast qui suo jure usus
sit potentior, nemini facit injuriam. Unde
merito hæc doctrina Hobbesii rejicienda.
Sed distinguendum tamen inter potentiam
jûste & injuste adquisitam. Priore enim
casu cessat causa belli: posteriore omnino
licet illud gerere. Hinc quum Rex Franciæ
Hispa-

Hispaniam nepoti suo multis artibus vindicasset, domo Austriaca exclusa: iusta arma capiebant Britanni, Lusitani, Belgæ, quorum intererat, potentiam Gallicanam hæc accessione non fieri intolerabilem.

§. 18.

B. I. 2. Denique quæritur, an & iis qui bellum meruerunt, sola defensio sit causa belli iustificata?

Resp. negando. Qui enim defendit, is propulsat injuriam. Non autem patitur injuriam, qui ipse intulit.

Ergo qui læsit, bello petitus iniuste se defendit, quum potius teneatur ad satisfactionem præstandam.

Id tamen observandum, posse ex bello injusto fieri justum, si lædens se offerat ad satisfactionem æquam, læsus autem illam respuat. Tunc bona causa a læso transit ad lædentem. Exemplis id illustrat Grotius, quibus merito accenseas ultimum bellum Suecicum. Sueci erant læsi, sed oblata a Russis & Polonis satisfactione, eaque rejecta, iusta causa transibat ad lædentes.

C A P U T II.

De his quæ Homini bus communiter competunt.

§. 1.

Demonstravit hæctenus auctor causam bellorum iustificam esse DEFENSIONEM. Ea autem defensio sæpe suscipitur non

non pro vita & membris, sed pro rebus nostris. Nostræ vero res non sunt natura, quia summus creator omnia initio humano generi dedit tanquam communia. Ergo quaeritur, *cus & quomodo res quaedam nostræ dicantur.* Et hanc doctrinam prolixissime tractat A. capitibus insequentibus. Quum autem res quaedam nostræ sint communiter cum aliis, quædam nobis propriæ, de illis agitur capite hoc II. de his insequentibus.

Communes res sunt denuo duplici sensu, *privative & positive.* *Privative*, quæ in nullius dominio sunt, sed omnium usui patent, ut aer, lux, aqua profluens. *Positive* quæ sunt in dominio plurium. Sic e. g. oppidum Trefurtum in Germ. commune est Moguntino, Saxonj & Hasslo.

Et hæc divisio paullo accuratior est altera Grotiana in res communes, quæ in dominio *neque sunt, neque esse possunt*, & illas, quæ *non sunt quidem, sed quoniam tamen esse.* Nullæ enim sunt res, quæ non saltem ex parte possint fieri propriæ, id est, ita occupari ab altero, ut reliquæ ab earum usu excludantur, ceu exemplo ipsius aeris intra ædes, manifeste patet. Nihilominus hunc ordinem servat Auctor, ut consideret.

1) Res, quæ propriæ fieri nequeant, §. 2. 3.

2) Res, quæ propriæ fiant per occupationem, §. 4. ad fin.

§. 2.

Ut serum prioris generis natura perspi-

cia.

28. *Lib. II. Cap. II. De his qua Homini-
bus* catur, primo inquit, unde jus proprie-
tatis? quomodo res propriae factae sint? Et
cur quaedam manserint communes.

n. 1.

I. Jus proprietatis Grotius recte derivat
a concessione divina, ut homines rebus
creatis ad suam conservationem uti pos-
sint. Nam si quod mihi concessum est,
occupo, procul dubio fio dominus. Con-
cessisse autem Deum humano generi res
omnes patet.

a) Ex S. S. Gen. I, 29. & Gen. IX, 2,
ubi prior locus de concessione post crea-
tionem; posterior de concessione post di-
luvium agit. Errant vero, qui putant istis
locis Deum hominibus concessisse domi-
nium rerum: minime, sed jus dominium
introducendi. Res enim non concessit uni,
sed omnibus, non divisim, sed commu-
niter.

b) Ex recta ratione. Deus nobis dedit
ut simus, ergo & voluit ut conservemur.
Conservationem dum vult, vult & media
ejusdem. Media conservationis nostrae sunt
res, sine quibus ne per momentum qui-
dem vivere possemus. E. Deus nobis con-
cessit usum rerum. Si usum rerum dedit,
concessit etiam jus res occupandi, & ita
tanquam nostris utendi. Q. E. D. Hinc
& gentiles, quibus SS. ignota est, eam
veritatem agnoverunt, veluti JUSTINUS
libro XLIII. Hist. c. 1.

n. 2. 3. 4.

II. Quum autem res nobis Deus omnes
concesserit communiter, porro quaeritur,
cur in prima illa communione homines
non perdidissent? Grotius ea de re disserit

pro-

proflixè, sed ita ut multa ex theologia sua immisceat. Nos iis fructibus nos haud commitemus, sed rem ipsam proponemus.

1) Prima ratio est aucta hominum multitudo. Quamdiu hominum numerus intra paucos sterit, sufficere res eorum usibus, quin omnia erant inexhausti usus, adeoque nullo opus erat dominio. At postquam ita auctum est genus humanum, ut omnes terras, insulas, provincias, quin & loca parum fertilia occuparet: non potuit non fieri, ut non sufficerent res omnibus, nec potuissent sufficere, si singulis liber earum usus fuisset concessus. Demonstrat id exemplum aquæ in urbibus obsessis, quamdiu ea sufficit promiscue omnibus, non est in dominio, sed communis; simulac vel ob copiosum præsidium, vel ob hostium cuniculos metuitur, ne deficiat, statim usus iste promiscuus cessat. Ita se res in aliis rebus habuit.

2) Altera causa fuit voluptas, quæ homines impulit, ut a simplicitate primæva ad lautiorè vitam desciscerent. Sic homines primævi nudi incedebant, postea pellibus non ad splendorem, sed ad expellendum frigus velandamque nuditatem vestiebantur, demum auro, argento, gemmis fulgere dulce putabant. Primis mortalibus antrum vel tentorium pro tecto, terra pro cubili erat: posteri ædibus & palatiis splendidis habitare, & lectulis incubare malebant. Nulla olim suppellex, postea ne copia quidem sufficiebat, nisi & materiæ pretium accederet. Primi homi-
nes

230 *Lib. II. Cap. II. De his qua Homini-
bus cibo parabili & sponte nato; posteri
exquisito, & varie condito vescabantur.
Huic vitæ sane non sufficiebant res, si
omnium promiscue usibus patuissent. Ergo
a communione primæva videbatur disce-
dendum. Accessit*

3) *Avaritia. Dum enim semel homines
res tanquam suas vindicare cœperant: res
accipere pretium. Ergo impotens ista ha-
bendi cupido facile stimulabat homines, ut
plura occuparent, quam necessitas exige-
ret. Hinc factum, ut quum ita reliquis
deesset, unde viverent, omnia perquisive-
runt, ut & ipsi aliquid haberent. Inde &
sylvæ, rivi, flumina occupari cœperant.
Inde & in terræ viscera penetratum, ut
metalla extraherent. Denique sequutum*

4) *Generosum vitium, uti eleganter
vocat Grotius, ambitio, quæ concordiam,
ac deinde omnem communionem rupit,
maxime quum lites de limitibus, & hinc
bella accederent.*

*Hæ sunt veræ causæ, cur a commu-
nionem primæva discessum. Omnes a Grotio
allatæ ex vitiis hominum sunt, ex quibus
sane non potuit nasci justus titulus occu-
pantibus. Ast nos primam causam dicimus
primariam, ex qua justus titulus natus est
occupantibus. Vitia autem illa in causa
fuerunt, ut abuterentur homines eo jure
occupandi, & res non æqualiter partiren-
tur, sed unus altero plus occuparet.*

n. 5.

III. *Quæritur, quomodo res factæ fue-
runt propriæ? Nempe 1) per Occupatio-
nem. Occupatio autem est rei nullius adpre-
hensio*

hensio cum animo vel consilio eam mihi habendi. Quia enim Deus omnium usibus concesserat res creatas, prono alveo inde fluebat axioma: Quæ nullius sunt, cedunt occupanti.

Ex ea autem occupationis definitione fluit, occupationem fieri non solum animo, sed & corporali adprehensione. Sine hac enim alter nescit, rem esse exemptam communione, inquit Grotius. Sed ea non est vera ratio. Nam quid si alter verbis id declararet, vel aliis signis? e. g. Ego cum Titio in litore maris ambulo. Ille me præcedit, ego tamen prius video gemmam a mari ejectam, animus mihi est, eam occupandi, clamo, me illam habere velle, sed Titius nihil verborum faciens illam sibi adprehendit & vindicat. An ideo mea est, quia habui animum occupandi, & Titius jam sciivit, me cum animum habere? Ratio itaque alia est, nempe quia velle occupare, non est occupare. Quam itaque sola occupatio rem faciat meam: non sane sufficit, me animum declarasse, sed opus est vera occupatione, id est adprehensione corporali.

2) Per divisionem quoque res communes fiunt propriæ, cœu exemplo Palæstinæ ab Israelitis communiter occupatæ, & postea inter tribus per sortem divisæ luculenter patet.

S. 3.

His præmissis auctor ad ea transit, quæ in dominium & proprietatem hominum ire posse negat, eoque refert mare, aerem & fyrtes.

I. Pri.

I. Prima quæstio, an mare sit in dominio? multa ingenia eximia exercuit, veluti Grotium, cujus singularis ea de re tractatus post hunc librum reperiri solet, SELDENUM, cujus *mare clausum* existat, GRASVINKELIUM, ISAAC. PONTANUM, B. HUBERUM, & ill. BYNKERSHOEK qui Grothi causam egerunt, & JO. BAPT. BURGUM, qui dominium maris Ligustici defendit. Taceo, qui in tractatibus juris publici & gentium ea de re egerunt, ut PERENDORFFIUM, THOMASIUM, ZIEGLERUM in aureo tractatu *de juribus majestatis*, & alios.

Sed uti Grothius, & multi alii eam tractant quæstionem, eam facile affirmabimus. Si quis enim quærit, an mare possit esse in proprietate & dominio, id cum Grothio negamus:

1) Quia tanta ejus magnitudo, ut occupari nequeat.

2) Quia sit inexhausti usus, omnibusque sufficiat. Ex quibus fundamentis, etiam altera quæstio:

II. An mare sit in dominio? facile deciditur. Sed quod ad mare attinet, probe tenendum, quæstionem 1) proprie non esse de dominio maris, quamvis ita loqui soleant scriptores: sed de imperio, an non & jura quædam majestatis in mari exerceri queant: v. g. jus vestigialia petendi, jus impediendi navigantes qui hostibus res necessarias advehunt, jus sibi vindicandi obventiones extraordinarias, v. g. uniones, gemmas, &c. 2) Nec proprie de oceano quæri, cujus tanta est magnitudo,

endo, ut occupari nequeat, sed de partibus maris terræ propinquis.

De syrtibus, an sint in dominio, non facile nascetur quæstio. Sed si quis quærat, an esse possint? Nescio qui id negare velit Grotius, quum ex ipsius mente sint res nullius, & cedere possint occupanti. Immo revera occupatæ sunt insulæ desertæ & incultæ, veluti insula S. Helena.

S. 4.

Sequitur altera pars de rebus communibus, quæ non sunt in dominio, sed esse possunt per occupationem. Eo refert Grotius loca inculta, insulas in mari putas incultas, pisces, feras, aves. Quippe quæ occupando demum transeunt in proprietatem. Sed quum tamen experientia doceat, hæc maximam partem pro rebus communibus non haberi, nec jus ea occupandi promiscue omnibus concedi: quæritur, qui factum sit, ut hæc res non pateant usibus singulorum, quum sua natura sint communes?

Et hic sequitur præstantissima doctrina de modo occupandi, quam soli Grotio debemus.

Nimirum occupatio duplex est, *per usum vastitatem*, & *per fundos*. Prior est, quando universus populus occupat terræ tractum communiter, eumque deinde inter se dividit. Exemplum præbet S. S. de Israelitis, terram Canaan occupantibus. Posterior est, quando quisque paterfam. sibi rem vel locum capit, suisque assignat usibus. Talem occupationem videmus apud

popu-

populos Nomades, e. g. Arabes; Tartaros, ubi homines cum familiis & pecoribus e loco in locum migrant, & reperto loco irriguo vel gramine, ibi sibi constituunt domicilium.

Jam si per universitatem totus tractus occupatur, tunc valet regula: Cujus est totum, ejus quoque sunt omnia, quæ hoc toto continentur, ut flumina, pisces, feras, metalla. Nihil ergo in his est nullius, sed omnia ad populum occupantem pertinent.

Sin per fundos ea quæ nondum occupata sunt, manent in communiōe negativa, id est, sunt nullius, hinc cuivis cedunt occupanti.

Jam facile patet, cur in nostris regionibus, ubi populus non per modum gentium Nomadum occupavit provincias, sed per universitatem, hæc res non omnium usibus pateant? Quia enim omnia sunt populi: hinc nemo potest ea vindicare, nisi cui id populus concessit. Et quia hæc commode inter singulos dividi nequeunt: hinc alibi populus ea reliquit principi, tanquam domania, alibi nobilibus, ut habeant, quo virtuti bellicæ per venationem præludant: alibi privatis, sed non nisi dato canone annuo locatur.

§. 5.

Jam ergo facile liquet, quid hodie liceat in feras, aves, pisces? Resp. etiamnum valet regula: Quæ nullius sunt, cedunt occupanti. Sed ante omnia in singulis provinciis dispiciendum, an vere sint res nullius.

Nam,

Nam, ut dixi, plerumque sunt in proprietate vel principis vel nobilium vel privatorum usu. Aliena vero occupare, est furtum committere.

Sed quæritur, an iuste egerint populi, dum hæc privatorum usus exemerunt? Et id adfirmare non dubito:

1) Quia hæc res commode non admittunt divisionem, & hinc sæpe ad manus res esset ventura, si plures idem adpeterent.

2) Quia non sunt inexhausti usus, & hinc interest reip. ne iis promiscue omnes abutantur.

3) Quia sic futurum esset, ut cives otio & voluptatibus magis indulgerent, quam rerum suarum satagerent.

Hinc nec dubitandum, quin & exteri in provincias nostras venientes his legibus obstringantur, & nec jure nat. nec jure Rom. se tueri possint. Qui enim in provincia est, fit subditus temporarius, subditus autem legibus parere tenetur.

§. 6.

Sequitur momentosa quæstio: An introducta proprietate rerum olim communium, ita sublata sit omnis communio, ut nec in casu necessitatis jus aliquod in res alienas supersit? Et recte respondet Grotius, omnino duplicem admittere exceptionem. Nam I. extremam necessitatem esse excipiendam, in qua communio veluti reviviscit, & II. officia innoxie utilitatis; de quibus infra §. 11. Rationes videbimus.

n. 1. 2.

1) Id. probatur ex sine primorum acquirentium, & occupationem illam per
Hein. de Jure Belli, &c. I. mit-

236 *Lib. II. Cap. II. De his que Hominihus*
mittentium. Eos sane aut æquiritatis rationem
habuisse oportet, aut non habuisse: si ha-
buerunt, noluerunt sane ut ipsi omnia habe-
rent, alii fame perirent: si non habuerunt,
injuste possidete cœperunt, nec facti sunt
domini. Utroque casu iis, qui necessitate
premuntur, jus aliquod erit in res alienas.

2) Occupatio facta est non auctoritate
publica, sed privata. Jam si ipsæ leges
quæ auctoritate publica feruntur, admittunt
exceptionem necessitatis, uti supra demon-
stravimus: quanto magis proprietatis ista
privatorum?

3) Omnes leges humanæ admittunt ex-
ceptionem necessitatis. Et & dominium,
lege non divina sed humana introductum,
si vel maxime dicas, occupationem factam
auctoritate publica.

2. 3. Ergo in casu extremæ necessitatis revivi-
scit communitio primæva; idque jam exem-
plo illustrat auctor. Huc pertinet 1) quod
in nave deficientibus cibis singuli quod ha-
bent in commune referre tenentur: quod
tamen ita intelligendum, modo ne domini
esurire teneantur, id est, si tanta sit quantitas
cibariorum, ut probabile sit, ea omnibus
suffectura, donec in portum adveniamus.

2) Ita & vicini ædes incendi arceri caus-
sa diruere possunt, si aliter arceri nequit.

3) Ita discindit nauta funes navis alie-
næ, in quo sua navis impulsæ est.

Sed quamvis id & rationi, & experien-
tiæ sit consentaneum: non temere tamena
ea omnia permittentur, nisi fiat restitutio
damni ex necessitate dati. Sic cibariorum
meo-

meorum cum aliis communicatorum pretium mihi solvendum, is cujus aedes nondum flammis correpta diruta sunt, a vicinitate restitutionem exigit, actione utili ex L. Rhodia de jactu, &c.

4) Ea vero gravissima quaestio est, an liceat in casu extremae necessitatis alii, mihi necessaria. deneganti aliquid surripere?

u. 4.

Negat id Alberti in comp. jur. nat. orthod. conformato. part. 2. c. 2. §. 20. 24. 1) Quia rem alienam auferre invito domino sit furari, furtum vero omne prohibitum. 2) Quia ex duobus malis, quorum alterum physicum, ut fames, alterum morale, ut furtum, semper eligendum sit minus, quale sit physicum.

Sed haec nihili. Contrarium demonstramus inde,

1) Quia jam ostensum in casu necessitatis reviviscere communionem.

2) Quia si in casu necessitatis ipsam vitam alteri defensionis meae causa eripere possum, immo & conservationis meae causa, quidni & res ejus mihi vindicare?

Ad argumenta Alberti resp. 1) negando esse furtum, quia furtum est ablatio rei alienae fraudulosa lucri faciendi causa facta. Hic autem nec fraus vel dolus adest, nec lucri faciendi consilium. 2) Si ergo non est furtum, nec est malum morale sed mere physicum. Ex duobus vero physicis malis eligendum est minus. Et quis negaverit autem, minus physice malum esse, alteri perire fructum panis, quem mihi vitam.

§. 7.

Sed tamen & hic observandum 1) extre-
mam hic supponendam necessitatem, e. g.
fame extremam, quam nemo vel fusto
panis oblato levare velit. 2) Non plus sibi
sumat, quam opus est. PUFEND. *de J. N. & G.*
l. 2. c. 6. §. 5. SELDEN. *de J. N. & G. l. 6. cap. 7.*
THOMAS. *jurispr. div. l. 2. cap. 2.*

§. 8.

3) Ne ei eripiat, qui ipse indigeat. Nam
a) uti nemo tenetur alteri succurrere cum
detrimento suo, nec dilectio proximi su-
perare debet dilectionem sui: ita nec com-
munitio reviviscere potest, si ipse indigeam.
b) In dubio semper melior est conditio
possidentis.

§. 9.

4) Ut habeat animum constituendi: nam
sufficit, rem esse alienam; si damnum de-
deris, restitue.

Obijci posset: qui jure suo utitur, ne-
mini facit injuriam, ergo cessat obligatio
restituendi.

Sed resp. Concedo nemini hunc facere
injuriam. Sed injuriæ correlatum non est
restitutio, verum pœna. Ergo recte sequi-
tur, ut puniri non possit, tanquam fur:
sed non sequitur, ut immunis sit a resti-
tutione damni dati.

§. 10.

Rem egregie illustrat Grot. exemplo loci
bello occupati. Ergo bellum gerimus cum
Gallis. Exercitus per Coloniensem dispo-
nam adventurus dicitur. Occupamus ali-
quot loca munita in hac ditione, nova
Gallis

Gallis occupantur : hic sane nos jure nostro uti nemo negabit : sed tamen quis dicat , ideo nos haud obstrictos esse ad refarciendum damnum ? Elegans quoque est , quod ex XENOPHONTIS CYRI *Exp. l. 5.* refert exemplum , de multis mercatorum capiendis ad transitum .

§. 11.

Vidimus primam exceptionem proprietatis semel introductæ , nempe casum extremæ necessitatis . Sequitur altera , officium innoxie utilitatis . Quid hoc est ? Est officium imperfectum , ex regula honestitatis natum , quo alteri teneor præstare utilitatem , quam sine detrimento præstare non possum .

Notanda ergo regula : Quod tibi non nocet , & alteri prodest , ad id es obligatus , e. g. erranti monstrare viam , pati ut vicinus lumen de lumine meo accendat .

Hæc qui non præstat , non quidem injustus est , sed tamen summe inhumanus , qui 1) id negat , quod per virtutem debet , & sine damno potest , quum & detrimentum quoddam minus negligere debeamus in utilitatem proximi . 2) Quia revera tunc reviviscit primæva communio , uti alteri res nostra prodesse possint sine damno nostro .

§. 12.

Jam ex hoc principio varios casus expendit auctor . Et hinc querit , 1) an flumina sint in communione ? Resp. Flumen consideratur aut ut totum , aut quoad singulas partes toto illo contentas .

Si quoad totum , flumen est in proprietate

240 *Lib. II. Cap. II. De his que Hominiibus*
populi. Nam uti supra demonstravimus,
quoties per universitatem acquiritur, toties
qui totum occupavit, is & singulas totius
partes censetur occupasse. E. & flumina.

Sin. quoad partes, tunc quedam ejus
partes sunt exhausti usus, ut pisces in flu-
mine, aurum, quod flumen vehit & simi-
lia. Et hæc denuo non sunt communia,
sed populi vel principis, cui populus con-
cessit. Alia sunt inexhausti usus, ut aqua
profluens. Et hæc omnino mansit commu-
nis, adeo ut is neget officium innoxie
utilitatis, adeoque inhumanissimus sit, qui
aquam hauriri ex flumine non patitur.

Hinc ulli versus elegantes Ovidii:

Quis vetat adposito lumen de lumine
fumi?

Aque cavum vastas in mare seruet aquas
idem:

Quid prohibetis aquas, usus communia
aquarum est.

Enimvero hæc regula admittit exceptio-
nem: Si nobis res sit cum hostibus. Quam
enim in statu naturali hosti in hostem in
infinitum omnia liceant, nec potest hostis
ab hoste expetere officia innoxie utilitatis.
Hinc elegans controversia, cujus funda-
mentum refert L. 2. §. 46. ff. de O. J. Liga-
rius Cæsaris hostis oram Africae tenens in-
firmum Tuberonem adplicare non permi-
serat, nec aquam haurire: quo nomine
eum accusavit Tubero, & Cicero defen-
dit. Profecto jus belli id Ligario permi-
sit, hostem excludere littore, eique aquam
prohibere.

§. 13.

Quæritur II. An vicinis possimus denegare transitum per nostras terras & regiones?

Transitus autem peti potest ex pluribus causis, 1) si gens expulsa finibus novas & vacuas sedes quærit. 2) Si gens commercium expetit cum gente seposita: 3) Si gens cum gente bellum justum gerit, nec potest ei nocere, nisi concedatur a nobis transitus.

Id quidem negari nemini posse sibi persuadet Grotius, idque late demonstrat per omnes numeros §. 13. sed perperam, uti paullo post videbimus.

I. Primum argumentum desumit ab obligatione præstandi officia innoxie utilitatis: Quod tibi non nocet, & alteri prodest, ad id sumus obligati: Transitus vicinorum nobis non nocet, illisque prodest, E. ad eum sumus obligati.

n. 1.

Minorem inde probat, quod supponatur hic transitus innoxius, ubi copie transducantur sine damno nostro, ubi cibaria & quævis alia justo pretio emantur, ubi nemini fiat injuria.

II. Alterum argumentum Grotius ex historia Mosaica desumit. Num. XX. & XXI. Nam quum Idumæi & Amorrhæi transitum innoxium negarent populo Israelitico, bello petiti sunt ab Israelitis, & quidem jussu Dei. An autem Deus injustum bellum præcipiat?

n. 2.

III. Accedit consensus Gentium, ex quo Grotius jus gentium derivare solet. Hinc allegat responsum Clearchis ex Xenoph. Agelilai, Lylandri, Batavorum.

n. 3.

Ubi quum Atheniensium refert transitum per fines Corinthiorum, hique illos, se insidiis transisse conquererentur: quæstionem ea occasione movet Grotius: an & inconsulto altero id liceat? Athenienses putabant, omnia patere debere plus valentibus: Agæfilæus jocosè Macedonum legatis: Consulter, nos interea transibimus. Ast Grotius putat, omnino prius postulandum esse transitum: sed si negetur, vindicari posse.

n. 4.

Hactenus Grotius suam sententiam proposuit, jam & objectiones solvit. Objicitur.

1) Metui posse multitudinem transeuntium. Respondet a) metum alterius jus meum non tollere. b) Posse caveri, ut divisis manibus transmittantur, vel ut incrimines transeant, ut dent obsides.

2) Posse hostem alio flectere iter, quam dicat. Resp. a) nec hunc dolum intervenire obligationem transitum concedendi, b) Si injustum bellum eum moliri videam, nos posse transitum negare.

n. 5.

Denique ea quæ de transitu ipsorum exercituum dixit, extendit etiam ad commercia, & eorum quoque causa liberum transitum concedendum putat, etiamsi nobis lucrum decedere videatur. Sed loco argumentorum nihil allegat præter loca quædam ex Philone, Plutarcho, Libanio, Euripide & Floro, quæ illustranti non probant.

Hactenus Grotii doctrinam brevi *ἀναλύσει* & bona fide proposuimus. Jam videbimus, quid in ea desiderandum sit. Ponit tres casus, quibus transitum peti posse existimat. 1) Si

gens

gens sedibus suis expulsa vacuas sedes quærat, 2) Si commercia expetantur, cum gente seposita; 3) si bellum iustum cum gente remotiore gerendum.

Primo casu distinguendum, an pauci exules & ejecti ad sedes jam preparatas tendant, an tota gens sedes incertas adhuc quærat. De prioro casu adsentimur Grotio, & hinc non sine inhumanitate negatus fuisset transitus Gallis religionis causa ejectis, quum terras Brandenburgicas & Hassiacas peterent. De posteriore id negamus, & jure putamus a Romanis profligatos Cimbrorum, qui novas sedes quæsituri transitum petebant.

Alter casus de commerciis denuo admittit distinctionem. Nam si vicinus commercia expetit, quæ ego vel jam exerceam, vel eadem spe lucri exercere possim: nulla inhumanitas est transitum negare. Et puto ipsos Hollandos, negaturos Ostendensibus transitum ad interiora insulæ Ceyloa, ut cinamomum emere possint. Quisque sibi proximus. Si vero vicinus commercia exercere velit, quæ mihi nullum adferre possunt utilitatem, tunc transitus concedendus. Et hinc injuria Russi Holstatis negarunt transitum ad Perlas, quum vellent sericum inde Holstatiam adportare, quum tamen ipsi tunc nec nollent nec possent inde lucrum sperare.

Tertius casus de transitu exercitus plane nunquam procedere videtur, nisi nobis res sit cum foederatis, vel ultro illum concedamus ex pacto. Id jam demonstrabimus. Nam

1) Grotius supponit transitum esse innoxium : quum talis nunquam sit, non modo ob incommoda, quæ sequi solent, si vel amicus exercitus transit, qui omnia justo emit pretio, sed præcipue NB. ob hostis, qui petitur, jus nos pro illa humanitate hosti suo præstita castigandi. Illustratur res exemplo Imperatoris, qui quum Electori Sax. transitum in Poloniam adversus Suecos concessisset, postea a Suecis in Saxoniam irrudentibus pro hoste habitus, & ad tractatus pacis Rastadiensis, sibi parum utiles adactus est.

2) Exemplum Idumæorum & Amorrhæorum nihil ad rem facit. Erant hi Israhitarum consanguinei ab Esauo & Abraamo orti: non ignorabant Israelitis has terras a Deo esse promissas, & tamen negabant transitum ex mera invidia & odio erga Deum Israelis: poterant ergo jussu Dei bello peti.

3) Reliqua exempla nihil probant, nisi quid factum sit, non quid fieri debeat. Et sane ex quam lubrico fundamento hoc jus derivaverint, vel inde patet, quod Athenienses nihil pro se allegare possunt, quam quod omnia licere debeant potentioribus.

4) Denique quam nullius usus sint cautelæ Grotii, res ipsa docet. Nam 1) in primo casu supponit, sedes quærri vacuas: ubi autem sunt sedes vacuæ? 2) In tertio supponit, per manus divisas transire hostem vel inermem transire, quis bello tertium adgressurus id faciat? Annon priores manus & inermes hostis prius opprimeret, quam

quam vel posteriores manipuli vel arma sequantur? Hinc magis adsentimur DD. novis, qui in concedendo eo transitu paullo cautius procedendum existimant, nec eum magis officiis innoxie utilitatis accensent, quam servitutes itineris, actus, viz in fundis privatorum.

S. 14.

Novam jam quaestionem movet A. an ^{a. 1. 2. 3.} mercibus transeuntibus vectigalia imponi possint?

Recte distinguit Grotius inter onera personalia & realia. Illa ad sustentandam remp. pertinent, hæc ob securitatem mercibus præstandam, reficiendas vias, portas, pontes, &c. dantur. Illa non nisi civibus; hæc & exteris imponuntur.

Rationes jam adduximus. Sed eæ non sunt primariæ. Quas reddere oportuit Grotium, quia ipse transitum mercium habuit pro officio innoxie utilitatis. Pro talibus officiis nemo sane præstat vectigal. Ait ergo Grotius, id non præstari pro transitu, sed in compensationem securitatis mercibus præstitæ, refectarum viarum, pontium, &c.

Vera ratio est, quia qui merces inferunt & exportant, lucrum captant e rep. nostra. Ergo nihil æquius est, quam ut partem lucri, tamquam cives temporarii concedant imperanti.

S. 15.

Rectius officiis innoxie utilitatis Grotius accenset jus morandi in alieno territorio: cujus varix possunt esse causæ, e. g.

L 6 1) Va-

1) Valetudinis causa: uti facultatem in ora maritima Africa commorandi petebat ægrotans Tubero. *L. 2. §. 46. ff. de O. J.*

2) Distrahendarum mercium, vel

3) Reficiendarum navium causa.

Id inquit Grotius, sine summa inhumanitate adeo ulli negari nequit, ut potius & tuguriolum extruere liceat. Quod enim nobis non nocet, & alteri prodest, &c.

Sed denuo distinguendum, an justa negandi causa sit, nec ne. Nam sæpius morandi recte negatur & ægrotis & mercatoribus,

1) Si metus & periculum sit infectionis.

2) Si merces adducant vitæ.

3) Si vel hostes ipsi sint, vel hostibus nostris commeatum aliaque necessaria advehant.

§. 16.

Porro officium humanitatis est advenis expulsis habitationem concedere. Qui enim habitationem quærit, is jus ambit civitatis, legibus & oneribus se subjicit, adeoque summa inhumanitas est, hospites eijcere, vel non admittere.

Sed tamen & hic caute procedendum. Nam distinguendum, 1) pauci an multi expectant hospitium. Posteriore casu res aliquando non caret periculo, maxime si advenarum multitudo numerum indigenarum superet, vel si diversæ religioni addicti, quæ non facile sit sociabilis.

2) Sedes nostræ pluribus sufficiant, nec ne. Sic si magna multitudo hominum in Helvetia sibi sedes quæreret novas: vix id

id

id concedi posset, quum terra montosa vix incolis aliendis sufficiat.

3) Homines probi sint, an factiosi, ob seditiones domo pulsi. Nam posteriore casu & simile periculum nostræ reip. imminet, & facile inde bellum constari posset cum vicino, qui hostes suos recipi conqueretur.

§. 17.

Porro humanitatis officium existimatur, solum sterile concedere advenis id postulantes. Recte, non quidem ex ratione Grotii: quod nullius est, cedit occupanti, sic enim non esset officium innoxie utilitatis, sed perfectum, nec dici potest sterile solum nullius, si territorio nostro continetur, ut supra §. 4. probavimus: sed vera ratio est querenda in axioma: Quod tibi non nocet, alteri prodest, &c.

Potest tamen & hic occurrere exceptio, si tractus terræ incultæ genti pro munitione sit, quale quid deprehendimus in historia Sinensium, qui magnum tractum Tartariæ extra murum Sinense ferro & flammis devastarunt, ne per tantam solitudinem exercitus possit duci.

§. 18.

Vidimus hactenus, quæ res sint communes: sequitur ut & ad actus quosdam communes progrediamur.

Sunt vero actus communes, qui a nemine impediri possunt. Eorumque fundamentum est conservatio vitæ humanæ. Unde regula: Sine quo acta vitæ humana conservari nequit, iste impediri non potest ab ullo. Si vel sunt simpliciter tales,
vel

248 *Lib. II. Cap. II. De his quæ Homini-
bus* vel ex hypothesi, seu suppositione. Sim-
pliciter qui communes sunt semper: ex
hypothesi, qui communes sunt certis sup-
positis circumstantiis. De illis agitur §. 19.
21. De his §. 22. ad fin.

Nihil hoc principio æquius, quippe
quod ex ipsa societate fluit. Neque enim
homo cum homine vivere posset in socie-
tate, si hujusmodi actus, sine quibus vita
humana servari non potest, per conspira-
tionem impedirentur. e. g. famem expel-
lere non possum sine cibariis. Jam si
omnes incolæ hujus loci conspirarent, ne
quisquam mihi panem venderet: id esset
sane injustissimum.

§. 19.

Jam Grotius recenset istos actus com-
munes: Talis est 1) Entio. Ergo jus
omnibus est æquo pretio sibi emere neces-
saria, non solum civibus, sed & exteris.

Quæritur autem an ob indigentiam &
famem expellere liceat exteros? Sæpe id
fecere Romani, eoque pertinent leges Ju-
nii Penni & Papia, de expellendis urbe
peregrinis apud Cic. *de off. lib. 3. cap. 11.*
Ita suo tempore ob famem peregrinos
omnes expulsos adfirmat Ambr. *l. 3.
c. 7. de offic.*

Distinguendum inter peregrinos semel
admissos & nondum receptos. Hos arce-
re possumus. Nemo enim tenetur aliis
suppeditare cibum, ut ipse esuriat. At
semel recepti jam cives & subditi sunt,
& hinc sine injuria expelli nequeunt.

§. 20.

§. 20.

An autem ad vendendum similiter quis cogi potest? Negat auctor, quia id ex natura dominiū fuit, ut aurem meam mihi servare an alienare malum statuere. Contigit tamen aliquando.

1) Ut quidam prohibeantur vendere, si merces videantur inutiles reip. Sic in universis provinciis Prussiae nemo vendere potest *gausape den Casun*. Olim apud Belgas vinum vendere nemo poterat, teste Tacito.

2) Ut quidam vendere cogantur. E. g. in fame, si dardanarii magnam frumenti copiam coemerint, eamque reservent, tantum ut pretium fiat immensum: cogi queunt, ut vendant justo pretio.

§. 21.

Communis quoque actus censetur conubium: ne gens genti neget matrimonii societatem. Id enim exigere videtur vitae humanae conservatio. Hinc novimus, saepe bellum gestum ob denegatas uxores: saepe & raptas esse virgines. Raptus Sabinarum notissimus est.

u. l. 2.

Sed tamen dubito, an haec res actibus communibus recte accenseatur. Nam

1) Non vita humana hic periclitatur, sed tantum spes posteritatis.

2) Nulla ratio est, cur quis non ex sua potius gente uxores petat, quam a vicinis extorqueat. Populus enim virorum videtur rarissimus, & ipsa historia Romana ideo a multis vocatur in dubium.

3) Potest gens quaedam tam barbara, tam

tamquam scivius moribus esse, ut moratiores gentes juste iis denegent uxores.

4) Potest & religionis accedere periculum, si vicinæ gentes sint gentiles, Judæi, Mahomedani.

5) Vix potest pro actu communi haberi inter vicinas gentes, quod ne inter civis quidem pro actu communi habetur. Quis vero dubitet, quia cuivis civi filiana ejus expetenti repulsam jure dare posset.

§. 22. 23.

Vidimus actus ex mente Grotii simpliciter communes: sequuntur qui ex hypothesi, vel ex suppositione sunt communes: Quod uni conceditur, id sine injuria negati alteri nequit.

Eo Grotius refert 1) jura venandi, piscandi, si alicubi promiscue conceduntur & extraneis: tunc enim si vel unus prohibeatur, et fit injuria.

Sed 1) hic quidem casus erit rarissimus: nec enim solent hodie hujusmodi jura concedi exteris, nedum ut promiscue omnibus concedantur.

Deinde 2) distinguendum etiam erit Grotio inter perfecte permilla, & imperfecte.

Perfekte permittitur, quod leges concedunt, imperfecte quod leges prætereant, & nec præcipiant, nec vetant. Priori casu vera est sententia Grotii. Omnino enim si lex existat, ut omnibus exteris promiscue hic liceat venari, piscari, uniones colligere: sine injuria nemo potest prohiberi. At si leges tantum rem prætereant, & hinc hæcenus quidam ea jura velu-

veluti precario exereuerunt: nihil impedit, quo minus id lege nova mutari, eaque libertas restringi possit.

§. 24.

Subjungit Grotius quaestionem vere Belgicam: an populus cum populo pacisci possit, ut populus certi generis fructus sibi soli vendat? Natum enim est, tale pactum Batavis intercedere cum Indis de cinamomo, & aliis aromatibus.

Negant nonnulli huiusmodi pactum iuratum esse consentaneum, quia 1) monopolium inuehat, & 2) alios iure suo excludat.

Sed 1) monopolium non omni iure nat. repugnat, sed quod exercetur ita, ut injusto pretio res vendatur. Ergo si monopolae aequo pretio vendunt, nihil iniusti huiusmodi pactam continet.

2) Falsum est, alios iure suo excludi. Potest enim quisque vendere, cui velit. Et si cui vendere nolim: is non iure suo excluditur, sed ego meo utor, adeoque nemini facio injuriam.

C A P U T III.

De Acquisitione Originaria Rerum, ubi de Mari & Fluminibus.

Bellum gerimus pro defensione & recuperatione rerum nostrarum: nostrae sunt res tum communes: de quibus cap. 8. actum, tum propriae. Quia autem res propriae fiant per acquisitionem, de his acqui-

252 *Lib. II. Cap. III. De Acquisitione*
adquirendi modis agitur cap. 3. & sequens
usque ad caput 8.

§. 1.

Modi acquirendi vel sunt naturales, vel
civiles. Illi naturali; hi civili jure intro-
ducti sunt, e. g. usu capio.

Naturales a Grotio recte dividuntur in
originarios & derivativos. Originariis ali-
quid adquirimus, quod non est in domi-
nio, e. g. examen apum in sylva circum-
volans. Derivativis adquirimus, quæ jam
in dominio sunt, e. g. si alvearium a ru-
stico emptum nostrum fit traditione.

Originarii, ut PUFEND. l. 4. c. 6. §. 1.
docuit, denuo vel sunt simpliciter tales,
vel secundum quid.

Simpliciter tales, quibus ipsam rei sub-
stantiam adquireo, e. g. apes; secundum
quid tales, quibus adquireo incrementum,
quod rei substantiæ vel naturæ beneficio
vel arte atque industria mea adjungitur,
e. g. mel.

Originarius modus simpliciter talis di-
citur *occupatio*: Nam olim quum omnia
essent in communiione negativa, res nul-
lius acquirebantur vel per *divisionem*, vel
per *occupationem*. Ast hodie rebus plerif-
que redactis in dominium, unus modus
superest, *occupatio*.

Originarius modus secundum quid ta-
lis, dicitur *accessio*; denique derivativus
traditio.

§. 2. 3.

Hi ergo sunt modi acquirendi. Addunt
aliqui plures modos, veluti 1) concessio-
nem

nom servitutis, &c. 2) Specificationem. Jam notum est servitutem concedi, quoties nobis conceditur jus, aliquid faciendi vel prohibendi in prædio vicino: e. g. ut possim ire, agere, vehere in fundo alieno, ut possim vicinum altius tollentem, lumina mea obscurantem &c. impedire & prohibere. Specificatio autem est, quando novam formam induco materiz, e. g. si ex auro conficio anulum, ex argento poculum, ex lana vestem. Queritur ergo, an ea servitus & specificatio sint modi acquirendi?

Utrumque recte negat Grotius, quamvis rationes ejus sint paullo obscuriores. Nimirum

1) Servitutis concessio non est modus acquirendi, quia loquimur de modis acquirendi dominium. Servitus autem non est dominium. E. servitus non est modus acquirendi. Dominium enim non est in re incorporali, sed in corporali.

2) In specificatione aut materiz meæ induco novam formam, aut materiz alienæ, aut materiz nullius. Primo casu nihil adquire, quia res jam mea est, & nihil novi producitur, nisi forma, quæ meæ fit per accessionem. Secundo casu est quidem modus acquirendi civilis, verum non novus, sed denuo accessio. Tertio casu res mea fit per occupationem.

§. 4.

Jam de occupatione. Occupatio est apprehensio corporalis, qua nostras facimus res nullius. Res nullius autem sunt duplices

ces vel *san. natura*, quæ nunquam dominum habuerunt, e. g. lapilli & uniones, amari ejecti, vel *facto hominum* res pro derelictis habitæ; id est, eo objectæ animo, ut eas in rebus nostris habere nolimus.

De utrisque valet axioma: Quæ nullius sunt, ea cedunt occupanti.

a. 1.

Jam itaque quaeritur: Quænam occupatione adquiri possint? Et recte respondet Grotius: *dominium & imperium.*

Dominium est jus in re corporali, quod in facultate de ea disponendi, ea cum exclusione aliorum utendi, eandemque vindicandi nascitur.

Imperium autem est complexio jurium omnium majestatis, ad defensionem populi vel uni vel pluribus, vel toti multitudini concessa. *Dominium* ergo est privatorum in imperio. *Imperium* est ipse resp. vel qui eam repræsentant, principis vel optinatum. Utrumque posse per occupationem adquiri res ipsa docet. Sic *dominium* examinis apum acquirit rusticus occupando: *imperium* in homines sui juris sibi occupavit Nimrodus occupando.

a. 2.

Sed quodnam est imperii objectum? Resp. duplex primum & secundarium: primum sunt homines vel populus, qui in unam resp. coaluit; nam in hunc immediate imperium exercet summus imperans. Secundarium territorium, in quo populus est confedit. Nam in hoc imperium exercetur propter homines, qui id occuparunt.

Posset aliquis existimare: hæc viz differ-

TC,

te, saltem semper conjuncta esse, & uno plerumque actu quæri. Sed resp.

1) Non semper esse conjuncta, e. g. In deserto Moses, vel potius ipse Deus per Moysen imperium exercebat in populum Israeliticum: sed is nullum adhuc territorium sibi adquisiverat.

2) Non semper in eum, qui partem territorii possidet, competit imperium, quum tamen id competat in territorium. Sic e. g. si civis Groninganus in hac provincia habet prædium, sed Groningæ habitat: in ejus personam Ord. Frisiz nullum exercent imperium, quum tamen in prædium omne ipsis imperium competat. Sunt ergo diversa & separata imperium in homines & imperium in territorium, Q. E. D.

S. 5.

Quæritur porro, an lege anteverti in imperio possit jus occupandi res mobiles. Sensus quæstionis hic est. Multæ sunt res mobiles sua natura in nullius constitutæ dominio, adeoque communes, e. g. feræ, bestię, aves, pisces &c. Quæ ergo nullius sunt, eas cedere oporteret occupanti: sed tamen fere ubique leges civiles prohibent venationem promiscuam: unde quæstio est, an lege anteverti & prohiberi potuerit hæc mobilium occupatio?

Respondetur, omnino id potuisse jure fieri. Nam

1) In imperio per universitatem quæsito nihil est nullius, sed omnia populi. Si populi sunt, populus potest eorum

256. Lib. II. Cap. III. De Acquisitione
rerum occupationi & usui leges præscribere.

2) Juris quidem naturæ & gentium est, has res esse communes, sed non præceptivi, verum permissivi. Jus naturæ autem permissivum legibus civilibus restringi posse jam libro I. demonstravimus. Hoc facilius intelligitur, quam quæ in hoc §. differit Grotius.

§. 6.

Sequitur de personis adquirentibus: quamvis ea res loco alieno tractetur. Occupatio est adprehensio, ergo fit corpore: eadem est modus acquirendi dominium: ergo fit animo sibi habendi. Adeoque nec solo corpore, nec solo animo res adquiruntur, sed utroque simul.

Inde vero sequitur, infantes, furiosos, dementes non posse aliquid acquirere vel habere in dominio: quia non habeant animum sibi acquirendi.

Sed resp. Grotius: Jus Gentium ob utilitatem communem introduxisse, ut & infantes & furiosi dominia accipere & retinere possent, personam illorum interim quasi sustinente humano genere. Sed hæc philosophia paullo dilucior. Quis enim dixerit, humanum genus sustinere personam infantis vel furiosi?

Alia ergo ratione opus est. Adprehensio fit animo & corpore. Animus est consensus, is vel verus vel præsumtus. Verus requiritur in hominibus sanis & adultis, præsumtus sufficere videtur in furiosis & infantibus. Adprehensio corporalis fit vel
per

per nos ipsos, vel per alios nostro mandato. Mandatum denuo vel verum vel presuntum. Si ergo tutor nomine infantis, curator nomine furiosi adprehendit, id facere intelligitur ex mandato presuntio infantis vel furiosi. Unde & quasi contractus esse intelligitur inter tutorem & pupillum, curatorem & furiosum.

§. 7.

Jam A. aliquas res sua natura nullius considerat, & quaerit an occupatione possint acquiri. Inprimis agit de fluminibus §. 7. de mari §. 8. 13. de effectu occupati maris & fluminum §. 14. 18.

Flumina auctor concedit occupari posse, & recte. Nam 1) sunt in territorio, ubi nihil diximus esse nullius, si quaesitum sit territorium per universitatem.

2) Non sunt inexhausti usus quoad jus vestigialium, piscandi, aurum hauriendi: quamvis inexhausti usus plerumque sit aqua profluens, quae & ideo communis manere solet.

Hinc frustra objiciunt: 1) flumen non includi territorio, sed plerumque extra territorium porrigi, e. g. Danubius fluit per Germaniam, sed ea non includitur, nam & per Hungariam transit: immo nec hac includitur, sed per Serviam Bulgariamque se in mare exonerat. Resp. Sufficient quod pro parte in territorio est, & pro ea parte potest occupari. Similitudine res fiet clarior. In Austria est silva, quae per Carinthiam, Carniolam, Croatiam in ipsas Turcicas provincias porrigitur.

tur: an ideo silva non potest pro parte illa, quæ in ditione Imperatoris est, occupari? Quis negaverit? Similis esto de flumine decisio.

2) Res in flumine non posse custodiri, ergo nec occupari: e. g. Pisces qui jam in Germanica parte Danubii agitantur, cras fore in Hungaria, perendie in Turcia. Germanos eos coercere & laqueis catenisque constringere non posse, adeoque nec dicere se dominos eorum esse. Resp. Res quamdiu in flumine sunt, nondum sunt occupatae; adeoque de illis non est questio, sed an non jus sit Germanis solis occupandi pisces in Danubio intra Germaniam? Id quis neget?

§. 8.

Pergit jam auctor ad mare. Et quæ supra ostenderit per occupationem vel dominium adquiri, vel imperium: quaestionem movet:

1) An maris dominium occupari possit?

§. 8. 12.

2) An ejusdem imperium? §. 13.
Primam quaestionem ita Grotius adfirmat, ut complures addat limitationes. Nam

1) Hoc ipso §. exigit, ut is qui maris dominium occupat, terras possideat ad latus utrumque, aut supra, & infra, si sit fretum. Et sic dubitari non posse ait, quia mare rubrum a Turca; fretum Siculum ab Imperatore possit occupari.

2) Ut mare sit tam exiguum, ut cum terris comparatum portio earum vel accessorium putari possit.

3) Ut

3) Ut idem liceat & duobus populis si utrinque terras possideant, quia sic par sit jus utriusque. Sic e. gr. fretum Danicum commune esse deberet Danis & Svecis.

Ergo eo ipso non contradicit Grotius libello de mari libero, quia ibi de mari magno; hic de parvo erat quaestio. Sed nescio, an ei objici possit, majus & minus non variare res. Sane cui emere fas est agrum unum, ei non video cur & mille emere non liceat, si lex non obstat. Et si exigua maris pars occupando sit nostra, quidam & magna? Videbimus ergo infra, quid in hac doctrina Grotii sit desiderandum.

§. 9.

Contra hanc doctrinam ipse objectionem movet Grotius ex jure civili, quod in locis in margine allegatis docet mare esse jure gentium commune.

Sunt equidem, qui commune hoc idem esse ajunt, quod publicum, adeoque JCTos existimasse putant, mare non esse in communione totius generis humani, sed in dominio populi.

Id quod declarant etiam exemplo litterarum, quae itidem communia dicuntur, quum tamen discrete dicat CILIVS in L. 3. §. nequid in loco publ. ea esse populi Romani. Unde colligunt, commune JCTis idem esse, quod publicum.

Sed resp. Grotius 1) discrete JCTos distinguere res communes & publicas, & in illis mare, in his flumina recensere,

§. 1. L. de rer. divi.

Hein. de Jure Belli, &c. M 2) Theo-

2) Theophilum in paraphrasi Græca Institut. diserte dicere, mare esse κοινὸν πάντων ἀνθρώπων commune non civium Romanorum, sed omnium hominum.

3) Jctos addere, commune esse mare, sicut aerem. Hunc autem non publicum esse, sed vere communem.

4) Littora a Celso dici publica, non quidem ratione usus navigantium, cujus respectu sint communia, sed intuitu ædificiorum in littoribus constituendorum.

Adeoque firmum id ac certum manet, Jctos veteres mare habuisse pro re communi. Quid ergo respondet Grotius ad hanc objectionem?

§. 16.

Respondet 1) id ex instituto, non ex naturali ratione esse, id est ex jure civili, non ex jure naturæ. Sed hæc responsio non satisfacit: unusquisque enim facilius credet communionem maris esse ex jure naturæ, quam ex jure civili, quia natura omnia primum voluit esse communia. Ergo altera responsio magis quadrat.

2) Dum fatentur Jcti, mare esse res communes nullius, id est, in communionem negativam constitutam, concedere etiam debere, id posse occupari. Quæ enim nullius sunt, cedunt occupanti. Id quod illustrat exemplo fluminis, quod quum publicum sit, admittat tamen dominium, si quis in diverticulo ejus per longissimum tempus piscatus sit cum aliorum exclusione. L. 7. ff. de div. comp. præfer.

3) Paullum ipsum L. 14. ff. de injur. con-

cedo-

cedere, posse mare ad alicujus jus proprium pertinere.

Inde argumentatur. Si ergo mare in n. 2. 7.
privati potest esse dominio: quidni & in
dominio gentis, quæ terras possidet utrin-
quo vel circum circa? Unde colligit Ro-
manos ideo mare dixisse commune, quod
quavis natura & jure naturali occupa-
tum sit, tamen jure gentium ea occupatio
non concedatur facile, adeo ut ne Roma-
ni quidem ea usi sint.

§. II.

Postquam itaque concessit Grotius, ma-
re mixtum posse occupari: jam aliquot
limitationes addit, & monet.

I. Occupationem non presumi, sed de-
cendam. Ergo non sufficere ut quis dicat
se terras utrinque possidere, sed requiri
ut occupatio vel quasi possessio doceatur.
Et recte, nam occupatio est facti: quæ
facti sunt, probanda.

II. Si possessio deferatur, tunc & jus ex
occupatione quæsum cessare, & mare vel-
uti ad pristinam libertatem redire. Hinc
occupatum intelligi mare, quamdiu e. gr.
naves bellicæ ibi reperiantur, iis autem
subtrahis possessionem cessare. Quam do-
ctrinam super singulari libello pererudite
demonstrare conatus est vir Ill. CORN. VAN
BYNKERSBROEK *de domin. mar.* Sed ne-
scio, an omnes hoc admitturi sint. Notum
etiam est, possessionem quidem adquiri ani-
mo & corpore simul, sed retineri etiam ani-
mo solo. Quis dixerit, me adprehensa pos-
sessione prædis, illa statim excidere, si jure

262 *Lib. II. Cap. III. De Acquisitione*
faciam, prædiumque vacuum interea relin-
quam? Hinc Ill. Bynkershoek argumenta
ex hoc fundamento refellit Dn. THOMAS.
in *Scholiis ad B. Huberi libellum de jure ci-
vilitatis.*

§. 12.

III. Monet, quamvis aliquis maris do-
minium occuparit, tamen nemini negari
posse transitum innoxium, vel navigatio-
nem impediri.

Sed eo ipso totam suam doctrinam,
quod portio maris exigua in dominio esse
possit, destruit Grotius. Quid enim est do-
minium? Est jus in re corporali re-solutive
utendi, ejusque usu alios excludendi, de
ea disponendi, amissamque vindicandi. Ex
hac definitione argumentor:

Cui nec est jus alios rei usu excluden-
di, nec disponendi, nec vindicandi,
ei non est dominium.

Ei qui mare occupavit, non est jus alios
maris usu excludendi per §. 12. nec
disponendi, per eund. §. nec vindi-
candi, quia cessante possessione statim
jus amittit per §. 11. E. qui mare oc-
cupat, non est dominus.

Quum itaque tot contradictionibus se
involvat Grotius: quid de tota se sen-
tiendum?

Ego questionem: an mare sit in domi-
nio? ejusdem naturæ puto, ac illam, an
in dominio sit terra? Terra æque commu-
nis est naturæ, ac mare. Jam videamus,
quatenus terra sit in dominio. I. In terra
aliqua sunt inexhausti usus, e. g. globa,
tran-

transitus innoxius per terram, & ea manent communia omnium. Et hinc nemo temere actionem instituet contra eum, qui ex agro suo glebas sustulit, vel per agrum non constitum iverit. Ita & mare omne commune manet, quatenus est usus inexhausti. Inexhausti vero usus est navigatio, & aquæ haustus. II. Quemadmodum deinde terra non tota in dominio est unius, nec esse potest, nisi humanum genus sublatum velis: ita nec mare potest esse totum in dominio unius. Hinc ridicula est questio de dominio Oceani. III. Sicuti terræ pars quatenus ejus usus exhaustus est, potuit per occupationem adquiri: ita & maris pars, quatenus est usus exhausti. Talis vero est piscatio: qui ergo in parte maris eam occupavit, is excludere alios potest, & si gens integra id fecit, ejus idea jus est: modo vere piscatio illa exhausti usus sit. IV. Uti in terra dominium distinctum est ab imperio, adeoque ut & res nullius in terris tamen imperio subjacent e. g. viæ publicæ, loca deserta, metalla nondum quasita: ita & mare etiam a privatis non occupatum, admittit imperium, quatenus est accessorium territorii. V. Uti imperium manet, etiamsi & exteris accessum non denegemus, donegare tamen possumus si e. rep. videatur: ita & imperans per mare nemini temere denegabit navigationem: sed denegabit tamen, si salus reip. exigat. VI. Quemadmodum exteri, qui in territorio nostro sunt, sunt subditi temporarii: ita qui in mari nostro navigant. Hinc

Nullum est dubium, quin puniri a Belgis possit, qui in mari hoc australi piraticam exercuit, vel homicidium commisit, quamvis sit exterus. Hæc doctrina probe coheret, & his paucis observatis thesibus tota quæstio recte decidetur, quum alias sit immensa obscuritatis, nisi recte formetur status controversiæ.

§. 13.

A. L. 3.

Jam ad imperium maris aucter progreditur: idque concedit adquiri potuisse: probatque

1) A natura occupationis: Uti enim imperium in terra partem adquisitionem vel per ultroque vel vi extortum, populi consensum: ita & imperium maris, vel per ultroque submissionem, navigationem, dum ultro imperium agnoverunt, vel per coactionem, dum imperans navibus armatis omnes imperium suum agnoscere cogit.

2) Ex consensu Gentium. Nam & Argivos, & Spartanos, & Athenienses, & Tyrios sibi imperium in partem maris vindicasse, ex historia docet. Quæ de re egregia sunt, quæ ex scriptoribus antiquis collegit Jo. HENR. BOECLERUS in *diff. Minorum maris dominus*. Immo, quod probe notandum, quum vulgo contendant, Romanos ita mare habuisse commune, ut nullum sibi in illud imperium vindicarint, idque demonstrare audeant ex *L. Titius 9. ff. de L. Rhod. de jact.* singulari ac pererudita dissertatione eam legem illustravit JAC. GOTHOFREDUS, & ex illa ipsa demonstra-

vit.

Origenia Rerum, ubi de mari &c. 265
vit contrarium, quod nulla gens strictius
exercuerit imperium in mare, quam Ro-
mani.

§. 14.

Vidimus quatenus maria & flumina &
in dominio imperioque esse possint: jam
porro de effectibus hujus domini & impe-
rii agit auctor, quorum præcipui sunt:

- 1) Jus imponendi vectigalia. §. 14.
- 2) Jus circa has res earumque usum
disponendi. §. 15: 18.

I. Primus effectus est jus imponendi ve-
ctigalia: cujus juris æquitatem Grotius suo
more probat 1) ex eo, quod dentur in
compensationem impensarum in defen-
sionem navigantium factarum a republica,
2) ex moribus & consensu gentium.
Ostendit enim & Romanos & Byzantinos
& Athenienses exegisse a navigantibus ve-
ctigalia.

De utraque ratione quid sentiendum sit
alibi vidimus. Trium gentium mores non
faciunt jus: & si omnes gentes consensu-
se doceo, tantum probo, quid factum sit,
non quid fieri debeat. Et si defensio na-
vigantium est fundamentum vectigalium,
cur tempore belli navigantes suis impen-
sis conducere tenentur naves prædiarias:
(convoyers) cur & tempore pacis exi-
gantur vectigalia? cur & iis locis exigun-
tur, ubi nullum est a piratis vel hostibus
periculum, e. gr. in fluminibus mediter-
ræncis?

Dicimus itaque ex eadem ratione, ex
qua vectigalia in terris exiguntur, exigi

M 4 etiam

eiam possunt in mari ab eo, cui maris imperium est. Qui mari nostro utuntur sunt subditi temporarii, & lucrum captant ex usu rei nostræ, ergo æquissimum est, ut & partem lucri conferant ad utilitatem reip. nostræ.

§. 15.

II. Pergimus ad alterum effectum, dispositionem puta circa has res & earum usum. Qui enim dominus est, quique imperans ille re sua utitur liberrime, eique usui pro arbitrio leges præscribit. Ergo id & fluminum mariumque domini & imperantes faciunt. Quæritur itaque

I. An possit per foedera caveri, ne quis nisi certis locis, nec ultra certum terminum naviget? Talia foedera passim existant in historia Romana, & maxime memorabile est, quod cum Carthaginensibus initum, apud Polybium initio historiarum, quo cautum, ut neutra pars ultra promontorium pulchrum navigaret. Simile foedus cum Antiocho factum refert Liv. l. 38. sub fin.

42. Videri posset hoc foedus libertati naturali repugnare, quum navigatio sit res inexhausti usus, & hinc communis merito habeatur. Sed resp. minime juri libertatique naturali illud repugnare. Nam quisque potest juri in favorem sui introducto renunciare, adeoque & pactione promittere, se ultra certum terminum non navigaturum.

Nos addimus & invitis vicinis Imperantem maris posse leges de usu navigationis præscribere, e. g. ne naves armatas mari

immittant sine litteris (*passports*) ne mercēs advehant hostibus sub poena confiscationis &c. Si id invito altero fieri potest, quidni & per foedera & pactiones?

§. 16.

II. Quæritur, quid juris sit, si flumen limitaneum alveum & cursum mutet, an & imperii terminus mutetur? E. g. Rhenus jam in superiore parte Germaniæ est limes inter Germ. & Gallos, si cursum mutaret, & non amplius cis Argentoratum flueret, sed ultra: an ideo Argentoratum accederet Germaniæ. n. 1. 2. 3

Resp. auctor, distinguendum esse inter agros *divisos, assignatos, & arcifinios*. Quod discrimen tale explicant Scriptores de limitibus, ut JUL. FRONTINUS, *AGG. NUS URBICUS* &c.

Divisi sunt, qui habent limites manufactos, e. g. vallum, columnas, cippos, lapides signatos.

Assignati, qui ad certam mensuram dati, e. g. Huic principi in feudum data sunt decem millia jugerum. Et hi duo vocantur in jure nostro agri *limitati* L. 16. ff. *de acqu. rer. dom.*

Arcifinii sunt, qui nec manufactis terminis inclusi, nec ad certum numerum datis, sed naturali termino, e. g. silva, flumine finiuntur.

Duobus prioribus casibus mutante cursum flumine, nihil domino terræ accedit vel decedit: postremo omnino decedit. Hinc si e. g. ditio Brunsvico-Luneburgensis ad Albiæ esset limitibus arte factis inclusa, &

Albis cursum mutaret & ad orientem per terras Brandenburgicas fluere inciperet, nihil accederet Ducatui Lunenburgensi, quia ditiones essent limitate. At si Rhenus cursum mutaret occidentem versus ultra Argentoratum: hæc urbs de jure restituenda esset Germanis, quia per pacem Badensem Rhenus constitutus est limes, & ditiones factæ sunt arcifiniæ.

§. 17.

III. Tertia quaestio est de alvei mutatione plena: e. g. si quum antea flumen fuerit, unius leucæ, jam sit sex leucarum, vel quum antea fluere supra superficiem terræ, jam terram per aliquot leucas subeat, & alio loco erumpat, quale quid constat fieri in Hispania in flumine Guadalquivir?

His casibus nihil mutatur circa dominium si fluvius sit limes, sed manet medium fluminis terminus utriusque ditionis. Id elegante argumento demonstrat Grotius. At enim, si flumen plane exaruisse: media pars alvei pertineret ad unum, altera dimidia ad alterum. Ita & si flumen fiat laevius, vel si alia mutatio contingat.

Sed quid si de eo quaestio oriatur? an ditio sit arcifiniæ? an limitata? pro qua parte est praesumptio? Resp. pro ea, quæ ditionem dicit arcifiniam. Ratio in promptu est. Flumen quod duas dividit ditiones limitaneum esse, est res juris. Ditionem vel terminis manu factis inclusam, vel ad certam mensuram datam esse, est quaestio facti. Res facti nunquam praesumuntur, sed probantur. Ergo ostendendi sunt termini

manufacti, demonstrande exhibendæque sunt litteræ investituræ, (die Lehn-Brieve) vel tabule fœderum & pactiorum, ex quibus constet, agros esse limitatos, non arcifinos.

§. 18.

IV. Queritur: an semper flumen ex parte dimidia ad unam, ex altera ad alteram ditionem pertineat? Idque recte negat auctor. Sæpe enim contingit, ut unus populus sibi ante per occupationem flumen adquisiverit, quam altera gens litus occupavit oppositum.

Ejusmodi exempla passim obvia sunt: Sic e. g. Visurgis quamvis ditiones Oldenburgicas & Friscas Orientales dividat, tamen non est communis, sed in solidum ad Oldenburgicam terram pertinet.

Ordinarie tamen præsumitur flumen limitaneum commune. Elegans exemplum est in flumine Vidasso (Bidasson) qui Hispaniam a Gallia dividit in Biscajæ sinibus. In medio illa flumine est insula fisionorum, quæ quum pro parte dimidia Hispanici; pro altera parte Gallici juris sit: is locus visus est commodissimus, in quo anno 1659. pax Pyrenæa iniretur. In media insula posita mensa legati Gallicani in suo; Hispanici itidem in suo territorio adsederunt, & sic omnis evitata est de jure *respon-*
spias controversia.

§. 19.

Diximus supra res nullius cedere occupanti, easque duorum generum esse, vel natura, ut aer, vel facta hominis per dere-

270 *lib. II. Cap. III. De Feudis*
lictionem. Quum itaque haftenus de prio-
ribus actum: jam & de rebus pro dereli-
ctis habitis agendum esset: sed Auctos cum
tractatum reservat capiti sequenti quarto:
& sub finem capitis tantum monita qua-
dam subjungit.

Primum est, quod aliquando dominium
plenum sit penes subditos, aliquando tan-
tum utile, directo reip. vel populo vel
principi competente. Id fieri potest pluri-
bus modis. Inprimis tamen tribus

1) Si subditi sua omnia possident sub
nexu feudali a Principe vel rep. accepta:
tunc vassalli sunt domini utiles, dominus
directus Princeps vel respublica.

2) Si subditis tantum superficies data
reservato reip. solo, pro quo solvendum
annuum solarium. Tunc superficiarii sunt
domini utiles, resp. & domina directa.
Elegans exemplum de Carthagine est apud
JUSTIN. lib. 18. cap. 5. STRABO l. 17.

3) Si Princeps totam terram adquisivit,
eamque deinde subditis vel victis concessit
sive jure emphyteutico pro canone annuo.
Id quod Romani facere solebant in Pro-
vinciis. Ager enim omnis fiebat populi,
isque vel cultus erat vel incultus. Si cul-
tus dabatur pro annuo canone, tunc agri
dicebantur vestigales: sive inculti, emphy-
teutici. Eleganter id omne ex antiq. Rom.
illustravit Cl. BURMANNUS in libello egra-
gio *de Vestigalibus. P. &c.* Eodem modo ex
historia nova notum, Reges Castiliae occu-
passe Americam, ac deinde agros pro ca-
none assignasse colonis Hispania. Hic ex-

go Rex est dominus directus, coloni domini-
nium tantum utile habent.

Secundum monitum est, quod his casibus deficiente domino utili, res non fiat nullius, sed ad dominum directum redeat. Deficere autem videtur dominus utilis, si heredes non relinquat, vel masculos, ut in feudis, vel nullos, plane, ut in superficie, & emphyteusi.

Tunc dominium directum & utile consolidantur, uti loquuntur Jcti.

C A P U T IV.

*De Derelictione Præsumentis, & eam Sequens
occupatione, & quid ab usucapione
& prescriptione differat.*

§. 1.

AM superiore capite monuimus, occupationi locum esse in rebus nullius. Res nullius esse vel *res nullius*, quæ antea in nullius fuisse dominio, vel *ex facto hominis*, scilicet *ex derelictione*. Quando enim dominus rem suam eo animo abicit vel deserit, ut eam in rebus suis habere nolit, tunc fit res nullius, & cedit occupanti. Unde negandum res pro derelictis habendas, quas abiciuntur, furiosi, jecantes, naufragi, quibus non est animus derelinquendi.

Ea derelictio vel *ex* est, ubi animus iste manifesto declaratur, vel *presumptio*, quæ

ex negligentia domini colligitur. E. g. thesaurus habetur pro re derelicta, quamvis revera domino non fuerit consilium illum derelinquendi, sed sibi servandi & custodiendi, quia dum iste nec effudit thesaurum, nec eundem heredibus vindicavit, ipso facto eum deseruisse censetur.

Ex hac presunta derelictione etiam defenditur *usucapio*. Qui enim intra longum tempus in rem suam non inquisivit, nec eam, quam potuisset, vindicavit, is eam dereliquisse censetur, adeoque res cedit occupanti: & cui potius, quam bona fide, justo titulo, sine interruptione possidenti?

Hinc ea occasione agit Grotius de USUCAPIONE, quæ uti ex jure civili notum, est adjectio domini per continuationem possessionis temporis lege definiti. L. 3. ff. de usurp. & usucap. Et de ea queritur

- 1) an locum habeat inter gentes & summos imperantes. §. 1. 2.
- 2) ex quibus signis colligatur, rem a populo vel summo imperante pro derelicta habitam? §. 3. 7.
- 3) Quid ad objectiones sit respondendum? §. 8. 11.
- 4) An usucapioni locus sit inter Principem & subditos? §. 12. 14.
- 5) Quæ usucapione adquiri possint? §. 15.

I. Quod ad primam questionem atinet, hæc pauci sunt scriptores, qui usucapionem juri nature plane adversari existimant, ex ea ratione, quod, quum dominium sit jus perpetuum, iniquum sit id solum-

tempore alicui adimi, quum tempus, tanquam idea abstracta & relata nihil operari possit. Ita ipse CUIAC. ad L. 1. §. de usup. Sed hoc facile refelles. Neque enim alieni eripitur dominium ob solum temporis lapsum, sed ob præsumtam derelictionem. Quid enim certius, quam eam rem habere nolle, qui intra 10. annos eam non indagat.

2) Sunt qui usucapionem nihil iniqui habere fatentur, sed eam tamen negant locum habere in controversiis gentium. Hinc

VASQUIUS l. 2. c. 51. n. 8. negat ei locum esse 1) inter gentes. e. g. jus Imp. in terras Venetorum non sublatum est, quamvis Veneti illas per aliquot sæcula possederint.

2) Inter reges, e. g. Rex Britann. adhuc titulo utitur Regis Franciæ, quum per tot sæcula domus Valesia & Burbonica in possessione sit.

3) Inter Regem & subditum extraneum, e. g. si mercatori Gallo aliquid deberet Imp. nullam præscriptionem locum habere.

4) Inter subditos diversorum imperantium e. g. si Gallus mercator debeat mercatori Belgæ.

5) Nec contra imperantem ratione subditorum suorum, e. gr. si jurisdictionem nobilis dicat se præscriptione adquisivisse. Unus ergo casus remanet, ex mente Vasquii, quod subditi inter se possint usucapere.

Ejus ratio est, quod usucapio certi temporis lapsu non intelligitur. Tempus illud definit imperans, E. est auctor usucapionis. Ergo nec ipse, nec

exteri hac lege tenentur.

Sed contrarium def. dicit Grotius, & ostendit

ostendit omnino & inter gentes huic juri locum esse, idque duplici probat argumento.

Primum est, quia sic controversiæ inter gentes forent æternæ, adeoque bellorum nunquam non in promptu sit occasio, quam tamen societas humana pacem & tranquillitatem exigit.

§. 2.

Alterum argumentum sumit a consensu gentium. Ad præscriptionem enim provocant Hebræi Jud. XI, 26. (qui locus est admodum notabilis,) Lacedæmonii, Athenienses, Macedones, Romani.

Sed facile hæc controversia potest componi. Vasquius loquitur de usucapione juris civilis, & ea inter gentes non habet locum. Quo jure enim gens genti legem præscriberet? Grotius de præscriptione juris gentium. Et hæc omnino & inter gentes obtinet.

Discrimen in eo consistit. Usucapio J. C. requirit certum tempus, e. g. in mobilibus triennium, in immobilibus inter præsentem 10. inter absentes 20. annorum. Hoc tempus quum lege civili definiatur, alios obstringere non potest, nisi subditos. Ast præscriptio J. G. nihil aliud est, quam derelictio præsumta rei, per longum & indefinitum tempus haud repetita.

§. 3.

II. Jam ergo merito quaeritur, ex quibus signis hujusmodi deductio judicatur? Neque enim aliquid præsumi potest, nisi signa adsint, vel rationes hoc vel illud præsumen-

mendi. Maxime hoc loco signis opus est; quia quaeritur de animo derelinquendi, qui in sensus non incurrit, adeoque ex signis unice colligitur. Inter haec signa ex mente Grotii primum locum occupant I. VERBA. *Ac de verbis quidem, inquit sub finem, & expedita res est. Et id verum. Nam si declarat gens, se hanc provinciam amissam, vel id jus ab altero quasi possessum recuperate nolle, nemo dubitabit, animum derelinquendi adesse. Sed hoc signum huc non pertinet. Si quis enim verbis declarat mentem, ea derelictio non est praesumpta, sed vera. Praesumitur aliquid, quando leges aliquid colligunt vel fingunt, vel ex aequitate, vel ex aliis signis physicis vel moralibus. Si vero adsit declaratio expressa, nihil colligitur, nihil fingitur, sed derelictio vera adest.*

Alterum signum sunt FACTA, quae & inter privatos & inter gentes arguunt derelictionem.

Inter privatos huc pertinet 1) abjectio. a. r. Quis enim rem abicit, quam velit sibi retinere? Sed tamen recte addit Grotius circumstantias debere ponderari, e. g. personae, an infans, furiosus, ebrius abjecerit? causa impulsiva, an forte ex ebrietate vel joco id factum? temporis, antequam incensum, ruit, naufragii abjecerit? Tunc enim hoc signum non sufficit. 2) Reddit chirographi. Resp. haec est remissio, non derelictio, & quidem tacita, non praesumpta. Rectius dixeris debitum pro derelicto haberi, si creditor chirographum lacertis, impulerit, & abje-

abjecerit. 3) contractus de re nostra ini-
 tus, e. g. Titius possidet hortum meum,
 ab eo illum emo. Eo ipso videor hortum
 pro derelicto habuisse. Verum & hic ad-
 jicienda exceptio, nisi mihi res sit cum
 eo, qui vi utitur, e. g. si rem raptam a
 latrone vel pirata redimo.

- n. 2. Inter gentes loco signi est scientia & pa-
 tientia. E. g. sciunt Lacedaemonii Athenien-
 ses sibi vindicare jus maris sui, nec contra-
 dicunt: videntur jus illud dereliquisse. Idem
 obtinet inter imperantes & subditos. Scit
 imperans Mævium in agris suis jus venandi
 exercere. Non contradicit per diuturnum
 tempus: jus illud imperans videtur pro de-
 relicto in illis agris habere.

Sed hic merito notanda exceptio, nisi
 justus sit imperantis error. Potest enim il-
 le existimare, Mævium id jus habere ex
 concessione majorum, ex investitura, titu-
 lo oneroso. Si error pateat, nihil Mævio
 proderit scientia & patientia Domini.

S. 5.

- n. 1. 2. Tertium signum sunt **NON FACTA**,
 quo praecipue referunt: 1) silentium. Nam
 qui tacet, quum loqui posset & deberet,
 consentire videtur. Locus insignis: Num.
 XXX, 5, 12. de voto, ab eo qui in aliena
 potestate est, suscepto.
 2) Abiecta spes recuperandi. E. gr. si
 lupus agnum rapuit. Sed id falsum. Spes
 est amor boni futuri, quod vobis reprae-
 sentamus tanquam facile obtinendum. Er-
 go spes abiecta est amor boni futuri, quod
 vobis representamus tanquam difficulter vel
 plane

plane nulla modo obtinendum. Ergo spes
sive abjecta sive præsens est amor. Amor
vero semper cupit rem habere. Hinc im-
pium esset agnum alienum lupo ereptum
sibi retinere: impium bona naufragorum
sibi vindicare.

Sed & quod de silentio dictum, cum ex-
ceptione intelligendum. Nam præsuppo-
nenda 1) scientia tacentis 2) ultroperum
silentium. Nihil ergo operatur, quod vi &
metu periculi quis tenet. E. g. Nobilis cru-
delis e rusticis quæsierat, an in agris suis
aliquis sit, qui ad alium pertineat? Rustici
tacebant metu periculi. Repetebat quæstio-
nem: tacebant denno, sed murmurabant.
Postea data occasione meliore instituebant
actionem. Nobilis opponebat exceptionem
ulucapionis. Rustici replicabant, se usuca-
pionem interrupisse murmurando. Exstat de
hoc casu rariore elegans dissertatio Jo. FRI-
DEMANNI SCHNEIDERI de *interruptione usuc-
apionis per murmuracionem.*

§. 6. 7.

Quæritur autem, an non & tempus quod-
dam certum exigatur, ut res tacite dere-
lictæ & usucapta censeatur?

Distingu. inter usucapionem inter priva-
tos vel juris civilis, & usucapionem juris
gentium.

Usucapio inter privatos tempus. Habet
definitum lege civili: e. g. jure Rom. in
mobilibus triennium, in immobilibus de-
cem annos inter presentes, 20. inter abs.
jure Saxonico in immobilibus 31. anni,
6. hebd. & 3. dies indistincte requiruntur.

Usu-

Ufucapionis vel præscriptionis juris Gentium nullum certum & definitum tempus est, quia nulla lege illud definiri potuit, ita, ut omnes ea obstringeremur. Sufficere ergo creditur tempus immemoriale.

Sunt, qui putant immemoriale tempus esse centum annorum, quia hæc sit vita hominum longissima. Sed sufficit quantumcumque tempus, modo ex senioribus nemo meminerit, rem aliter se habuisse.

Hujus immemorialis præscriptionis ideo magna vis est, quod inde magna nascitur præsumtio, rem præderelicta habitam esse, quam nec ipse, nec ejus heredes tanto temporis spatio non vindicarint, quum dubitari nequeat, quin non una vindicandi occasio se interea obtulerit.

§. 8.

III. Jam objectiones quasdam solvit Grotius, quæ opponi posse videntur huic doctrinæ de ufucapione vel præscriptione juris gentium, quam in præsumpta rei derelictione consistere diximus. Objiciunt

n. 1. 1) Neminem præsumere suum jactare, adeoque signa illa maxime, quæ in non factis consistunt, non sufficere ad amittendum dominium.

Resp. Grotius, bene sperandum esse de hominibus, nec putandam, eos hoc esse animo, ut rei caducæ causa hominem alterum velint in perpetuo peccato versari: id est non credendum esse, dominum juris sui tam tenacem esse, ut alterum per tot annos velit in peccato vivere. Sed hæc, si quid video, nihili sunt. Nos respondemus:

De

De voluntate & consilio hominum ex effectu judicari. Effectus testatur de causa. Nec aliter in moralibus interna æstimare possumus, quippe quæ in sensus haud incurrunt. Jam argumentamur: Qui suum non jactat, is illud vindicat: qui patitur alterum usurpare & tacere, is non vindicat suum. Ergo qui patitur alterum usurpare & tacet, is suum jactat. Ubi itaque ipsa adsunt rerum argumenta, quid opus præsumptione?

2) Objicitur in specie quod ad imperia attinet, ea tam esse pretiosa, tam hominibus cara, ut absurdum sit, præsumere, quemquam illa pro derelictis habere velle. n. 2.

Resp. Grotius 1) Ast imperii etiam magna esse onera, quæ sæpe subigere possunt imperantes, ut imperio, quo privati sint æquo animo carere malint, quam cum periculo de eo litigare. Elegans imprimis est, quod de Antiocho Syriae Rege narrat VALER. MAX. lib. 14. cap. 1. quod gratias egerit Romanis, qui se magna oneris parte levarint. Nos addimus

2) Sæpe pertæsos Principes imperii ultro se principatu abdicasse, vel ob vitæ tranquillæ studium, quale celebrat BOETIUS:

Stet, quicumque volet, potens

Aulæ culmine lubrico:

Me dulcis saturet quies,

Obscuro postus loco

Leni perfruar otio.

vel ex conscientia infirmitatis, quæ prohibet ipsos, quo minus fræna Imperii tenere possint, vel ob devotionem, ut cuculle

culto monastico induantur, vel ob subdito-
rum injurias. Sic imperio æquo animo &
ultro se abdicarunt Sulla, Dictator perpetuus, PLUTARCH. in vit. p. 414. Diocletia-
nus & Maximianus Imperatores, LACTANT.
de mora. persec. c. 10. seq. Lotharius Imp.
PITHOEVS annal. Franc. p. 312. Carolus V.
Imp. GODOLENABUS de abdicat. Caroli V.
Christina Regina Sveciæ, Jo. Casimirus
Rex Poloniæ, Philippus V. Rex Hispaniæ,
& alii. OLEAR. diss. de principe magistratus
se abdicant. Quod ergo factum est co-
tines, quidni fieri posset? & quum non
rara sit derelictio imperii vera, quidni &
locus sit præsumtæ? ubi tot signa concu-
runt.

2.)

Accedit 3.) quod, si inter privatos et
usucapio & derelictio præsumitur, ne do-
minia rerum in incerto maneat, multo
magis interfit generis humani, ne in in-
certo sint imperia. Quam enim controver-
sias privatorum iudex componat, de con-
troverfiis de imperio non nisi sanguine &
cladibus humani generis transigatur? Ergo
ex hypothefi argumentamur:

Si non iniqua usucapio juris civilis: quis
interest societatis humanæ, ne domi-
nia in incerto sint: multo minus in-
iqua erit usucapio imperiorum, quum
humani generis interfit, ne imperia
in incerto maneat?

4.) Denique ubi duæ sunt præsumptiones:
fortior vincit infortiozem: illa vero infir-
mior, quæ nullo signo nititur, vel, ut
Grotius loquitur, cujus nulla est signifi-
fica-

ficatio idonea. Jam hic duæ adfunt præsumptiones. Altera, neminem præsumi sumptuosa. Altera, rem quam quis tempore immemoriali non vindicat, pro derelicta habendam. Illi præsumptioni nullum adhibetur signum. Supponimus enim illum rem negligere, tacere, nec possessionem alterius interrompere. Hujus vero signum clarissimum est, quod non vindicet, quod taceat. Est ergo hæc præsumptio fortior, atque vincit infirmior. Q. C. D.

§. 9.

Addit & 5) quintam rationem Grotius, putatque hanc usucapionem non modo juri naturæ esse consentaneam: sed & videri *juris gentium positivum* vel *voluntarium*, id est gentes sponte & communi consensu statuisse & legem sibi hanc condidisse, ut possessio immemorialis transferat dominium.

Sed hujusmodi jus gentium positivum, vel voluntarium jam supra profligavimus, docuimusque gentes nec separatim nec conjunctim posse ut legislatores concipi: nec ex historia constare, unquam ea de causa in unum convenisse, ut jus sibi novum constituerent. Ergo hæc transeant.

§. 10.

Majoris momenti est questio: An nondum natis jus sumptuosa tali derelictione possit decedere? E. g. Imperium Constantinopolit. debetur jure Palæologis, ex qua familia hodiernum aliqui supersunt in Græcia. Jam fingamus, horum majores id Imperium pro derelicto habuisse:

an idem damno erit posteris tum nondum natis? Si negabimus, tum nullius usus erit usucapio vel derelictio præsumta, qua non certa sunt rerum dominia, sed controversiæ in eodem statu manent. Si affirmabimus: tunc iniquum quid adfirmabimus. Nam non valenti agere non currit præscriptio.

4. 2. 3. 4. Prolixe respondet Grotius, e. g. nondum natorum nullum jus fuisse, ergo nec quidquam juris eos amittere: populum jus nondum natis potuisse de imperio statuere, quod pater dereliquerat: aliud esse jus nature, quod dicitur dominatum derelictione præsumta expirare, aliud jus civile, quod harum posthumorum rationem habeat, eosque fingat natos, & jura iis omnia salva relinquat.

Hæc quidem non mala, sed minus sufficere videntur ad solvendam quæstionem. Potius itaque respondendum, posteros nullo jure gaudere, nisi quod jure hereditario a majoribus ad eos transmittitur. Quod itaque majores non amplius habuerunt, id nec potuerunt transmittere. Atqui quod dereliquerunt non habuerunt amplius. Ergo quod dereliquerunt, non potuerunt transmittere. Ergo Patzologorum nullum jus est.

§. II.

Quantum porro, an & populus adversus populum, rex adversus regem, immo & rex adversus subditos hoc usucapionis præsidio tutus sit? Recte id affirmatur. Quæ enim sunt juris gentium, ea inter

inter gentes & earum rectores obtinent: Usucapio, uti supra demonstratum, est juris gentium: debet ergo. & inter gentes earumque rectores locum habere. Hinc e. g. præscriptione immunitatem a vectigalibus in freto Danico recte tuentur Batavi adversus Danos: hinc Rex Prussiarum recte se præscriptione defendit adversus Polonos circa jus colligendi electrum. Hinc recte principes quidam Germaniarum subditis opponunt exceptionem præscriptionis, si urgent, comitia debere convocari.

Objicitur: Quæ ab initio sunt irrita, & injusta, illa ex postfacto non convalescunt. Resp. Verum id esse, nisi accedat nova causa. Hic vero nova causa accedit, ex una parte longi temporis possessio, ex altera patientia & silentium.

S. 12.

Pergimus ad partem IV. ubi disquirit An. §. 1. 2.
an leges civiles de usucapione etiam principem obligent? Veteres glossatores affirmant. Grotius recte negat. Nam

1) Leges civiles præscribuntur subditis: atqui imperans respectu sui. nec imperans nec subditus est, E. sibi nec leges præscribit: adeoque illæ non obligant principem.

2) Si princeps sibi leges de usucapione tulisset, posset etiam sibi indulgere contra legem, (quod vocant dispensare,) si dispensat, cessat obligatio.

3) Finis usucapionis civilis est, ut dominia inter subditos sint. certa: princeps

Hein, de Jure Belli, &c. N non

non est subditus, ergo & ejus causa non data est usucapio.

Et hinc frustra sunt, qui regalia domanialia bona &c. possidentes adversus principem provocant ad prescriptionem ordinariam juris civilis. Ast audiendi sunt, si immemoriam prescriptionem allegent, quippe quæ quum sit juris gentium, etiam principes obligat.

§. 13.

Diximus de regalibus: an ea usucapione adquiri possunt? Resp. Regalia accipiuntur vel in sensu juris gentium, pro juribus majestatis: vel in sensu feudali pro juribus quibusdam fiscum locupletantibus, e. g. jure venandi, piscandi, metalla fodiendi. De posterioribus nullam est dubium, quin possint usucapione adquiri etiam a privatis, uti in Polonia jus salinas fodiendi est penes privatos Nobiles de Morstein per prescriptionem. De prioribus porro distinguendum, sintne jura majestatis incommunicabilia, an communicabilia? Illa sunt, sine quibus majestas consistere non potest, e. g. jus ferendi leges. Hæc quæ salva majestate & ab aliis exerceri possunt, e. g. jurisdictio, jus munera quædam conferendi. Illa nulla prescriptione adquiruntur: hæc adquiri possunt. Quæ enim possunt in dominio possidentis esse, ea possessione recte adquiruntur.

Addatur observatio de confusione communicationis & divisionis juris majestatis: & negandum esse moneatur, quod

Præsumpta, & eam sequuta &c. 285
quod jus de non adpellando subditis
competere possit.

§. 14,

Quæritur porro contra monarchomachos, an præscribi possit libertati? E. g. n. 1. 2. Russi se subjecerunt imperio monarchæ sui sine restitutione. Imperantes isti etiam sine interruptione per aliquot sæcula id imperium exercuerunt, & sic si titulus desisset, etiam usucapione tuti haberi possent. Ast monarchomachi negant præscribi posse libertati: adeoque semper fas esse putant populis excutere jugum, & se in pristinam libertatem vindicare. Quæritur itaque, an verum id sit? Ita argumentantur monarchomachi:

Aut vi quæsitum imperium, aut populi consensu.

Si vi, tunc vim licebit vi repellere, quandocunque fuerit occasio.

Sin populi voluntate & consensu, tunc populus poterit voluntatem mutare, & abrogato imperio monarchiæ libertatem restituere.

Sed hoc dilemma falsum. Aut vi quæsitum imperium, aut consensu. Recte. Si vi, tunc vim licebit repellere. Illatio hæc falsissima. Nam & vis justa esse potest, cui non est resistendum, & si injusta fuerit ab initio, potest justus titulus nasci ex pacto sive expresso sive tacito subsequente.

Sin voluntate populi, tunc populus voluntatem potest mutare. Falsissimum denuo. Contractus enim vel pacto hic est bilateralis, quæ solvi non potest unius,

N 2 sed

sed utriusque consensu. Quis diceret emptionem venditionem, quia venditoris voluntate innititur, etiam solvi, si venditor voluntatem mutet? Nugæ.

§. 15.

V. Superest pars, ubi quæritur, quænam res hoc modo per usucapionem adquiri queant? Resp. Omnes quæ possunt possideri. Ex possessione enim nascitur usucapio.

Ex quo sequuntur duæ regulæ. 1.) Quæ non habent quotidianum exercitium, non possunt præscriptione adquiri vel amitti. E. g. gaudet quis jure patronatus, vel conferendi munus ecclesiasticum. Avus ejus ministrum ecclesiæ constituit, qui sexaginta annos eo functus est officio. Jam dum ei successor designatur, quæritur an id jus præscriptione exspiravit? Minime.

2.) Quæ meræ facultatis sunt, non subjacent præscriptioni. Res meræ facultatis sunt, quæ arbitrio meo subsunt, e. g. emerè apud hunc vel illum mercatorem &c. An mercator, si per 30. annos ab eo solo emerim, sibi jus me cogendi ut porro etiam adquisivit præscriptione? Minime.

CA.

C A P U T V.

De Acquisitione Originaria Juris, in Personis, ubi de Jure Parentum, de Matrimoniis, de Collegiis, de Jure in Subditos, Servos, &c.

§. 1.

Adquisitio originaria est, rerum, quae in nullius adhuc dominio fuerant. Si pro dominio substitueris potestatem, tum & ad personas applicari poterit definitio. Nam & has nostras esse dicimus ob potestatem aliquam, qua in illis utimur, c. g. liberos, servos, uxores, cives. Res autem causas constituit Grotius, ex quibus haec acquisitio nascitur,

a) generationem, qua adquirimus liberos §. 2. 7.

b) consensum, quo adquirimus conjuges §. 8. 16.

cives & collegas §. 17. 25.

in liberos adoptivos §. 26.

in servos §. 27. 31.

c) ex delicto personae §. 32.

I. GENERATIONE adquiruntur liberi a parentibus. Et quidem quum a generatione utique & pater & mater concurrant, utrique etiam potestas in liberos est. Ast, quum tamen imperium duobus commune facile fiat mater discordiarum, quum unus velit, quod alter nolit, sequi ait Grotius, ut in dubio praefendum sit patris imperium ob sexus differentiam.

Hæc Grotius. Ubi tamen plura monenda. Nam 1) falsum est solam generationem producere patriam potestatem. Quum enim a) parentes sunt liberi, ipsi quoque procreant liberos, & nemini obnoxios, sibi pares, non inferiores. b) Spurii generantur a patre & matre æque ac legitimi, nec tamen ulla gens patri potestatem in spurium concessit. c) Si sola generatio est causa patr. pot. sequitur, ut & servi potestatem habeant in liberos ex se genitos, quod absurdum.

2) Falsum quoque est, ex præstantia sexus deduci posse prærogativam patris. Aut enim prærogativa illa sita est in animo, aut in corpore, aut in utroque. Non in animo, quia sæpe Nabal ducit Abigaelem, non in corpore, quia hujus præstantia nihil conducit ad educationem. Nec in utroque, quia sæpe contingit, ut & corpore & mente superet uxor maritum.

Ergo aliud principium querendum esse jam alii viderunt.

Hobbesius ad occupationem inclinat. Infantes nati, inquit, sunt nullius. Res nullius cedunt occupanti. Mater prima occupat: ergo & præcipua est ejus potestas: infantem a se occupatum etiam cum patre communicat. Ergo & hic acquirit potestatem, sed materna inferiorem.

Sed hoc multo absurdius. Quæ nullius sunt cedunt occupanti. Quænam? res, non personæ. Omnes liberi homines sunt nullius: an ideo cuivis occupanti cedunt? Nugæ.

Hinc vera hujus juris ratio est **EDUCATIO.**

TIO. Infanti opus est educatione, alias illi-
effret pereundum. Educationem illam natu-
ra, vel ipse potius Deus. demandavit paren-
tibus, dum ipsis amorem erga liberos incre-
dibilem impressit. Quum vero ea educatio
non possit fieri sine potestate quadam diri-
gendi liberorum actiones: Ergo Deus qui
voluit, ut liberi a parentibus educerentur,
idem etiam voluit, ut parentibus esset po-
testas liberorum dirigendi actiones. Quae
ipsa est patr. potestas juris naturalis.

§. 2.

Jam porro quaeritur, quanta sit paren-
tum in liberos potestas. Grotius primo tem-
pora distinguit §. 2. 6. deinde statum na-
turalem & civilem §. 7.

I. Tempora tria distinguenda monet
cum Aristotele: 1) tempus infantiae,
quum nullum adhuc est animi judicium.
2) Tempus post infantiam, ubi quidem
scit filius, quid agat, sed tamen adhuc
manet pars familiae. 3) Tempus quo fi-
lius ipse familiae excedit.

Jam observat Grotius, maximam esse
parentum potestatem in liberos infantes,
paullo minorem in adultiores, omnino mi-
nimam in eos, qui e familia excesserint;
adeoque hoc jus crescente liberorum aeta-
te decrescere & imminui. Recte omnino
ita censet Grotius. Quis enim existimet pa-
tri fas esse, filium jam emancipatum & ho-
noribus fulgentem virga castigare? Sed non
animadvertit vir acutissimus, ita se princi-
pium suum destruere. Si enim potestas pa-
rentum est ex generatione, sequitur, ut ea

per omnem vitam fit eadem, aut posterius est falsum, E. & prius. Ex nostra autem hypothese res clara est. Fundamentum patr. pot. est educatio. Ea majore labore fit in infante quam in adulto, ergo & potestas dirigendi actiones decrefcere debet, procedente ætate, & demum fere expirare post liberorum discessum ex familia.

Jam videbimus, quanta fit potestas parentum singulis his temporibus?

1) Primo tempore observat Grotius
1) omnes actiones liberorum absolute dirigere a parentibus. Recte. Nam tunc ipsi nihil agere possunt.

n. 2.

2) Parentibus quoque competere omne jus administrandi horum liberorum bona. Ob eandem rationem, Administrandi, inquam. Nam quod LL. civiles statuerunt, omnia liberorum bona adquiri parentibus, id ideo non est ex jure N. quia secundum hoc & infantes aliquid proprii possidere possunt. Facilius tamen cum J. N. conciliari potest consuetudo multis gentibus communis, quod ususfr. bonorum adventitiorum cedat parentibus, quum his non invidendum videatur hoc educationis præmium.

S. 3.

II. Secundo tempore parentes dirigunt actiones liberorum ad familiæ statum pertinentes, non reliquas, quæ jam ratione ipsius filii exigunt: vel ut magis perspicue rem exprimamus: officia inter parentes & liberos jam incipiunt fieri reciproca. Parentibus nihil injuriæ debent inferre liberi, est nec liberis parentes. Illi nihil debent
agere

agere invitis parentibus, sed nec parentes cogere liberos ad quidquam, quod veleo- rum naturæ vel rationi repugnat.

Inde facile deciditur quæstio: an possint Judæis & hæreticis liberi invitis intercipi, ut baptizentur & in vera religione educen- tur? Resp. minime. Nam infantium actio- nes omnes vi patr. pot. dirigere possunt pa- rentes. E. & religionem. Sin vero de adul- tis sermo sit, multo absurdior quæstio est, quia ad religionem cogi nemo debet. Ast nec parentes tunc possunt. Hinc si filius Judæi adultus ultro, & conscientia cogente Christianam religionem amplecti velit: pa- ter frustra repugnaret, quia hæc actio non ad familiz statum, sed ad ipsum filii judi- cium pertinet. Vid. P. AERADII *tr. de patr. pot.*

S. 4.

Ex eodem principio nostro sequitur, ut utroque tempore parentes gaudere debeant jure coercendi, quia sine eo educatio pro- cedere haud posset. Sed tamen & hic ad ætatem respiciendum. Infans aliter coer- ceri potest, ac adultior. Ille & virga ca- stigatur: hic minime. Ille etiam ob delicta involuntaria, hic ob voluntaria tantum.

S. 5.

Incidit & quæstio, an parentes liberos & alienare possint? Resp. minime, quamvis Grotius id concedere videatur, si lex civi- lis non impediatur. Nam planum est argumen- tum: Quod quis non habet, alteri dare non potest. Dominium in liberos parentes non habent &c. Minor clara est. Nam patr.

N 5 pot.

285 *Lib. II. Cap. V. De Adquisitione*
pot. consistit in potestate dirigendi actiones liberorum, non in dominio.

Hinc videmus, cur veteres Rom. hujusmodi jus patri concesserint: quia nimirum is liberos vere habebat in dominio juris Quiritium, uti præclare demonstratum ab ill. BYNKERSH. in opuse. de jura occidentand. liberos.

§. 6.

III. In tertio tempore filius est *autrexius*, id est, sui juris. Cessante enim educatione, cessat & jus actiones dirigendi. Cessante enim causa cessat effectus.

Sed tamen remanet & hic parentum veneratio: non ob educationem adhuc durantem, sed ob eandem olim susceptam. Gratos enim quum esse deceat liberos, hinc etiam soluta p. p. iis. omnem reverentiam præstare, nihil sine eorum consilio suscipere, & eos maximi semper facere tenentur.

§. 7.

Deinde distinguit A. inter jus naturale & civile. Nam permulta superaddiderunt LL. civiles, quæ ex J. N. deduci nequeunt, veluti

1) Quod ea potestas sit perpetua, & non nisi morte patris vel voluntaria filii emancipatione finiretur.

2) Quod eadem se extenderet ad nepotes, pronepotesque ex filio.

3) Quod soli patri ea potestas competeret, non item matri.

4) Quod in jure vitæ & necis, facultate ter venundandi filios, & omnia per eos acquirendi consisteret.

Hæc

Hæc omnia enim Romanis propria fuisse, ipse agnoscit JUSTINIANUS, *pr. l. de P. P.*

§. 8.

II. Sequuntur persone, quas PER CONSENSUM adquirimus, inter quas primum locum tenent uxores. Unde jam de conjugio agitur ab Imp. §. 8. 16. & quidem

n. 1.

1) Queritur, quanta sit mariti in uxorem potestas? Resp. A. imperium inter conjuges non esse commune, sed penes maritum, in rebus saltim conjugii & familiae. Jam illud imperium mariti omnes leges divinae & humanae agnoscunt, nec de jure naturæ ullus veterum dubitavit. Ast de fundamento hujus imperii non omnes item sentiunt. Sunt qui illud positum existimant in præstantia sexus masculini. Sed ea sæpe non tanta est, ut ideo imperium marito competere possit. Alii ex pacto. Sed si pacisci possunt conjuges, ut imperium sit penes maritum, pacisci etiam poterunt, ut sit penes uxorem: quod tamen negabunt multi ab Eph. V, 23. & familia dicta. Verum itaque fundamentum vidit Grotius, nempe, quia uxor sit pars familiae mariti, non maritus pars familiae uxoris. Quando autem in familiam mariti transit, eo ipso etiam marito imperium & directionem in se concedit, non secus ac is, qui se arrogari patitur.

2) Queritur: quid sit de natura conjugii? Resp. Grotius: Conjugium esse talem habitationem maris cum femina, quæ feminam constituat quasi sub oculis & custodia mariti. Idque inde probat, quod

n. 2.

talis cohabitatio etiam inter animalia quædam bruta observetur, veluti inter columbas.

Sed nescio, quid sibi hic velit Grotius. Quæstio est, quid sit de natura conjugii? Id aliter doceri nequit, quam per definitionem. Definitio autem hæc conjugii admodum manca est. Nam si vir caelebs conducat sibi ancillam, tunc cohabitans mas cum femina, tunc femina constituitur sub custodia & oculis maris, nec tamen inter eos conjugium esse, quisquam dixerit.

Ergo rectius dicitur, esse conjugium viri & mulieris conjunctionem ad liberos procreandos educandosque comparatam. Quidquid itaque ex hac definitione fluxit, id est de natura conjugii: quod inde non fluxit, ex jure positivo vel civili est: qualia exempla sunt in no. 1. hujus §. c. g. quod maritus possit vota uxoris solvere, quod apud quosdam populos maritus bona uxorum vendere possit, &c. Ex hoc itaque fundamento facile decidantur reliquæ quæstiones.

§. 9.

3) Nam quæritur porro, an & polygamia & divortium sit contra naturam matrimonii?

1) De polygamia Grotius agnoscit, illam non posse esse contra J. N. Recte. Nam & maris cum pluribus feminis conjunctio potest esse ad procreandam educandamque sobolem comparata, adeoque illa nihil continet, quod sit definitioni conjugii contrarium.

Deinde idem liquet ex eo, quod in V. T. tolerata fuit polygamia Judæorum. Nam & patriarchæ, veluti Jacobus, Davides, &c.

plu-

plures uxores habuerunt, & ipse Deus pro beneficio suo reputat, quod Davidi plures uxores dederit. 2. Sam. X, 1. 8. Id vero fieri non posset, si polygamia esset juri nat. contraria.

n. 25

2) Idem de divortio dicendum. Nam nec hoc repugnat J. N. modo ex causa justa fiat. Quum enim matrimonium sit maris & feminae conjunctio, sobolis procreandae educandaeque causa inita; sequitur, 1. ut quemadmodum mutuo consensu initur, ita & mutuo dissensu dissolvi sua natura possit, 2. ut si alteruter conjugum ineptus sit ad procreandam educandamque sobolem, vel his contaminatus vitiis, ut in societate cum eo vivi commode nequeat; dissolvi possit matrimonium.

Et hinc ipsa etiam lex V. T. concessit divortia, ipso fatente Christo Matth. V, 32. XIX, 9. An vero Deus aliquid praecipisset contra jus naturae immutabile? minime.

Quamvis vero & polygamia & divortium non repugnet J. N. nec legi voluntariae V. T. vult tamen Grotius, Christi legem naturam conjugii ad perfectiorem normam redegisse, & non modo divortium, sed & polygamiam, prohibuisse. Divortium quidem Matth. V, 32. XIX, 9. Polygamiam autem 1. Cor. VII, 4, dum & uxori dat jus in corpus mariti. Ex quo sequitur, ut quemadmodum maritus prohibere potest, ne uxor corpus communicet cum pluribus: ita eodem jure uti possit uxor ratione viri.

Accedunt & alia argumenta: veluti quod Christus locis citatis provocet ad institutionem primaevarum. Deus autem junxerat
anum

unam matrem & unam feminam in societatem indissolubilem. Idem quod Paulus dicit, uxorem debere habere *ἰδίον ἀνδρα* virum proprium. Hæc omnia itaque recte se habent.

Sed in eo Grotius errorem sibi familiarissimum immiscet, quod Christum novam & V. T. legibus contrariam legem condidisse arbitratur. Nam, 1. falsissimum est, Christum esse novum legislatorem, quum potius sit veteris legis interpret. Notum quid ipse Christus de ea re dicat Matth. V, 17. seq. 2. Ipse Servator, dum provocat ad primævam institutionem, satis aperte docet, non novam a se legem dari, sed illam renovari, & a pseudemia phariseorum vindicari.

Sed quid dicemus de concessione divortii & polygamie in V. T. Responderi ipse Christus: *Moses vobis hac concessit propter duritiam cordis vestri*. Fuit ergo conniventia Dei, qui multa tolerabat in populo illo durissimi ingenii, quæ non præbatur.

n. 4.

Hinc facile etiam carebimus recessu illo plurium gentium, quæ & divortii libertatem suis permisere, uti Romani, vel polygamiam, uti Ægyptii, Persæ, Græci antiquiores. Nam 1. gentium mores, ut sæpe diximus, non faciunt jus gentium. 2. Facile his opponi possunt gentes moratiores, quæ polygamiam improbarunt, ut Romani, Græci recentiores, Germani. 3. Ipsæ gentes semper laudabiliorem monogamiam existimarunt, quam *πολυγαμίαν*, ceu ex TACITI libello *de morib. Germ.* patet.

§. 10.

4) Transit Grotius ad consensum parentum, & quærit an sine eo ratum sit conjugium? Non jam quæstio est, an consensus ille merito exigatur? & an non peccent liberi contra honestatem, qui illum negligant? sed quæritur an ita de necessitate sit, ut eo non impetrato matrimonium sit irritum?

2. 1.

Recte id negat Grotius. Nam 1. non omne quod honestati repugnat, irritum est. E. g. parum honestum est, plus donare, quam vires patrimonii ferunt, sed ideo hæc donatio non est irrita, non admodum honestum videtur, senem uxorem ducere, vel ob solas divitias nubere, sed ideo hujusmodi nuptiæ non irritæ habentur. 2. Id nec ex definitione nuptiarum, nec ex definitione patriæ potestatis fluit. Non ex illa. Nam potest conjunctio maris & feminae esse conjugium, possunt & liberi procreari & educari, quamvis non consenserint parentes. Non ex hac, quia patriæ potestas, ut heri diximus educatione sola nititur. Liberi autem in nuptiis in eo sunt, ut educatione non amplius indigeant, sed eo ipso excedere solent familia paterna.

2. 2. 3.

Ast jus Rom. nuptias irritas esse jubet, nisi patris consensus præcesserit. pr. I. de nupt. Sed facile respondetur. Hoc non ex jure nat. Sed ex lege civili esse. Idque probabitur 1. ex eo, quod patris solius consensus exigitur eo jure, non matris, quum tamen jure nat. sit par utriusque parentis in liberos potestas. 2. Quod nec opus sit filio emancipato patris consensu, quum tamen

emana-

emancipatio jure nat. non tollat venerationem debitam parentibus. 3. Ipsum jus divinum, quamvis parentum consensum requirat, tamen irritas non pronunciat nuptias sine consensu parentum contractas. Id quod Grotius probat exemplo Esau. Gen. XXXVI. qui quum invitis parentibus nuptias inauspicatissimas contraxisset, non tamen a parentibus prohibitus est, uxores illas male conciliatas in matrimonio habere & retinere.

§. II.

5) Queritur, an etiam ii, qui jam in matrimonio vivunt, aliud iure possint? Ubi recte Grotius distinguit inter jus nat. & gent. & jus divinum positivum.

Jure nat. quum licitum sit divortium, licebit etiam matrimonium solvere, & aliud iure, modo gravis aliqua & idonea causa id suadeat.

Ast jure divino positivo quum per Christi interpretationem nefas sit, repudium uxori dare, non nisi morte solvitur matrimonium & divortio propter adulterium, uti vulgo ex Math. V. & XIX. colligunt.

Unde merito queritur, an ex his testibus id sequatur? Nos negamus ob has rationes.

1) Aut solum adulterium solvit matrimonium, aut solum & alie causa. Si posterius: habemus, quod volumus. Simplicius: non potuit Paullus 1. Cor. VII. novam divortii causam adsignare, maliciosam desertionem. Atqui adsignavit. Ergo non solum adulterium solvit matrimonium. Quumque expresse dicatur in textu Math. V. 32.

παρρητος λεγυς πορνειας & cap. XIX, 9. εἰ μὴ ὄν πορνεία: consequens est, ut πορνεία hic non significet solum adulterium.

2.) Quid autem significet, præclare ostendit SELDENUS de uxar. Hebr. Lib. III. Cap. XXII. idque ex ipsa connexione patet: Pharisei tentaturi Christum, hanc ei questionem proponebant: An fas est cuiquam repudiare uxorem suam *κατα πάσαν αἰτίαν*, ob quamcumque causam?

Nimirum erat hæc inter Judæos ejus temporis maxima controversia. Schola Schamaitana id negabat, & divortium non nisi ob causam *surpitudinis* concedebat, uti Moses loquitur Deut. XXIV, 1. Contra Hillel ejusque schola docebat, ob quamcumque causam licitum esse divortium. Prior sententia viris probis & justis placebat, id est, paucis: posterior plebi, cui grata erat illa divortiorum licentia. Quumque fama percipereisset, hanc sententiam Scholæ Hillelis voce cœlesti fuisse probatam, ipsum synedrium magnum eam publica auctoritate ratam habuit.

Dum ergo Pharisei interrogant: an fas est homini repudiare uxorem ob quamcumque causam? perinde est ac si dixissent: tunc probas sententiam Hillelis? Si adfirmasset, tunc multis videri potuisset Servator vir parum sanctus & pius: si negasset, occasio illis fuisset eum tanquam hereticum denunciandi synedrio.

Quid ergo Christus? respondet pro Schamaitanis, Dico vobis, qui repudiat uxorem, nisi ὄν πορνεία, adulterium committit. Ex quo

quo sequitur 1) ut *πορνεία* hic sit quævis res turpis, & fini matrimonii contraria, maxime cum 2) ea significatio vocis sit Hellenistis frequentissima, & hi fere omnia delicta adpellare soleant *πορνεύειν*, uti cum adparatu probavit Seldenus. Quod & 3) inde liquet, quod Paulus 1. Cor. VII. alteram causam divortiorum, nempe maliciosam desertionem addidit, quod sane non potuisset, si *πορνεία* significaret adulterium.

6) Jam nova & ea quidem vexatissima nascitur quæstio de incestis nuptiis, seu gradibus prohibitis. Quum fere omnes gentes honestiores abstinuerint a nuptiis consanguineorum: a) quæritur, an ea prohibitio sit juris naturæ?

Negat id Grotius n. 1. excepto conjugio inter parentes & liberos, de quo n. 2.

Negat, inquam hanc prohibitionem esse J. N. Nam 1) ea non fuit ex definitione connubii antea explicata. Liberi procreari & educari possunt etiam a parentibus consanguineis.

2) Rationes, quas vulgo adferunt, sunt nullius ponderis. E. g. quod PLUTARCH. *quæst. Rom.* 107. & AUGUSTINUS *de Civ. Dei Lib. XV. cap. 16.* existimant eas nuptias prohibitas, ut latius spargantur amicitiae, nec intra unam familiam constarent adfinitates. Ratio enim hæc magis politica est, quam juris naturæ.

3) Immo aliquando hæc nuptiæ utilissimæ videntur, e. g. si jam liberi ex prioris matrimonii adsint, & noverca sit uxoris defunctæ soror, sane tolerabilior erit noverca,

quam

Originaria Juris, in Personas, C. 301
quam extranea. Ita etiam si virgo sit *ἄρ-
καλη*, id est, ex asse heres, consulatur
familiae, si agnato nubat, ut patrimonium
penes familiam maneat. Quod hoc casu
ipse Deus praecepit. Ruth cap. III. nec
non lex Attica, apud DEMOSTH. in *Orat.*
ad Leocharem.

Attamen inter adscendentes & descen-
dentes matrimonia ipso J. N. prohibita
videntur,

n. 2.

1) Quia turbantur respectus, e. g. si
filius uxorem ducat matrem, tanquam filius
eam venerari debet, tanquam maritus ei-
dem imperare. Ita & liberi inde nati erunt
patris liberi, & simul fratres uterini, ma-
tris filii & simul nepotes ex filio. Quae
confusio respectuum rectae rationi & matri-
monii naturae repugnare videtur.

2) Quia pudori naturali repugnant hu-
jusmodi nuptiae. Nam quem non puderet
cum matre congressi.

Ad posterius argumentum non maximi
momenti esse videtur, quamvis Grotius ad
objectiones quasdam respondeat. Nam

n. 3.

1) Diogenes & Chrysippus provoca-
bant ad animalia quaedam ab incestu non
abhorrentia, e. g. gallos gallinaceos.

Sed resp. Grotius. Quamvis ab his nu-
ptiis non abhorreat natura brutorum, ab-
horrere tamen naturam humanam, adeoque
id sufficere ad probandum, quod repugnet
juri naturae, quod & testimoniis Xeno-
phontis, Mich. Ephesii, Lucani probat.

2) Socrates apud Xenoph. in memora-
bilibus Socr. existimat, nihil turpe inesse
his

n. 4.

his nuptiis, præterquam inæqualitatem conjugum, esse enim eos ætate dispares, & hinc plerumque matrimonia hujusmodi fore sterilia.

Resp. Grotius. Sic & prohibenda fuisse matrimonia inter senem & juvenulam. Et sane si pater sit ann. 35. filia ann. 15. quis dixerit, sperari non posse liberos.

n. 5.

Denique ut Diogenem & Chrysippum eo fortius stringat, observat, & bestias quasdam ab his commixtionibus abhorre. Idque probat partim testimonio *ARNOBII Lib. V. adv. gent.* partim exemplo apud *ARIST. Hist. Anim. Lib. 9. cap. 46.* & *OPPIAN. CYNEG. Lib. 1.* qui referunt, equum scythicum cum matre committendum, refragatum, nec unquam adduci eo potuisse, ut cum matre congrederetur, nisi equa involuta pannis.

Hæc sunt, quibus pudorem illum naturalem probat Grotius, quod ejus argumentum tanti fecit *LAMBERT. VELTHUYSEN in principiis justis & decori*, ut non solum graduum prohibitionem, sed & totum jus nature ex pudore naturali derivandum putaret.

Sed paucis moneo: 1.) pudorem esse adfectum indifferentem, & sæpe pudere homines boni æque ac mali, e. g. bonum est, fateri peccata, & veniam eos rogare, quos offendisti: sed pudet.

2.) Pudor apud omnes non est idem, Pro ratione enim temperamenti, alium facile, alium difficulter pudor occupat. Sic Romanos pudebat matrimonii cum propinquis; Persas non pudebat. Ergo inde nihil arguitur.

3) Hi-

3) Historia illa de æquo admissario le-
pida est, sed admodum dubia. Sane quod
olim factum, cur non hodie fit? Non so-
lent hodie equi tam religiosi & casti esse.

§. 13.

b) Hactenus de J. N. Jam de jure positivo
universali: Quæritur ergo an non saltem
hoc prohibeat hujusmodi nuptias?

n. 1.

Respondet Grotius, omnino prohibere,
provocans ad Lev. XVIII. & XX. Quumque
nonnulli existiment has leges esse mere fo-
renses adeoque non obstringere Christianos,
contrarium triplici argumento demonstrat.

1) Quia sub finem istorum capitum di-
cat Moses: & Cananæos ob hæc delicta
terra expulsos. Unde arg. Quicumque de-
linquant, eos lex quædam obligat. Cana-
næi incestis nuptiis contractis deliquerunt.
Ergo eos obligavit lex.

2) Quia hæ leges in N. T. repetuntur. Sic
e. g. Paulus 1. Cor. VII, 25. & Ephes. I, 14
incestum damnat inter privignum & nover-
cam, & eas nuptias ipsis gentilibus abomina-
biles fatetur. Jam quum leges forenses in no-
vo test. nullius auctoritatis sint, adparet sa-
ne has leges non esse forenses, sed morales.

3) Quod & Hebræi eas leges natura-
les esse existiment, quia & verecundia na-
turalis ab his nuptiis abhorreat, & facile
alias convictus inter has personas quoti-
dianas occasionem dare posset stupris: nisi
prohibitæ essent hæ nuptiæ.

n. 2.


Sed tertium hoc argumentum admodum
dilutum est. Nam pudorem naturalem nihil
probare, jam supra ostendimus. Alterum
autem

autem naturæ humanæ repugnat, de qua recte Poeta: Nitimur in vetitum. An minus periculi a stupro erit inter personas conjunctas, quod prohibitio accedat?

n. 4.

c) Jam nova nascitur quæstio, an Levit. XVIII. & XX. gradus prohibeantur, an personæ tantum? Illud plerique putant, quos & nos sequimur: hoc e recentioribus Schilterus & alii quidam. Rationes nostræ sunt

1) Quia ubi eadem ratio, ibi eadem est juris dispositio. Ast ratio sita est in propinquitate carnis, quæ eadem est



in duobus personis ejusdem gradus. Ergo & hic valet prohibitio, etiamsi persona Levit. XVIII. non expressa sit. Sic e. g. ibi v. 13. prohibetur matrimonium cum matertera, non cum avunculo: & tamen, quum ejusdem gradus sint, quis dubitet, quin matrimonium & inter hos subsistat?

2) Quia hæc natura omnium legum est, ut ob rationis latitudinem late interpretandæ sint, quia non omnes casus exprimi queunt.

3) Quia hanc interpretationem suadet v. 6. ubi occurrit regula generalis, quam postea exempla sequuntur. Ubi vero regula occurrit cum exemplis, ibi liquido extensiva interpretatio locum habet.

n. 5.

Redit Grotius ad Hebræos, qui has leges Lev. XVIII. universales putare n. 3. diximus. Jam addit Grotius, eosdem has leges arcessere ab ipso Adami tempore, ut tanto

tanto facilius reddi possit ratio, cur omnes homines obligent.

Alias enim, inquiunt, non posset reddi ratio, cur Deus & gentiles puniverit ob incestas nuptias.

Sed hæc solax conjectura est Hebræorum, nullo nixa fundamento certo & historico: unde nec ei immorabimur.

Jam ad alias gentes, quas itidem hujusmodi nuptias damnassee observat. Hinc ex Mich. Ephesio, Diod. Siculo, Platone Dione Prusænsi demonstrat, communem hanc fuisse omnium gentium sententiam, præterquam Ægyptiorum, Persarum & aliquot Barbarorum. n. 6. 7.

Quamvis autem hujusmodi inductio, ut sæpe monui, non probet jus gentium, nec adeo certum sit, omnes gentes in eo conspirasse, quum & de Cimone Atheniensi referat Corn. Nepos eum sororem habuisse in matrimonio, idque licuisse facere legibus Atheniensium: hic tamen hæc observatio alicujus momenti est. Nam quum & Romani & aliæ gentes eisdem fere gradus, quos Lev. XVIII. prohiberi intelligimus, prohibuerint, & tamen ratio sola nullam hujus prohibitionis suggerat rationem: merito quæras, unde hanc notitiam sibi adquisiverint gentiles? Et recte n. 7. respondet Grotius, per veterem legis divinæ famam, vel per traditionem. Gens enim res hujusmodi a gentibus vicinis didicit. Ab Hebræis Phœnicii, ab his Græci, ab his Romani, & sic porro. Exemplo esse possunt res plures, e. g. quod omnes gentes nunq-

numerent per decurias, quod omnes tempora metiantur per septimanas. Vid. Grot. in *tr. de veritate relig. Christiana*, ubi & alia hujus generis collegit.

§. 14.

d.) Addit & alia monita Grotius, veluti: quod in ulterioribus gradibus aliquando persona prohibetur, altera conceditur, quum sint ejusdem gradus. Sic e. g. prohibitum est ducere amitam, v. 12. Ast non prohibitum ducere fratris filiam. Nee rara inter Hebræos fuere hujusmodi matrimonia. Quæritur itaque, quæ ratio discriminis?

Grotius sequitur Hebræos, & hanc assignat causam, quod in fratris domos minus pateat aditus, quam ad ædes avorum & aviarum, adeoque hic majus sit stupri periculum quam illic. Sed hæc nihili sunt. In promptu est ratio solidior, nempe turbatio respectuum. Amita est loco matris, ergo non potest decore uxor esse ejus, a quo filialem venerationem jure exigeret. Ast in nuptiis cum fratris filia non turbantur respectus, quia facilius hæc marito præstabit obsequium, quum cum quodammodo patris loco venerari debeat.

n. 2.

Altera observatio est, leges de incestu inter ascendentes & descendentes, nec non de matrimonio fratrum & sororum semper irrita reddere hujusmodi matrimonia: ast reliquas leges plerumque poenam tantum irrogare. Id probat ex Canonibus Apostolicis, qui tantum deponi jubent Clericum, alios poenitentia ecclesiasticae subiciunt, si incestum admisissent.

Sed

Sed hoc non ubique receptum. Plerumque enim omnia matrimonia Levit. XVIII. prohibita irrita sunt. In reliquis locus est dispensationi principis.

Tertia observatio est, quod pleræque B. 3. 40 gentes ultra gradus Levit. XVIII. prohibitos & alios quosdam prohibuerint, tanquam sepimentum legis, ne ob vicinitatem violarentur leges Lev. XVIII. Sic e. g. inter patruales Deus non prohibuit matrimonium, nec inter consobrinos, quia tamen proxime hoc matrimonium accedit ad nuptias fratrum & sororum: illud prohibitum reperimus, *L. 3. C. Theod. de incest. nupt.*

Pontifices Romani initio ad septimum, deinde ad quartum gradum suæ computationis prohibuerunt nuptias. Vid. THOMASII *not. ad Lancellor. insistent. jur. Canon. tit. de nuptiis.*

§. 15.

Haftenus de vero conjugio: jam quædam de concubinato adduntur. Hic ante omnia status controversiæ recte formandus. Non jam loquimur de muliere, quæ marito alieno succumbit: hæc enim non concubina est, sed pellex: nec de ea, quæ furtim cum cælibe rem habet: hoc enim scortum est: sed de femina, quæ sine solemnitate nuptiali se viro jungit, ita ut inter hos sit conjunctio perpetua sobolis procreandæ educandæque causa inita. De hac conjunctione quaeritur, an juri naturali repugnet? B. 10

Id recte negatur. Nam 1) definitio matrimonii supra data etiam huic quadrat concubinato, atque inde sequitur, concubinatum

Hein. de Jure Belli, &c. O esse

esse verum matrimonium juris naturæ, quod in nuptiis nullam sollemnitatem exigit, quamvis non sit civile, adeoque & effectibus civilibus destituatur. Hinc concubina non gaudet jure uxorum, non capit partem hereditatis, liberi ex ea procreati non sunt in patris potestate civili, non sunt heredes sui, quamvis jure naturæ sint vere liberi, & hinc vocentur liberi naturales.

n. 2.

2) Honestæ esse possunt hujus concubinationis causæ, e. g. disparitas conditionis. Sic sæpe magni principes amant honestam feminam, sed plebejam, quumque eam uxorem habere nequeant, eam ducunt quasi uxorem, quem concubinatum vocari novimus matrimonium ad morganaticam. Ita enim concubina loco uxoris adscita aliquando est, ne noverca liberis induceretur. Id quod factum novimus ab Antonino Phil. Imp. ut est apud JUL. CAPITOLIN. *in vita M. Antonini cap. ult.*

§. 16.

n. v. 2.

Denuo ad quæstionem delabitur Grotius, an matrimonia contra has leges inita irrita sint semper? Sed quia de hac quæstione ad §. 14. n. 2. actum est; iterum hic actum agere nolumus.

§. 17.

Egimus hæctenus de personis, quæ nostræ sunt per consensum, Consensus iste duplex est, ut Grotius supra §. 8. n. 1. docuit, vel consistit in consociatione vel in subjectione. Per consociationem fiunt nuptiæ, de quibus hæctenus, & universitates, de quibus in posterum.

Ecc

Ex iterum duplices, vel privatæ, vel publicæ. Privatæ, quæ habent pro fine utilitatem privatam. e. g. Societas mercatorum, publicæ, quæ utilitatem publicam. Et hæc donuo vel *in populum* fiunt, vel *ex populo*. Si multi confociantur in populum, tuac ex hac confociatione nascitur respublica: sin multi ex populo confociantur, inde fit universitas, collegium, corpus, &c.

1) Quia omnes confociati constituunt unam personam moralem. Ea voluntatem suam exerit vel per paucos, vel per plures, vel per omnes. Primum esset iniquum, tertium impossibile, E. reliquum manet secundum.

2) Quia alias nunquam ad liquidum perveniretur. Nam qui in collegio sunt, sunt æquales. Æqualis æquali legem præscribere nequit. Ergo nec poterit urgere, suum suffragium sapientius esse suffragio alterius. Ergo nec ponderari possunt suffragia, sed numerari, adeoque plura suffragia semper vincunt pauciora.

3) Res ipsa & experientia docet, infelicissimas esse universitates, ubi aliud obtinet. e. g. Cur in Polonia nihil ad liquidum perduci potest? Cur omnia comitia sine fructu disfluunt? Quia ibi unus omnium suffragia rescindere potest.

§. 18.

Regula II. Si par est suffragiorum numerus, nihil agitur. Quum enim suffragantes sint æquales & ejusdem conditionis & potestatis in republ. sequitur ut una pars

alteram cogere, non possit, ut sibi adsentiat. Excipiuntur tamen casus.

1) Si calculus Minervæ accedat, id est, si pares fiant condemnantium & absolventium sententiæ: tunc enim reus absolvitur. Vocatur calculus Minervæ, si cui iudicum vel præfidi facultas datur, suffragium suum addendi vel condemnantibus vel absolventibus. Dicitur autem calculus Minervæ, quia quum Clytemnestra maritum Agamemnonem occidisset, filiusque utriusque Orestes mortem patris ultus, matrem interemisset: parricidii accusatus in Areopago pluribus sententiis iudicium condemnatus est, quam absolutus. Minerva itaque calculum addidit absolventibus, ut suffragia fierent paria, quo factò absolutus est. Eo calculo nihil æquius est. Vid. Jo. HENR. BOECLERI *diff. elegantissima de calculo Minervæ*, quæ habetur in operibus ejus T. I. p. 200.

2) Si paria suffragia sint, & alteruter possideat. Tunc enim in dubio melior est conditio possidentis, quia in ejus persona duo jura concurrunt, alterum certum possessionis, alterum dubium tituli, quum alter solum titulum dubium pro se alleget.

§. 19.

Reg. III. Duz sententiæ pari suffragiorum numero nixæ, si sint ejusdem naturæ, conjungendæ sunt, ut id valeat, in quod utraque pars consensit. Id evenit 1) quoties in quantitate tantum differunt suffragantes, e. g. Titius ab una parte condemnatur in decem, ab altera in XX, tunc decem ab eo
exi-

Originaria Juris, in Personas, &c. 311
exiguntur, quia in hos utraque pars con-
sensit. 2) Quoties in modo rei non con-
veniunt, & uterque modus conjungi possit,
e.g. una pars censet, reum esse privandum
officio, altera eundem relegandum.

Unde plane huic regulæ non est locus, si
sententiæ diversæ sint natura. e.g. Una pars
Titium condemnavit in viginti, altera rele-
gari jussit. Hic iniquum esset conjungere
sententiam, quum altera pars in alterius sen-
tentiam diversæ naturæ non consenserit.

§. 20.

Reg. IV. Absentium nulla habetur ratio.
Videri hoc posset iniquum, quia & absens
est membrum collegii, adeoque & scripto
posset dare suffragium.

Sed facilis responsio. Sententiæ dicuntur
prævia deliberatione & consultatione. Qui
vero abest, is consultationi non interfuit,
nec audivit alterius partis rationes, adeo-
que nec sententiam dicere potest, sine præ-
judicio præcipitantiæ. Sæpe domi quis ita
adfectus est animo, ut pronus sit in senten-
tiam, quam facile dimitteret, si alterius ra-
tiones audivisset. Exemplo esse potest Julius
Cæsar, qui in causa Ligarii eo proposito au-
diebat Ciceronem, ut hominem condemna-
ret: sed audita ea oratione ita mente pertur-
batus, commotusque est, ut absolveret.

§. 21.

Reg. V. Qui prior in collegio fuit, is
ordine quoque prior est. Sunt enim pares.
Inter pares nihil potest prærogativam da-
re, quam ætas, uti videmus in fratribus,
sociis, collegis.

Fallit tamen ea regula, si in collegio sint diversi ordines, nam tunc ii tantum ætatis inter se habent rationem, qui sunt ejusdem ordinis. e. g. Consilium aulicum Imperatoris constat ex nobilibus & eruditis, nobiles nunquam postponuntur eruditis, quum sint ætate posteriores, aut inter nobiles ipsos æque ac inter eruditos ætatis vel temporis habetur ratio.

§. 22.

Reg. VI. Ubi non omnium eodem modo interest, ibi in suffragiis servatur proportio non arithmetica, sed geometrica.

Justissimum enim est, ut proportio servetur inter id, quod cujusque interest, & numerum suffragiorum, ne ii, quorum parum interest, suffragiorum numero vincant reliquos.

Sic e. g. si tres sint heredes, unus ex semisse, reliqui ex quadrante, iniquissimum esset, si unus, qui ex maxima parte heres duorum reliquorum suffragiis stare cogeretur.

Et inde est, quod in republ. Belgii foederati non sunt paria omnium provinciarum suffragia, sed uti Hollandia plus reliquis contribuit, ita plura habent suffragia.

Attamen id non ubique observatur. Nam in Germania princeps minimus æque virile suffragium habet, ac princeps potentissimus, idemque in Helvetia observatur, ubi resp. Bernensis, reliquis omnibus potentior, non plus pollet suffragio quam XII. reliquæ.

§. 23.

Hactenus regulas de suffragiis dedimus. Pergit jam Grotius ad potestatem civitatis in subditos, qui in civitate manent §. 23. in eos, qui civitate excedere volunt §. 24. & in exsules. §. 25.

De potestate civitatis in subditos recte docet, eam tanquam totum integrale in singulas partes jus maximum habere, adeoque de omnibus civium actionibus externis, leges condere posse. Recte addit, de actionibus EXTERNIS. Internæ enim non cadunt sub imperium civile, adeoque absurdum est leges præscribere velle intellectui, quid credere, quam religionem tenere debeat.

Potest equidem civitas religionis cujusdam, statui suo incongruæ, exercitium prohibere, (sed hoc externum est,) potest etiam iis, qui certam religionem profitentur, terris suis excludere, nec eis concedere aditum: ast cogere homines, ut hoc credant, quod ipsis videtur incredibile & impium, id plus quam tyrannicum est. Utrumque demonstro. I. Omnes actiones externas civium civitati subjectas esse, ita probo:

Ubi consensus & consociatio est in unam voluntatem, ibi omnes actiones civium externæ civitati subjectæ sunt.

In civitate est consociatio omnium in unam voluntatem, E.

Minor clara est. Æque absurdum enim esset, in civitate unumquemque agere, quod sibi libeat, quam membrum aliquod cor-

poris non subesse directioni mentis. Unde & toties in libro Judicum id repetitur, tanquam signum anarchiæ: Eo tempore non erat rex in Israel, unusquisque agebat, quod rectum videbatur.

Minor patet ex civitatis origine & natura, de qua infra pluribus.

II. Religionem vel fidem non subesse civitatis imperio ita probamus:

Quidquid cogi nequit, id nec legibus subest.

Intellectus, ad quem non credere pertinet, non potest cogi.

E. intellectus, ad quem, &c. legibus non subest. Minor clara. Intellectus est potentia necessaria, non possum ipse intellectum cogere, ut credat circulum habere angulos, bis tria esse centum, &c.

§. 24.

Altera quæstio est, an civibus de civitate abscedere liceat, sine venia?

n. r.

Hic primo observat: in quibusdam civitatibus id non licere, veluti in Russia. Immo & in Germania & Polonia, loca quædam sunt, ubi id non licet. Sed res facilis est. Distinguendum inter subditos, qui simul servi sunt, & subditos liberos. Servi sunt subditi 1) in imperiis despotici vel herilibus, qualè est Russicum, Turcicum, Persicum, &c. 2) in imperiis ubi soli nobiles ingenui, plebeji servilis conditionis, uti in Polonia, vel 3) ubi rustici saltem sunt servitutis jugo adstricti, ut in Westphalia, Ducatu Meklenburgico, Holsatico, in Lusatia. Hi ergo omnes, quum

quum fiat glebæ adscripti, possunt cogi, ut in civitate maneant, & si fugam capessant, vindicari a Dominis. Vid. HARTIUS *de homin. propr. T. II. Opusc.*

Ubi autem cives sunt liberi, ibi alia obinet distinctio. Aut enim gregatim abscedere conantur, aut unus vel alter. Priore casu id potest impediri, posteriore non item. 1.) Ratio prioris membri est, quia quum semel cives consenserint in id quod salus reipubl. exigat, consensisse etiam intelliguntur, se non discessuros, ubi periclitetur ea discessione resp. Et hinc quum ex municipiis Italicis tam multi Romani migrarent, ut urbes pene inanes relinquerentur, lege Mucia Claudia cautum est, ut omnes cogerentur in patriam redire. II. Ratio posterioris membri est, quia ex unius vel alterius discessu nihil detrimenti capit resp. adeoque nemo cogendus, in civitate manere, cujus membrum esse nolit. Sed tamen res ipsa docet, id non licere

- 1.) si quis ad hostes velit deficere, quia hæc proditoris species.
- 2.) Si æris alieni vel delicti causa abscederet: quia hæc fuga esset.
- 3.) Si periculum ejus personam exigat. Hinc miles in obsidione vel imminente prælio frustra missionem flagitabit.

§. 25.

Tertio quæritur: An & in exules civitati, unde profecti, jus sit? Negat GROTIUS. Nam exilium est amissio civitatis. Si ergo cives esse desierunt, nec ulla in eos potestas est civitati.

Sed tamen & exules comiter venerari patriam tenentur, nec ad hostes deficere. Notum est illatibile & triste fatum Baronis de Patkull, crurifragio puniti a Rege Sueciz Carolo XII. qui ex Livonia exsul, ad Russos & Regem Poloniae se contulerat, & bellum foverat adversus Suecos. Supplicium dirum & justo severius est: nec tamen sine noxa fuisse existimandus Patkull.

§. 26.

Diximus supra consensu in potestatem nostram redigi personas vel per consociationem, vel per subjectionem. Ex consociatione oriuntur matrimonia, universitates, civitates, collegia, de quibus haecenus: per subjectionem sunt liberi adoptivi §. 26. servi §. 27. 30. populi devicti, §. 31.

Arrogationis fundamentum est libera subiectio. Homo enim sui juris quum se possit addicere in servitutem: quidni etiam in potestatem patriam, multo mihiorem & utiliorem?

Sed de adoptione paulo subtilior quaestio est, an pater possit filium suum alii dare in adoptionem? Videtur enim patrium jus esse personalissimum, quod non magis alii cedi potest, quam jus in uxorem. Et hinc Grotius diserte negat, naturam hoc sinere, & hinc tantum concedit, ut pater filium alendum det alii.

Sed resp. patria potestas J. N. ut supra docuimus, nihil aliud est, quam jus dirigendi actiones liberorum ob educationem. Quum ergo alius saepe ipsis parentibus aptior sit ad dirigendas filii actiones: quidni huic

huic jus patrium cedi posset? Si pater per aliquot annos pædago jus suum recte cedit, quidni & alii in perpetuum, si id filio utile fore intelligat?

§. 27.

Altera subjectionis species, eaque ignobilissima est in servitute. Quamvis enim Romano jure liber homo non sit in commercio, adeoque nemo se possit in servitutem mancipare, J. N. tamen id non impedit. Cuilibet enim licet juri in sui favorem introducto renunciare, adeoque & libertati.

n. 1.

Unde & legem hanc Romanam apud alias gentes non valuisse observat ipse Grotius.

Posset videri servitus juri naturæ repugnare. Sed id merito negatur: Servitus enim 1) in se nihil aliud est, quam obligatio ad perpetuas operas. Si non injustum est obligari ad annuas operas, quidni & ad perpetuas?

n. 2.

2) Ipsa quorundam natura ad servitutem aptissima & tota comparata est, ita ut nec actiones suas dirigere, nec victum & amictum sibi lucrari possint, unde Aristoteles, quamvis parum accurate, quosdam natura servos esse dixit. Hi homines si alieno beneficio & arbitrio vivunt, quid hoc iniqui est?

3) Ipse Deus servitutem probavit, tum in V. T. inter Israelitas, tum in N. T. per Paulum 1. Cor. VII, 20. 21. 22.

§. 28.

An autem J. N. dominis etiam jus vitæ & necis in servos concedit? Negat Grotius,

additque rationem, quia nemo possit hominem occidere, nisi capitale commiserit.

Sed facile patet, Grotium hic mutasse statum quæstionis, quem primus recte formavit THOMAS. *in fundam. J. N. & G.* Nimirum jus vitæ & necis non est promiscua occidendi licentia, sed jus coercendi delinquentes etiam supplicio capitali: Quum enim principi competat jus vitæ & necis in subditos: quis tamen dixerit, eum posse promiscue sævire in vitam civium? Esset hæc injuria & tyrannis, non jus vitæ & necis. Si ergo delinquentes coercere non injustum est: ergo in se nec injustum est, si id jus conceditur dominis in servos.

Sed tamen quum id non sit juris naturæ præceptivi, sed permissivi, omnino civitas id jus dominis recte adimit, 1) quia facile degenerare potest in tyrannidem, quia 2) aliquando delicta manerent impunita, ne domini servorum jacturam facerent.

§. 29.

n. 1.

Progreditur A. ad nobilem quæstionem, utrum parentem sequatur partus servilis? Legibus civilibus fere certum est, partum sequi ventrem, adeoque ex duorum dominorum servo & ancilla prognatum ad dominum ancillæ pertinere. Sed jure naturæ communem esse partum arbitratur Grotius, quia uterque parens sit causa partus.

Ego neutrius puto J. N. esse, sed liberum. Nullus enim hic titulus est, cur dominus eum, qui liber natus est, sibi vindicet: homo autem semper liber nascitur.

Sed

Sed objicit Grotius, vernam servum merito fieri in compensationem alimentorum, quæ a parentibus accipere nequeat. Sed resp. 1) servum & peculium habere posse, unde vernam alat, 2) alimenta puero servi filio data, non esse tanti, ut in comparationem venire possint servitutis perpetuæ.

§. 30.

Observat Grotius esse quosdam servitutis gradus, quos paullo accuratius describemus. Nam

1) Est servitus mercenaria, omnium mitissima, quia & mercedem accipit servus, & non nisi operas conventas debet.

2) Est statu-libertas, seu libertas sub conditione vel ex die concessa, quia libertatem sperant.

3) Est eorum qui se addicunt ultra, nam hi vendi non possunt J. N. quia personam domini elegisse videntur.

4) Est eorum, qui venditione acquisiti, nam hi in commercio sunt.

5) Est captivorum. Nam hi ob animum hostilem & fugæ periculum durius haberi possunt.

§. 31.

Tertio & victæ gentes se subjiciunt per deditioem. Est autem deditio vel perfecta, Germanis vocata *auf Gnade und Ungnade*, quando dediti sibi nullas conditiones stipulantur, alia imperfecta, quæ fit sub certis conditionibus.

Priore casu quamcumque conditionem vis imponere potest victor, modo non in eos

eos scævitat. Mortis enim evitandæ causa sese dederunt: & dum eos recipit victor, non potest illos occidere, quia in hanc conditionem consensit.

Posteriore casu accurate implendæ sunt conditiones. Ex pacto enim & hosti obligamur, qui hic non ut hostis, sed ut homo consideratur. Unde juri N. & G. adversantur, qui dedititios sub conditione receptos durius habent.

§. 32.

III. Ultima causa, ex qua jus in personam nascitur est delictum. Sed quamvis facile largiamur

1) ex legibus civilibus delicti causa aliquos servos fieri, ut jure Rom. incensos, feminas servili amore bacehantes, libertus ingratus, qui se pretii participandi causa venumdari passus, &c. nec negemus

2) Leges has justas esse posse, quia quum jure N. delicta morte puniri possint, nihil obstat, quo minus & servitute puniantur. Tamen

3) Nego jure naturæ ob delictum quemquam fieri servum ejus, quem delicto læsit, quia delictum ut actus transiens etiam poenam transeuntem requirit, non servitutem, quæ est conditio perpetua. Juri naturæ hujusmodi servitus non repugnat, sed tamen non est juris naturæ, quæ sæpe auctores confundunt.

C A P U T VI.

*De Acquisitione derivativa factio Hominis,
ubi de alienatione Imperii &
rerum Imperii.*

§. I.

Supra diximus, acquisitionem vel originariam esse vel derivativam. Originaria adquirimus, quæ antea in nullius dominio vel potestate fuerunt, & quidem vel quoad rei substantiam per occupationem, vel quoad ejusdem incrementa per occasionem. Derivativa autem adquisitio pertinet ad rem, quæ jam in alterius dominio est, & ad nos transfertur per traditionem, aliosque modos, de quibus paullo post. Hactenus ergo actum de modis originariis, jam de derivativis agendum.

Adquisitio derivativa denuo duplex est, & vel factio hominis fit, vel factio legis. Factio hominis 1) per traditionem, de qua §. 1. §. 13. 2) per testamenti factionem, de qua §. 14. De acquisitione, quæ fit factio legis, agetur capite sequente.

Posse aliquem per traditionem dominium rei suæ in alium transferre, expediti juris est. Nam 1) id fluit ex definitione domini, quæ & jus de re disponendi comprehendit. Atqui non potest quis dicere, se de re sua libere disponere, nisi habeat jus alienandi dominiumque suum transferendi in alium.

2) Id jus etiam inde potest demonstrari, quia unicuique licet rem suam derelinquere.

Si

Si id potest ita fieri, ut res cedat cuivis occupanti: quidni possim & in alterius favorem dominio meo renunciare?

Sed tamen, ut translatio domini subsistat, quædam & in dante requiruntur, & in accipiente.

In dante requiritur actus externus, ex quo colligi possit, cum alterum dominum esse velle. Cogitationis enim nulla certa notitia est.

R. 2.

Ex quo facile deciditur quæstio, an traditio præcise requiratur? Jure civili res certa est. Neque enim potest hoc jure jus in re nasci ex solo contractu, sed ex subsequente traditione. Sed de jure N. id negandum videretur. Recte. Nam 1) quid opus est traditione, ubi de voluntate tradendi constat? sane qui vult antecedens, vult & consequens. 2) Quid iniquius est, quam me jure meo excidere ob intermissum actum, qui non est in mea potestate, sed in potestate alterius quocum contraxi? E. g. emi a typographo librum, solvi pretium, sed librum non tradidit, pollicitus se eum mihi cras traditurum. Accepto pretio librum Mævio vendit & eradit. Non possum jure civili vindicare librum tanquam meum, quia mihi nondum traditus est, quum tamen traditio non a me, sed ab illo fieri debuerit. Sic ob intermissum actum, qui in potestate non mea sed alterius erat, dominio rei pecunia mea emta privor. Quid J. N. iniquius?

Hinc recte dixeris, hæc esse ex jure civi-

civili, quod & plura alia, e. g. judicialem resignationem, effestucationem, in Geldria receptam, servilesque ritus invexit, ne homines dicerent, se non animo deliberato transtulisse dominium. Hæc de requisito ex parte dantis.

§. 2.

Ex parte accipientis itidem requiritur voluntas signo quodam declarata, quia 1) translatio domini est actus *dirxdep* vel bilateralis, 2) Quia beneficium nemini obtruditur, quia 3) incertum alias esse an placeat conditio, sub qua tradenda res ejusque transferendum dominium.

Acceptat autem aliquis vel *expresse* per declarationem subsequentem. e. g. dono tibi librum, ego accepto: vel *tacite* per rogationem antecedentem. e. g. dona queso mihi hunc librum: dono. Hic etsi aliter non iterum accipiet, acceptasse tamen videtur, dum rogavit, in antecessum.

Sed de tacita observandum, eam sufficere, si idem datur quod rogatum, non si minus vel plus. E. g. vende mihi queso hos quatuor equos: vendo tibi unum: vel vende mihi duos: vendo quatuor.

§. 3.

Jam hæc suo more negotia publica transfert Grotius, & quarit, an & imperant alienari possit, sive totum, §. 3. sive per partes §. 4. 13.

De toto regno jam supra lib. I. c. 3. §. 12. vidimus: illud vel patrimoniale esse vel usu fructuarium. Si patrimoniale est, est in dominio summi imperantis, adeoque

ab

ab eo potest alienari. Sin usufructuarium, tunc nec potest a rege alienari, quia non est in proprietate & dominio regis, nec a populo, quia regi jam est jus quod ei invito auferri nequit.

Potest ergo ab utroque simul, quia sic nullius interest, cui jus sit alienationem impediendi. Sed de hoc supra jam actum.

§. 4.

Jam de partibus summi imperii quæritur, an & illæ alienari queant? Et respondet Grotius, id fieri non posse nisi ipsa illa pars consentiat. Ratio est, quia 1) qui se civitati vel regno adsociarunt, censentur formam reip. & modum imperandi elegisse, ergo ex pacto non possunt rejici & iis aliud obtrudi imperium. 2) Potest & fieri deterior partis alienandæ conditio, dum imperii minus potentis pars sit. Et hinc merito id illa invita fieri non potest. Hinc quum Rex Franciæ Joannes Philippo filio juniori Burgundiæ ducatum & comitatum daret, id non prius fieri potuit, quam consentirent Burgundiæ ordines. Conf. SERRAN. *Hist. Franc. in Carolo sap. & Francisco* & Ita & notum, quum Albertus Landgravius Thuringiæ totam provinciam Thuringicam venderet Adolpho Nassovio, Imper. Rom. non solum filios, sed & ipsos ordines Thur. se opposuisse, & armis quoque se defendisse.

§. 5.

Quum vero officia imperantium & subditorum tum invicem, tum inter se sint reciproca: sequitur, ut nec pars quædam impe-

imperii reliqua parte invita se separare possit. Nihil æquius, quum id fluat ex ipsa regula fundamentali J. N. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Quam antiquum esset, si resp. Belgica unam ex provinciis foederatis invitam & innocentem foedere excluderet: tam iniquum foret, si una reliquis invitis discedere veller.

Excipitur tamen & hic necessitas, quæ non habet legem: e. g. si pars quædam civitatis bello oppressa a civitate libertari nequeat, potest sibi consulere.

§. 6.

Hic objectionem removet Grotius: Si necessitate urgente pars potest se separare a toto imperio, totum imperium autem necessitate quidem urgente partem recte alienat, sequitur, ut pacti in totum plus liceat, quam toti in partem. Ast posterius est absurdum, Et & prius.

Sed respondet Grotius admodum subtiliter & scholasticè: 1) partem esse in toto imperio, tanquam in subjecto adæquato indivisibiliter, uti anima sit in corpore. 2) partem uti jure, quod ante societatem habuerit, non item corpus.

Sed hæc nihili. Tu dixeris, hæc fluere ex pacto: 1) Qui se imperio aggregant, ii sibi stipulantur defensionem a toto, non autem coiquam permittunt facultatem se alienandi. Ergo totum imperium non potest alienare partem invitam. 2) Imperium, qui partem recipit in communionem reip. promittit defensionem: ergo ea non præstita, vel quando præstare eandem

ne-

nequit, cessat partis obligatio, & hinc sibi consulere potest.

§. 7.

Aliud autem est pars imperii, aliud locus vel regio quaedam in imperio. Pars constat ex regione & hominibus illam incolentibus, & imperio subjectis: locus vel regio & hominibus vacare potest. Illam invitam civitas alienare nequit, hæc libere alienatur.

Ex quo colligit auctor partem territorii desertam a civitate vel populo libero recte alienari: vel a rege & populo simul in regnis usufructuariis, vel a rege solo in patrimonialibus.

Ratio satis clara. Ubi nemo est qui contradicere possit, ibi aliquid jure fit. Hic autem territorii pars vacua hominibus nec potest contradicere nec conqueri sibi factam injuriam, adeoque jure illud alienatur a populo.

Populo autem jus est contradicendi, si ex possessione hujusmodi terræ reip. periculum immineat: e. g. si montana regio vendatur, & emtor eam castellis & præfidiis munit.

§. 8.

Quum itaque partem imperii alienare nefas sit, sine ejus consensu: queritur, annon exceptionem admittat hæc regula?

Sunt quidam ex JCtis in margine allegati, qui duplicem comminiscuntur exceptionem, 1) ubi necessitas totius corporis id exigit, 2) ubi suadet utilitas insignis.

Sed

Sed recte Grocius utramque exceptionem rejicit. Nam

1) Ob necessitatem se pars illa corpori adgregavit; ergo absurdum esset, si urgente hujusmodi necessitate alienaretur, & contra naturam pacti rejiceretur a corpore.

2) Ob utilitatem nihil contra pactum fieri a civitate potest cum detrimento tertii: ergo nec ob utilitatem alienari potest pars imperii, nisi ea alienatio utrique utilis, & pars illa consentiat. Absurdum enim esset, unum paciscentem pactum violare posse sub prætectu utilitatis.

§. 9.

Quum ergo alienatio pactis imperii prohibita sit: quaeritur, an alienatio & infeudationem ac oppignorationem comprehendat, adeoque & illæ prohibita sint?

Regulæ de ea re paullo accuratius formandæ. Regnum vel patrimoniale est, vel usufructuarium. 1) In patrimonialibus imperans, quum alienare possit pro libitu, potest & infeudare & oppignorare, nec quisquam id jure impedit.

II. In usufructuariis quum omnis alienatio prohibita, prohibita etiam infeudatio & oppignoratio, nisi consensu populi, vel eorum, qui populum repræsentant, statutum. Sic e. g. princeps ecclesiasticus adhibere tenetur consensum capituli, Rex vel princeps pars curiæ, vel in jure feudali vocatur.

Porro sciendum feuda vel de novo constitui, vel antiqua renovari, vel aperta
novo

novo vasallo concedi: III. Primo casu valent regulæ paullo ante expositæ. IV. Secundo casu non opus est populi consensu, immo injuriam facit dominus vasallo, si investituram deneget, quia ex contractu tenetur. V. Tertio casu & usufructuario conceditur infeudatio in rebus infeudari solitis. 1. F. 6. 2. F. 35. *fin.*

Sed quæritur, cur infeudatione & oppignoratione idem juris sit, quod in alienatione, quum tamen in infeudatione dominium directum; in oppignoratione plenum dominium retineatur? Resp. 1) quia dominium directum omni utilitate privat dominum. Omnes enim fructus capit Vasallus, adeoque multum utilitatis subtrahitur civitati vel reip. 2) Quia in oppignoratione non solum possessio naturalis amittitur, sed & ea recuperari nequit, nisi re veluti iterum emta.

§. 10.

Vidimus hætenus, quatenus prohibita sit alienatio partis imperii: succedunt jam aliquot limitationes & ampliationes, ut a Jctis vocantur.

I. Limitanda est regula in casu functionum civilium, quas ex mente Grotii populus in perpetuum jure hereditario concedere potest, non item princeps usufructuarius, siue electione siue lege ad successionem vocatus, quia temporarii regni effectus non nisi temporarius esse possit.

Sed hoc falsum, & periculo non caret istud principium, effectum temporarii regni non posse esse perpetuum. Quid fiet ergo paci & foederi ab hujusmodi rege inito?

Tu

Tu dic: Omnes principes & rectores civitatum possunt officia & munera civitatum in perpetuum & jure hereditario concedere, si id mos civitatis ferat: non ubi contraria consuetudo est. Nam

1) res non est tanti, ut ideo comitia statim indicentur totius populi.

2) Quod semel consuetudine inolevit, in id populus consensit tacite. Quid enim interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis? *Lib. 32.*

§. 1. f. de LL. & SC.

3) Ubi consuetudo hujusmodi non obtinet, ibi princeps sequi tenetur officiorum naturam, quæ in se non perpetua sunt, sed cum persona expirant.

§. 11.

II. Ampliatio pertinet ad bona principum domanialia. Princeps possidet bona triplicia. Alia enim pertinent ad patrimonium, (Chatoull-Goederen) alia ad fiscum, (Domainen) alia ad ærarium.

Ad patrimonium pertinet, quidquid princeps possidet non tanquam princeps, sed tanquam privatus, e. g. quod habuit ante principatum, tanquam privatus, quod sua pecunia emit, tanquam privatus. Sic e. g. Principes Orientales Frisæ patrimonium habent Esens & Grietsiel, quia id possederunt jure allodii, antequam ad principatum pervenissent.

Ad Fiscum vel domanium pertinet, quidquid ad sustentandam principis aulam destinatum, unde etiam in Episcopalibus vocatur Fasel-Goederen, eoque non solum per-

pertinent jura quædam pinguiora, e. g. venationis, metalli fodinarum, mulctandi, &c. verum etiam præfecturæ quædam & prædia, Cammer-Goederen, Vorstliche Ambachten, &c.

Ad ærarium pertinent, quæcumque sustentandis reip. oneribus inserviunt, ut tributa, vectigalia, &c. Quod discrimen & modum acquirendi singula egregie exposuerunt KLOCKIUS *in tr. de arario*, & THOMASIVS *in diff. de præcipuis modis quibus acquirit Fiscus*. CONRING *de prudentia circa ararium recte constituendum & complectendum*.

In patrimonio princeps est dominus; in Fisco usufructuarius, in ærario nudus administrator.

An ergo hæc bona alienare potest? Patrimonium potest, domanialia & quæ ad ærarium pertinent non potest, quia hic nullum dominium habet, quod possit in alium transferre.

Immo ne populus quidem alienare potest domania, quia principi est jus in illis quæsitum: quum tamen possit populus de ærario disponere, in quo tanto plus juris habet populus, quanto minus princeps habet.

Et hinc jus illud nascitur revocandi domania, nulla obstante præscriptione, quod sæpe familias graviter affligit.

§. 12.

Monet jam Grotius, non confundenda esse patrimonia cum iis, quæ in fructu sunt. Nam e. g. metalli fodinæ sunt in fructu, quia sunt domanium, & hinc a principe alie-

alienari nequeunt; aut pecunia, quæ inde redit, est in dominio & patrimonio Principis, & potest hic de ea pro lubitu disponere. Quod exemplum clarius rem illustrat, quam quæ adduxit Grotius.

§. 13.

Redit auctor ad oppignorationem, & quum antea docuerit, eam fieri non posse a Principe, sine consensu populi: jam limitationem addit nisi Princeps plenum habeat & absolutum Imperium.

Nimirum in hujusmodi principalibus & regiis aliquando contingit, ut tributa ob necessitatem publicam non possint tam celeriter colligi. Hinc Princeps pecuniam mutuat sumit, & aliqua bona publica vel domanialia oppignorat: quæ postea populus luere tenetur. An id fieri potest? Omnino. Nam proinde est, siue subditi tributa inferant in ærarium, siue iis luant bona oppignorata.

§. 14.

Reliqua est posterior pars capituli de testamentis. Nam & hic facto hominis dominium ab uno ad alterum transfertur. Hic queritur

1) Quid sit testamentum. Est alienatio rei conditionalis & revocabilis, retenta interim possessione & plenissimo fruendi jure. Ita Grotius, sed falso. Definitio enim meras continet contradictiones. Alienatio est translatio domini. Aut testamentum non transfert dominium, quamdiu testator vivit. Immo se invicem tollunt alienatio, & revocabilitas, alienatio, & nullius juris

in heredem translatio. Falsum quoque est, testatorem sibi retinere tantum possessionem & jus fruendi. Retinet enim ipsum dominium plenissimum, quia non possidet nomine heredis, sed suo, & habet præterea jus vindicandi rem ab unoquoque, etiam ab ipso herede. Quis autem dixerit possessorem vindicare rem posse?

Hinc rectius dixeris, testamentum esse ultimam voluntatem de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. Jure civili hæc definitio non sufficeret. Sufficit tamen, si abstrahas a jure civili.

2) An juris naturæ sit testamentum? Adfirmat Grotius, quia liceat unicuique alienare sub conditione, revocabiliter. Sed hunc ejus conceptum jam destruximus. Nam 1) testamentum demum valet, quum jam velle amplius nequit testator. Id tam inconcinnum est, ut voluntas nostra incipiat, postquam velle desimus, id est, postquam non volumus. 2) Nullum potest reperiri fundamentum obligationis ex jure naturæ tantum, cur mortui voluntati parere teneamur. 3) Absurdum est leges de successione ab intestato tolli voluntate privati, maxime quum 4) pleraque testamenta ex invidia, odio & aliis vitiis orientur.

Ergo jure N. tunc valida videntur testamenta, si quis vivus transfert dominium rerum suarum vel possessionem. Sed tunc testamentum non erit irrevocabile.

n. 2. 3) An & exteri testentur? Recte Grotius hujusmodi prohibitionem ex jure civ. esse ait. Sed tamen non sequitur, si jure civi.

Derivativa factio Hominis, Gr. 333

civili exteri non possunt testari, id posse eos facere jure naturæ, quia jam ostendimus, non absolute testamentifactionem esse juris naturæ.

Ergo hypotheticè respondendum erit. Posito enim testamentifactionem esse juris naturæ, & quatenus est juri naturæ consentanea, eatenus nulla est jure nat. inter cives & peregrinos differentia, & testamentifactio his æque ac illis concedenda.

C A P U T VII.

De Acquisitione derivativa, qua fit per Legem, ubi de Successione ab intestato.

§. I.

Adquiritur aliquid vel factio hominis, vel factio legis. Lex vel naturæ & gentium est, vel civilis.

Jam de lege civili non agitur 1) quia modi fere infiniti sunt, variarum gentium legibus variis introducti. 2) Quia & modi quidam acquirendi civiles injusti sint, veluti bona naufragorum colligendi jus, quod multæ gentes sibi vindicant.

Hoc jus defenditur alioquin his argumentis:

1) Quod mare sit sub imperio Pp. ergo & bona naufragorum tanquam accessorium

P 2 ma-

maris facta. Resp. Eodem modo colliges: Metalli fodinæ sunt Principis. Ergo si annulus incidit in hanc cavernam, ille fit Principis, si annulus meus incidit in fontem Titii, fit Titii. Quasi pro accessorio fit habendum, quod nec natura, nec industria hom. rei accedit.

2) Res pro derelictis habitæ sunt nullius: cedunt ergo occupanti. Resp. Si nullius sunt, quidni cedunt omnibus, sed fisco? cur ipsi domino rem suam occupanti eripiuntur a fisco? Et quis unquam audit rem pro derelicta haberi, quam velim inter res meas habere?

3) Equum est, has res pro defensione maris cedere fisco. Resp. Immo iniquum est, a miseris exigere præmium vel mercedem, & non potius ab illis, quibus defensio profuit.

S. 2.

n. 1. Porro lege nat. & gent. dupliciter adquirimus, vel expletione juris, vel successione ab intestato.

Expletio juris est jus accipiendi & sibi vindicandi aliquid alienum, pro eo, quod sibi debetur. Id non uno modo fieri solet, veluti.

1) Privata auctoritate, a) per retentionis jus, e. g. Titius mihi debet 100. commodavit mihi libros magni pretii, ego hos libros nego me redditurum, donec satisfecerit. Et hoc modo defendunt exemplum: Israelitarum, vasa aurea & argentea Ægyptiorum pro mercede operarum debita retinen-

inentium. Vide locum TERTULL. l. 2. *adv. Marcion. in nosa allegatum.*

b) Per pignoris captionem. Sic e. gr. moribus obtinet tantum non ubique, ut si hominem vel quadrupedem damnus dantem in meo deprehendam, tunc pignus capere possim, idque judici offerre, tam diu retinendum, quoad mihi fuerit satisfactum.

2) Publica auctoritate a) per arrestum si debitoris mei res jussu judicis retineantur, donec mihi fuerit satisfactum. b) Per repressalias, si gens nobis vel nostris subditis satisfactionem denegat, & nos subditorum alienorum rebus & bonis tam diu manus injicimus, donec fuerit satisfactum.

Sed quæritur, an licita sit hujusmodi juris expletio? Resp. affirm. sed certis casibus. n. 2.

1) Si aliter rem recuperare non facile possim; e. g. si debitor in fuga sit, vel in provincia remotiore habitet, quis enim tunc vitio vertat, si jure relationis vel arresti utamur?

2) Si alias incerta foret probatio e. g. Si boves agrum meum depascentes deprehendo, eosque abigo, & deinde conqueror, vicini boves mihi damnus dedisse: negabit hic, boves suos fuisse: quis ergo vitio mihi vertet, si pignus ceperim?

3) Si plane a iudicibus nullum auxilium sperandum, e. gr. si exteri iudices nobis denegent justitiam, tunc enim locum habent repressaliæ, de quibus infra.

Ratio una omnium horum jurisum,

P 3 quia

quia quemadmodum mihi jus privatæ defensionis reviviscit, ubi iudicis non est copia, ita eodem modo & jus privatæ satisfactionis, si a iudice nihil spei.

§. 3.

Alter modus acquirendi ex facto legis est **SUCCESSIO AB INTESTATO**, eaque vel privatorum §. 3. 11. vel imperantium §. 12. ad fin.

Primo quæritur, quodnam sit successionis ab intestato fundamentum?

Si omnes leges civitatum variarum inter se comparamus, in successione ab intestato duplicem earum finem deprehendimus. Alii enim populi ad familias earumque conservationem respexerunt, uti veteres Romani: unde non succedebant emancipati, non cognati, sed soli liberi sui, & his deficientibus, agnati: Quia ex L. Voconia ne filiarum quidem & agnatæ admittebantur. Ita & apud Israelitas filiis tota hereditas cedebat, filiabus sola dos debebatur. Vid. Ill. BYNKERSHOEK *Obs. lib. 2. cap. 1.* SELDEN. *de Success. Ebr. cap. 1.*

Alii populi successionem ab intestato referrebant ad voluntatem defuncti præsumptam. Unusquisque enim præsumitur res suas ei relinquere velle, quem habuit charissimum. Aut enim res voluit nullius esse, aut fisci vel ærarii aut iis obtingere, quos duce natura maximi fecit. Atqui primum absurdum, sic enim cederent occupanti, adeoque nemo per vitam sciret, annon inimico, annon stulto adquirat. Secundum absurdius. Sic enim fiscus postremo solus omnia oc-

cu-

cuparet, E. præsumtio est, relicta illa bona voluisse defunctum illis, quos habuerit charissimos. Et hoc fundamentum videtur J. N. & G.

Si ergo porro quæras, quos habere videamur charissimos: experientia docet, amorem descendere, si non habeat, quo descendat, tunc adscendere, si nec adscendere possit, ad latus divergere. Ergo successio 1) est descendentium, 2) his deficientibus adscendentium, ac denique 3) nec his superstitionibus collateralium.

§. 4.

Prima ergo & præcipua est successio liberorum vel descendentium. Hujus successio-n. r. nis fundamentum Grotius constituit in obligatione ad alendos liberos: sed perpetuam. Nam colligi non potest: Parentes liberis debent alimenta: ergo & bonorum partem debent. Ita enim succederent tantum parentibus liberi infantes impuberes & minores, non adulti, & majores, nec hi tantumdem sibi capere possent, quam illi. Immo agnati sic plane non succederent. Accedit, quod potius in contrarium argumentari liceat, parentes jam alimentorum onere premuntur, ergo non imponendum illis novum onus liberis relinquendi bona. Ergo potius verum fundamentum est, quod §. antecedente exposuimus, nempe, quod amor descendit. Elegans ea de re est locus ARISTOTEL. *Ethic. lib. 8. cap. 12. Magis adficitur causa gignens erga genitum, quam genitum erga gignentem. Nam quod ex aliquo ortum est, id ei quasi proprium est.* Post hos

338 *Lib. II. Cap. VII. De Acquisitione
autem magnum momentum situm in eodem
sanguine & eadem radice.*

Sed rem tamen expendemus. Quærit Grotius, an parentes alimenta debeant liberis? Negant alii, alii adfirmant. Grotius utrosque conciliare conatur distinguendo inter obligationem perfectam, vel justitiam explettricem, & imperfectam, seu attributricem. Non priore, sed posteriore parentes obstringi ad alimenta præbenda putat.

Verum videtur omnino obligatio perfecta esse. Idque probo 1) a fine Dei, qui dum liberos imbecilles & sui ipsius incuriosos creavit, voluit eos ab aliis alere: dumque parentibus tam tenerum eorum amorem inseruit, præcise voluit, ut a parentibus alerentur. Quod vero voluit Deus id pro lege Nat. est: adeoque alendi obligatio, ex lege est, & proinde perfecta.

2) Ex effectu. Ita enim argumentor: Si obligatio ad alendum tantum imperfecta esset, nemo posset puniri, si ea infanti denegaret, eumque perire fame pateretur. At puniri potest. Est E. alimentorum obligatio perfecta.

n. 2. Idem Grotius illustrat instinctu illo naturali brutorum. Nullum enim est animal quod pullos non alit eoque factim, donec ipsi sibi offulas quærere possint. Quamvis itaque bruta id non faciant ex lege, vel obligatione interna, sed ex naturali instinctu: certe tamen inde licet argumentari.

Si ex hoc instinctu naturali patet, Deum velle, ut bruta alant pullos: multo magis

derivativa, quæ fit per Legem, &c. 339

magis ex amore hominibus infito sequitur, ut parentes alant liberos.

Quærit porro, quid de liberis ex damnato coitu natis sentiendum? an & illi alendi?

Alii illos vetat JUSTINIANUS N. 89. c. 15. Quod absurdum plerisque videtur. Nam quum penes illos nulla culpa sit, sed penes parentes: quo jure poena illis irrogabitur, & tam dura quidem, ut fame pereant?

Sed quidquid sit de verbis Justiniani durissimis: sane ejus sententia tam dura non fuit. Voluit enim, ut alimenta acciperent non civilia, secundum parentum conditionem, sed naturalia & necessaria, quæ sufficiant vitæ conservandæ. Alii aliter.

Nobis sufficit, quod ex J. N. certissimum sit, hos quoque liberos alendos. Hæc enim obligatio est ex conditione liberorum sibi alendis non sufficiente. Quum ipsi se alere nequeant, ab aliis secundum intentionem Dei alendi. Sed a quo? In liberis justis & legitimis hoc ipsum ostendit instinctus parentum naturalis: idemque adest erga liberos illegitimos. Si vero in parentibus supprimatur, aut in odium mutetur, & inde est, quod parentes ex damnato hujusmodi coitu metuant poenam. Sufficit, ergo parentes esse liberorum hujusmodi causam. Gignens vero causa semper erga genitum adficitur, uti paullo ante ex egregio loco Aristotelis vidimus.

Denique & liberos ulteriorum graduum alendos recte observat Grosius. Dum R. 4.

P 5 vero

vero id Justiniani testimonio probat ex L. ult. C. de bon. quæ lib. quippe qui hoc propter ipsam naturam fieri oportere ait, rem non satis demonstravit. Nostrum fundamentum est solidius. Amor descendit, & quo magis descendit, eo flagrantior esse solet. Unde magis plerumque nepotes amant avi, quam liberos parentes. Ergo ex hoc ipso instinctu naturali recte colligas, eos, si parentes præmortui sint, ad alendos illos abstrictos esse.

§. 5.

B. I. Jam de parentibus. De iis concedit Grotius, quod sint alendi, sed non putat tantam esse obligationem quam superiorem, additque rationem, quia liberi in hoc mundi theatrum prodeuntes nihil secum adferant: parentes jam aliquid lucrari potuerint.

Nos ita dicimus. Obligationem æque perfectam esse liberorum, alendi parentes, quam parentum alendi liberos: quum enim illa solo instinctu naturali nitatur, huic accedit & alia causa, nempe gratitudo. Liberi enim simile beneficium a parentibus acceperunt. Immo ex regula justii concludi potest. Liberi inopes & rerum omnium indigi noluerunt negligi a parentibus, ergo nec hi negligendi a liberis. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Sed in eo est differentia, quod quum obligatio parentum sit ordinaria & absoluta, quia liberi alimentis semper indigent, liberi obligentur extra ordinem & hypothetice: si sc. parentes sint inopes.

Hinc jam quarit Grotius, an & parentes

tes ab intestato succedant? Negat Grotius, & magnam dicit differentiam inter parentum liberorumque successionem.

Has ait succedere ipso jure naturæ: ad eō ut Apostolus ex ipsa ratione arguat: *Si estis liberi, eritis etiam heredes*, & Paulus in *L. cum ratio ff. de bon. damn.* id ex lege & ratione naturali derivat, quod succedant liberi.

Sed dupliciter hic videtur peccare Grotius, 1) quod principium suum deserit. Liberi succedunt parentibus, quia ab his alendi. Parentes non succedunt, quum tamen alendi. Ergo aut principium Grotianum falsum erit, aut conclusio, aut utrumque.

II. Quod negat parentes succedere liberis naturali jure. Quum enim totius successionis fundamentum, ut supra dictum, sit amor præsumtus, liberis vero non existentibus, neminem magis amare præsumamur quam parentes: hos quoque liberis deficientibus succedere æquum est. Verba Pauli Apostoli interpretanda de ordine naturæ, secundum quem parentes liberis non deberent esse superstites.

§. 6.

Vidimus hactenus succedere liberos, & his deficientibus parentes. Liberi sunt vel primi vel ulteriorum graduum. Quæritur itaque an & hi succedunt?

Resp. distinguendum, an nepotum parentes adhuc superstites sint, nec ne. Si superstites sunt: ipsi nepotes per regulas rectæ rationis non admittentur, quia ipsi

jam per parentes heredes fiunt. Si parentes præmortui, merito admittuntur, quia tunc æque amantur ab avis ac ipsi liberi. Immo avi liberorum suorum veluti imaginem in nepotibus intuentur, & sic eodem loco sunt apud avos, quo parentes eorum adhuc vivi fuerunt.

Ex quo simul recte colligas, nepotes tantumdem accipere ex hereditate avita, quantum accepturi fuissent parentes eorum si vixissent. Unde omnes leges agnoscunt nepotes non succedere in capita, sed in stirpes jure repræsentationis.

§. 7.

Sed hæc regulæ: sequuntur exceptiones. Prima est, si parentes vel abdicent, vel exheredent liberos. Abdicatio erat, quando quis liberos male feriatos ex conspectu suo abire & suo nomine non appellari jubebat. Exhereditatio, quando liberi quidem in potestate manent, sed solemniter testamento exheredes fiunt. Illa Græcis, hæc Romanis notior.

Facta hac abdicatione vel exheredatione expirat jus succedendi. Nam succedunt liberi ex præsumpta voluntate parentum: quia hi illos maxime diligere præsumuntur. Atqui præsumptio semper cedit veritati, quæ tunc adest, si declarant parentes, se liberos nec amore nec successione dignos judicare.

Ex quo tamen simul patet, 1) nec abdicationem nec exheredationem valere tacitam, quia parentes injuriarum oblivisci potuerunt. 2) Eandem factam esse debere

derivativa qua fit per Legem, &c. 343
ex justa causa, ob ingratitude, quod
& Justinianus merito jussit observari, quum
olim liberi pro lubitu, & sæpe sine ra-
tione in gratiam novercæ exheredes scri-
berentur.

§. 8.

Altera exceptio est. Si liberi sint incer-
tæ originis. Nam tunc denuo cessat præ-
sumptio voluntatis parentum, quippe qui
ignorantur. n. 2.

Equidem de matre raro nasci potest du-
bitatio: sed de patre tanto frequentius na-
scitur. Elegans est locus Menandri a Gro-
tio eam in rem adductus.

Sed quia sæpe pater æque nescit, se pa-
rentem non esse, ac, se esse: immo sæpe pa-
tres zelotypiæ œstro perciti uxoris pudicitiam
sine ratione in dubium vocant: hinc leges
civiles plerumque non testimonium patris
sequuntur, sed præsumptiones urgentes. Hinc
regulæ: Pater est, quem justæ nuptiæ de-
monstrant. Qui concubitus fassus est cum
muliere, is tenetur infantem alere, &c.

In historia ducis d' Ossuna, Hispani in-
geniosi & acuti legimus, ad eum, quum
regno Neapolitano Pro Rege præesset, venisse
patrem, & rogasse, ut sibi liceret liberos ex
uxore natos abdicare, quia dubitet se patrem
esse. Uxor pudica & honesta vocata ad Pro-
Regem, adseverabat, liberos esse patris, quia
quotidie eodem secum in stulo utatur, nec un-
quam potuerit vel in suspicionem se adduce-
re. Pater hæc omnia fatebatur, sed negabat
tamen se certum esse, quia liberi non referant
faciem suam, uxorem quoque esse formo-
sam,

fam, & hinc periculo insidiarum expositam. Pro-Rex quum videret, hominem Zelotypia insanire: quærebat ex eo, an acquieturus sit, si ei demonstraret, quod liberi non alterius sint, quem ejus. Affirmante hoc, pergebat: An tu fateris, liberos tuos esse uxoris? Fateor, inquit. Jam tibi uxori præcipio, ut liberos huic solemniter dones. Faciam, inquit hæc. Ergo jam certissime, inquit Pro-Rex, tui sunt. Lepida & jocosa decisio, sed quo ostendere voluit Pro-Rex, non posse circa hanc quæstionem omnia ad vivum refecari, sed standum esse præsumtionibus.

n. 2. Tertia exceptio est in liberis naturalibus, per quos non intelliguntur spurii, quorum parens incertus, nec ex damnato coitu nati, veluti adulterini, incestuosi, sed ex concubina editi.

Hi ex ipso jure civili succedunt matri: patri non item, nisi ex jure novissimo in sextante una cum matre, si adhuc exstat.

Sed quum supra demonstratum sit, inter nuptias & concubinatum J. N. nihil esse differentia, facile patet, nec hanc prohibitionem ex J. M. sed ex jure civili esse. J. N. naturales æque succedunt ac legitimi, quia nuptia nihil conferunt ad instinctum illum & amorem a natura impressum.

Quarta exceptio est ex pacto, si ineatur concubinatus vel matrimonium ad morganaticam, ea lege, ut liberi non succedant, sed certa bonorum portione contenti sint. Tales conjunctiones frequentissimæ apud

Ro-

Romanos, Ebræos, Germanos, Brabantos, de quorum jure devolutionis supra dictum.

Quæritur autem, an hujusmodi pacta non repugnent J. N. quum liberis auferant jus successionis? Resp. neg. Nam fundamentum succedendi non aliud est, quam præsumta parentum voluntas, petita ex amore liberorum insigni. Præsumptio autem cedit veritati, id est, voluntati expressæ, pactis declaratæ.

Quia tamen abusus harum conjunctionum non levis esse potest: hinc jure civili saltim privatis plerisque locis interduntur.

§. 9.

Post liberos & parentes, vel his potius ^{n. 1.} non exstantibus vocantur proximi collaterales.

Quum autem hi duorum generum sint, agnati, a patre, & cognati a matre conjuncti: quæritur qui præferantur?

Notum est, veteres Rom. agnatos solos admisisse: sero prætorem cognatos vocasse ex edicto, unde cognati. Novum jus inter agnatos & cognatos nihil statuit discriminis, sed ad solam proximitatem gradus respicit. Denique aliæ gentes respiciunt ad originem bonorum, & in paternis præferunt agnatos, in noviter acquisitis utrosque simul admittunt.

Jam si quæras, quodnam jus rationi, id est J. N. quam maxime sit consentaneum? Grotio postrema sententia placet.

Id probat 1) ex præsumta defuncti voluntate.

luntate, qui censetur voluisse, ut bona eo redeant, unde venerint.

2. 2. 3. 4

2) Ex lege gratitudinis. Ea nihil æquius. Quum itaque defunctus beneficium acceperit a majoribus vel paternis vel maternis: sequitur, ut obligatus sit ad gratitudinem, adeoque bona paterna illorum; materna horum posteris relinquere teneatur. Defunctis enim gratia referri non potest, nisi in eorum liberis.

Id quod porro illustrat Grotius exemplo juris Romani, quod olim fratres consanguineos in paternis, uterinos in maternis bonis prætulit, & deinde concludit, si non existent eorum posteris, a quibus bona ad nos prætulit, & deinde concludit, si non existent eorum posteris, a quibus bona ad nos pervenirent, tunc proximitatem gradus spectandam.

Hæc est doctrina Grotii, sed non extra omnem dubitationis aleam posita, & hinc nec ab omnibus admissa, plerique enim naturalissimam putant successionem, quæ ad solam gradus proximitatem respicit. Idque probant 1) ex præsumpta voluntate defuncti, quæ non alio nititur fundamento, quam proximitate gradus, quæ in cognatis ac agnatis eadem est. 2) Quia hæc dispositio fere locum habeat in immobilibus: in pecunia enim aliisque mobilibus sæpe admodum dubium est, unde ea pervenerint, quum tamen hic de successione omnium bonorum questio sit.

Ad argumenta Grotii facile respondetur.

1.) Ad primum. Non præsumitur defunctus

Etus voluisse, ut quos æque amet, ii inæqualiter succedant. 2) Gratitude debemus defunctorum posteris, sed non præcise, ut succedant: a genere ad speciem gratitudinis non valet consequentia. Ita unius cujusque benefactoris liberi prætere possent successionem in bonis clientis.

§. 10.

Jam de bonis noviter quaesitis, quæ communia agnatorum cognatorumque esse fatetur Grotius. Recte, nam 1) fundamentum successionis est, ut bona habeat, quem defunctus habuisse censetur charissimum, is vero proximus est gradu. n. 1. 2.

2) Successio, veluti tacitum testamentum est, uti enim in expresso testamento quos amamus, & maxime honoramus: ita & tacite heredes instituere videmur, qui nobis sunt charissimi.

Possent objici, sæpe hanc præsumptionem fallacem esse, nam quum fratrum quoque gratia rara sit: multo rarior cognatorum esse solet. Sed resp. Præsumptioni tamdiu locus est, donec aliud probetur. Amor est internus, nec potest, nisi signis externis declarari: quod quum non fecerit defunctus, standum est præsumptioni.

§. 11.

Quærit porro A. quum hic ordo successionis sit J. N. cur tam sæpe legibus civilibus mutetur? n. 1.

Resp. quia hæc leges 1) sunt J. N. permissivi non præceptivi, hujusmodi autem leges

348 *Lib. II. Cap. VII. De Acquisitione*
leges possunt attemperari statui reip. possunt mutari pactis & moribus. Hinc

1) Jure civ. jus representationis valet in fratrum sororumve liberis, jure Sax. non valet.

2) Jure civili fratres germani præferuntur unilateralibus: aliis juribus non præferuntur.

3) Jure civ. non distinguitur ætas & sexus: aliis juribus, veluti Hebræo, præferuntur primogeniti postgenitis, filii filiabus.

In his determinandis multa permittuntur legislatoribus.

n. 2. Jam vero ad alteram capitis partem progreditur Grotius: & uti semper solet prius J. N. proponere, idque deinde adplicare quæstionibus illustribus: ita & hic transit ad jus publicum universale, & quærit, an in successione in principatus & regna singulare quid obtineat.

Recte observat, distinguendum esse, an singulares eam in rem existant leges fundamentales, pacta familiæ, mores & consuetudines, an nihil horum existet. Priore casu valere regulam: *Omnes imperantes in regno probare successionem, quam subditis ipsi præscripserunt: Sed addendum erat: quatenus natura regni non repugnat.* Nam regni naturæ, uti paullo post videbimus repugnat, ut dividatur inter plures ejusdem gradus, quum nihil impediatur, quominus privatorum hereditates dividi possint. Dicendum ergo de hæc successione in regnis paullo accuratius.

Regna vel patrimonialia sunt, vel usufructuaria. In patrimonialibus regnum veluti privati patrimonium consideratur, adeoque imperanti de illo licebit pro lubitu disponere, non requisito populi consensu.

Ratio ex ipsa natura domini accessenda. Domini enim ea vis est, ut possit dominus de re sua disponere. Hinc sequitur.

1) Ut dividi possit etiam in partes minimas. Quum Reges Hispaniæ Mauris sensim expulsis Regnum sibi patrimoniale constituissent, non dubitarunt illud dividere pro lubitu. Sic sæpe uno tempore florebant Reges Portug. Algorthiæ, Legionis, Castiliæ, Arragoniæ, Navarrae, & hi iterum aliquando regna dividebant in partes minimas.

2) Ut feminæ & excludi possint & admitti ab imperante. E. g. In Russia adsunt filia Principis, nulli filii. Si voluerit Imp. filia excludentur, & admittetur nepos: si voluerit, etiam hic excludet filias.

3. Ut & adoptivi succedant. Hinc primi Rom. Imp. Imperium armis quæsitum considerabant tanquam patrimonium, & ideo etiam adoptivi vocabantur. Immo certum est, Imperatores de novo electos dici solitos Cæsares, Flavios, Antoninos, tantum ut per adoptionem transisse in hæc regnatrices familias viderentur.

4) Ut & nothi admittantur. Luculentum est exemplum Alphonsi Regis Arragoniæ, qui Neapolim, tanquam regnum armis Arragonum quæsitum Ferdinando Notho concessit.

5) Ut

5) Ut & extraneus, a primo acquirente sanguinem haud trahens, voluntate Imperantis succedat. E. g. in Russia jam ante aliquot annos jurarunt subditi, se quemque Imperator successorem dicturus sit, eum sine contradictione recepturos.

§. 13.

Quid autem si Imperans de regno non disposuerit? Tunc eam successionis rationem probasse videtur, quam regni natura fert. Hinc

1) Regnum non dividitur. Præsumitur enim rex statum reip. etiam in subditis probasse, quem probavit in se ipso: maxime quum divisio illa & reges impotentes reddat, & ipsi regno periculosa videatur.

2) Masculi excludunt feminas ejusdem gradus, immo & propiores, si per legem fundamentalem feminæ imperare nequeant. Quum enim ad regnandum requiratur constantia, & animi, magnitudo, quæ raro cadit in feminas, sequitur, ut ex non admittantur, nisi in subsidium, & si leges fundamentales permittant. Hinc quamvis Russia sit regnum patrimoniale, feminæ tamen non succedunt, quoad masculi adsunt: & in Turcico Imperio feminæ plane excluduntur, quamvis regnum prorsus sit patrimoniale.

3) Jus primogenituræ valet. Quum enim regnum dividi nequeat per Thes. 1. nec feminæ admittantur, quoad masculi adsint, per Thes. 2. & tamen omnes filii sint ratione originis ejusdem conditionis: sequitur, ut inter eos differentiam facere debeat

beat ætas, adeoque primogenitus masculus reliquo excludat.

Attamen postgenitis assignanda est pecuniæ summa, vel prædia danda sunt, unde commode possent vivere, quemadmodum & filiabus dos debetur. Hæc bona vel pars terræ si ita dentur, ut possessor simul regalia, sed sub Principe regnante exerceat, vocatur PARAGIUM. Sin ex prædiis tantum reditus capit, nulla autem jura majestatis exerceat, vocatur APPANAGIUM, a pane, quem inde habent. Sic duces Burgundiæ olim erant in Ducatu & Comitatu Burgundiæ *paragiati*; ast fratres Electoris Hannoverani sunt *appanagiati*; Vid. SCHILTERI & THOMASII *dissertationes de differentia paragiorum & appanagiorum*.

Ex quo simul patet, injustissimum esse Turcarum & aliarum gentium orientalium institutum, dum post genitos vel trucidant, vel oculis privant, vel perpetuo carceri mancipant, ne turbas dent in republ. Necessitate se excusant, sed frustra, quum regnorum Europæorum facies ostendat, posse & sine his artibus tyrannicis postgenitos in officio contineri.

S. 14.

Hactenus de regnis patrimonialibus. Quid de usufructuariis? an & ibi imperans potest de regnis disponere? Negatur: quia disponit solus dominus, qualis non est Rex usufructuarius. Hinc recte ab Austriaca domo impugnatum est testamentum Regis Hispaniæ Caroli II. quia regnum Hisp. a linea Austriaca non fuit bello quæsitum, sed

sed matrimonio. Vid. *BUDDÆI selecta J. N. & G. ubi binæ dissertationes de testamento regis, & imprimis Caroli II. Opposuit priori OBRICHTUS Jctus Argentoratensis Excerpta Historica juridica: sed quibus altera dissertatione ita satisfacit Buddeus, ut causam perorarit.*

Potest tamen fieri, ut populus hujusmodi regi facultatem de regno disponendi ultro permittat: & tunc recte & jure disponit. Recentissima hanc in rem sunt bina exempla reginarum, alterum Elisabethæ Reginæ Angliæ, quam sæpe rogaverat parlamentum, ut successorem sibi nominaret: alterum Christinæ Reginæ Sveciæ, cui eandem facultatem fecerant Sveciæ ordines. Illa ex causis politicis ea potestate uti noluit, ne turbæ darentur, se viva, hæc autem usa est, & nominato sibi successore Carolo Gustavo, comite Palatino, in Italiam secessit. Vid. *BUFFOND. Hist. Regni Sveciæ.*

Quid vero si nihil hujusmodi factum? Tunc observanda regula: Successio deferatur ex præsumta populi voluntate. Quumque populus eam eligere censeatur succedendi rationem, quæ sit utilissima reipublicæ: sequuntur inde aliquot regulæ, quas hoc & sequentibus §§. explicat Grotius.

Regula I. Regnum esto individuum. Nihil enim & regibus & populo divisione regni molestius. Regibus, quia plerumque de finibus oriuntur controversiæ, ceu exempla filiorum Constantini M. & Ludovici Pii docent. Populo, quia sic regni potentia imminuta, singulæ partes facilius opprimun-

muntur, ceu apparet exemplo veterum Anglo-Saxonum, a Danis & Normannis oppressorum.

§. 15.

Regula II. Successio stat inter eos, qui descendunt a primo acquirente. Præsumitur enim 1) populus eam familiam regnatricem elegisse, non aliam. 2) Agnati a primo acquirente non descendentes nec jure hereditario possunt succedere, nec titulo singulari. Non titulo singulari, quia non eliguntur a populo: nec universali, quia a majoribus in eos nihil juris transfusum. Ergo plane non succedunt.

Hinc quamvis magnæ Britanniae Rex hodiernus sit ex domo Brunsvicensi & Luneburgensi, tamen extincta ejus posteritate regnum non devolveretur in agnatos Guelpherbitanos, quamvis & ipsi sint Duces Brunsvicenses: quia non descendunt a Sophia Electrice, matre Regis hodierni tanquam primo acquirente.

§. 16.

Reg. III. Non succedunt extra legitimum matrimonium nati. 1) Nam nothos origo contemptos reddit &c. 2) Non satis certæ originis sunt, quam concubinis & pellicibus parum fidei & honestatis inesse soleat. Hinc tempore Jacobi II. Stuarti capitis damnatus, Dux Monmouthanus, quod regnum adfectasset, quum esset filius nothus Caroli II.

Solent hujusmodi nothi vel patris titulum gentilicium retinere, vel novo indui, ita tamen ut priore casu dignitate differant.

Sic

Sic nothus Caroli V. dictus Joannes de Austria, non Archidux Austriae. Antonius spurius Burgundiae Ducis Philippi Boni, dictus est Antonius Bastardus de Burgundia, non Dux Burgundiae. Hodie nothus Regis Poloniae dicitur Comte de Saxe. Ast in Gallia plerumque novo Ducatu vel comitatu honorantur, e. g. Duc de Maine, Comte de Thoulouse. Ast successionis incapaces sunt prorsus.

§. 17.

Regula IV. Masculi praefertur feminis: Ea regula non tantum valet in Regnis: ubi feminae per leges fundamentales plane excluduntur: verum etiam ubi admittuntur. Exstante enim masculo ejusdem gradus, femina non admittitur. Sic in Britannia non admittebatur Maria & Elisabetha, filiae Henrici VIII: quamvis essent natu majores, quamdiu viveret Eduardus filius, quantumvis impubes.

Ratio est, quia & 1) constantia major esse solet in masculis, & 2) fortitudo peritiaeque gerendi belli major, & 3) minus etiam periculum, ne per matrimonium regnum ad exteros devolvatur.

§. 18.

n. 1. Reg. V. Natu maximus vel maxima antefertur postgenitis. Rationes sunt 1) quia reip. utilitas exigat, ne regnum dividatur, 2) quia inter pares nulla potest esse, nisi aetatis praerogativa.

-Est autem jus primogeniturae triplex, aut enim invecum 1) lege publica, quemadmodum in Germania inter Electores

sa-

seculares Aurea Bulla, aut 2) ex jure naturæ, ob præsumtam populi voluntatem, uti in regnis plerisque, aut 3) pactis familiaræ, uti inter principes quosdam Germ. Et hæc locum habet, si antea jus contrarium invaluerat. Tunc vero nihil fieri potest, sine omnium, qui familiaræ pars sunt, consensu, quia illis jam jus quæsitum est.

Ceterum facile adparet, non esse jus primogenituræ J. N. absoluti, (nam sic injusta esset electio & divisio,) sed permissivi, & suaverii, ut ita dicamus. Unde nec peccavit populus Francorum, qui Ludovico Pio divisionem regni inter tres filios concessit. Conf. BUDD. *Diff. de jure primog. in Select. J. N. & G. p. 151. seq.*

Quæritur autem, an & jus representationis locum habeat circa jus primogenituræ. Sæpe enim contingit, ut extincto ante patrem filio primogenito, & nepotes ex illo, & ejusdem fratres. Quinam præferuntur? Resp. Nepos primog. ex filio primog. excludit filium secundogenitum, jure representationis. Ratio est, quia jus primogenito semel quæsitum, ad omnes ejus posteros transit, jure hereditario, nec fratribus prius jus aliquod reviviscit, quam extincta linea primogeniti.

Idem obtinet, quamvis primogenitus juri suo renunciaverit. Nam posteris hoc nihil præjudicat, quia renunciatio hæc fit in favorem fratris, non in favorem posterorum ejus. Fridrici I. El. Brandeb. filius Johannes suavis patris renunciabat juri suo, idque

Hein. de Jure Belli, &c. Q. trans-

n. 2.

356 *Lib. II. Cap. VII. De Acquisitione*
transferebat in fratrem. Si Joannes reli-
quisset posteros, nihil ipsis obstitisset, quo-
minus jus suum repetere possent.

§. 19.

Quærit porro A. an regnum sit pars
hereditatis? Idque adfirmat, sed addit,
esse separatum quid a reliqua hereditate,
quemadmodum distincta in feudis sit he-
reditas feudi & allodii.

➤ Rationes etiam indicat, cur populi liberi
regna voluerint esse hereditaria: 1) quia
interfuerit imperii, ut imperantibus ex ipso
sanguine auctoritas accederet. Facile enim
contemnantur homines novi regno admoti,
veluti Mich. Wisnovvicki rex Poloniae. Et
inde est, quod veteres reges originem ad
Deos referrent.

2) Ut eo commodior esset educatio.
Facilius enim artes regnatrices addiscunt,
inter sceptrum & purpuram educati, quam
qui a stiva ad imperium trahuntur.

3) Ut regnum eo carius haberent, quod
suum esse scirent. Non enim abs re obser-
vavit BARCLAJUS *in Leone animorum*, raro
reges electorios magnam curam gerere reip.
& opibus corradendis magis intentos esse
solere, quam populi saluti.

Sed quamvis hæc vera esse possint, (ali-
quando enim res aliter se habet, nec te-
mere dixit Ol. Cromvvelus, principum li-
beros nescire imperare;) falsum tamen est,
regnum hereditarium esse partem heredita-
tis. Loquitur enim Grotius de regnis usu-
fructuariis. Quis autem dixerit, usufructua-
rium esse heredem rei usufructuarie, si vel

maxi-

derivativa, qua fit per Legem, Or. 317
maxime testamento cautum esset, ut usufructus ad filium transfiret?

Quare paullo incautius Grotius confundit jus succedendi in regno, & ipsum regnum. Quemadmodum jus utendi fruendi potest ad heredem devolvi, si velit testator, sed non ipsa res, ex qua usufr. percipitur: ita & jus succedendi potest esse hereditarium, (unde & filii primogeniti vocantur Cron-Prinzen, Erb-Prinzen:) sed non ipsum regnum usufructuarium.

§. 20. 21.

Ponit porro Grotius casum, si diversa sit successio in feudis & allodiis, & regnum antea successionem probarit, quæ in allodiis servatur, an postea mutetur successio; si regnum fiat feudale? Et recte respondet Grotius, id negandum esse. Regnum enim fit feudale, non ratione successionis, sed ratione nexus clientelaris, & servitorum quorundam domino præstandorum.

Sic e. g. Neapolitanum regnum olim erat patrimoniale, & sic omnes succedere poterant, quos succedere vellet Rex. Postea Papa eo rem redegit, ut feudale fieret, & reges Neap. sibi fidelitatem & servitia quædam, nempe quotannis equum album cum marsupio aureis repleto jurarent. Et tamen circa successionem nihil mutatum. Regnum enim illud etiam ad feminas devolvitur.

Unde aliud obtinet circa regna, quæ semper fuerunt feudalia, quale Bohemicum. Ibi enim successio feudalitatis obtinet, masculique soli succedunt: nisi alii mores feudales

dales in locis illis invaluerint. Quamvis enim jus feudale Longob. sit commune, non valet tamen, nisi in subsidium, quemadmodum ut jus Rom. non valet, si leges provinciales & statuta aliter rem definiverint

§. 22.

247. 2.


Sequitur alia divisio moribus recepta, quæ vocatur linealis, eaque denuo dividitur in cognaticam, seu Castilianam, agnaticam seu Francicam, & mixtam, seu Narbonensem.

Cognatica his regulis constat 1) ut primum vocentur liberi ultimi possessoris primi gradus, tam vivos, quam mortuos, eatenus ut succedant nepotes jure representationis.

2) Ut inter plures primogenitus præferatur postgenitis, masculus feminae.

3) Ut liberis deficientibus succedat proxima linea: ita tamen ut masculina linea femininae præferatur,

4) ut non e linea transitus fiat in aliam lineam. Exemplum dabit Schema:



Hic mortuo Philippo IV. non poterant succedere Galli, quia secundum regulam a) masculus praefertur feminae. Mortuo Carolo II. succedere debuisset Delphinus Galliae, nisi mater & avia renunciaissent una cum patre & avo. Ergo succedere debuissent Leopoldi filius natu major Josephus, eoque renunciante, Carolus Imp. hodiernus. Et linea extincta successio debebatur Sabaudis. His extinctis Parmensibus, nisi omnia turbasset Caroli II. testamentum.

§. 23.

Successio linealis agnatica, vel Franciea est, qua feminae omnes ex usque-nati in perpetuum excluduntur.

Ejus ratio hæc est, quod alias verendum esset, ne per matrimonia regnum ad externos devolveretur, sicuti factum in Hispania, Britannia, Svecia.

Hic quoque, quamdiu adsunt aliqui ex priore linea masculi, non succedent alii ex sequente linea. Sic e. g. in Gallia quamdiu Ludovici XIV. posteritas adest, tamdiu non succedere possunt Duces Aurelianenses. His superstiribus nunquam vocabuntur Burbomi, Condæi, Conti & sic porro.


In his regnis princeps sanguinis regii, quibus ulla spes successionis est, uti solent titulis imperantis, nisi officia personalia complectantur. Sic omnes principes sanguinis regii in Gallia dicuntur Principes Francie, omnes principes appanagiati Austriaci, Archiduces Austrie, & sic porro.

Denique successio linealis Narbonensis est, ubi successioni feminarum locus est; sed non nisi omnibus masculis extinctis. In cognatica quidem feminis præferbantur masculi ejusdem lineæ, in Narbonensi autem masculi omnes etiam diversarum linearum præferuntur. Talis est successio in Principatibus austriacis Brunsvicensibus.

§. 24.

Hi sunt modi præcipui. Nec tamen dubium est, quin & alii inveni possint pro arbitrio gentium, quia, ut sæpe monui, hæc omnia sunt J. N. non absoluti, sed velu-

derivativa, qua fit per Legem, &c. 361
 veluti suavorii, permissivi, &c. Sic alicu-
 bi pares gradu ordine succedunt, & ex-
 cludunt remotiores, ut adeo veluti ætatis
 tantum habeatur ratio, e. g.



Hic ex nominibus adparet, quo ordine
 succedi solent. Talem successionem olim in
 Russia fere obtinuisse, genealogiæ docent.
 Alibi senior familiæ indistincte vocatur.
 Aliquando & alternatio placet, quæ vo-
 cari solet *die Muschirung*, ut fratres in-
 divisim imperent, sed singuli per vices di-
 rigant. Aliquando forti locus est, ut is,
 cui fors favet principatum obtineat, &
 uxorem ducat, reliqui appanagiati & cæli-
 bes maneat, nisi ubi principis conjugium
 sit sterile. Tale pactum avus regis Britan-
 niæ hodierni, Georgius cum fratribus iniit.

§. 25.

Sequuntur adhuc quæstiones quædam,
 quæ ad successionem pertinent: veluti 1)
 An filius a patre possit exheredari? Resp.
 de regnis patrimonialibus, quia in domi-
 nio imperantium sunt, res dubio caret.
 Ast de usufr. id negandum. Unde nemo
 dubitavit, quin Russiæ imp. exheredem fa-

Q 4 cere

cere potuerit filium unicum, si ponas, causam exheredationis justam fuisse. Ast si alii reges id vellent conari: filius nihilominus succederet jure optimo, nisi simul populi lege fuerit exclusus.

Ratio est, quia in regnis usufructuariis liberi non succedunt beneficio patris, sed provisione ipsius legis, quæ eos ad imperium vocat. Hinc supra diximus, regna hujusmodi non esse hereditaria, quamvis jus succedendi sit hereditarium, id est ordinis successionis ab intestato deferatur.

§. 26.

Quæritur II. An regnum possit abdicari? Id facile expeditur.

1) In regnis patrimonialibus quisque est regni dominus. Dominus autem potest juri suo renunciare, eaque renunciatio & liberis nocet, quia hi non nisi beneficio patris succedunt, tanquam heredes. Quod vero quis non habet, id ad heredes transmitti non potest.

2) In usufructuariis distinguendum, utrum jam liberi existant, an post abdicationem & renunciationem nascantur. Priore casu liberis non consentientibus non præjudicat renunciatio patris. Posteriore casu omnino nocet, quia iis jus nullum adhuc quæsitum erat eo tempore, quo pater renunciabat.

Hinc illustris decidenda controversia. Diximus extincto Carolo II. Rege Hisp. succedere debuisse Delphinum, nisi mater renunciasset. Ast objiciebant Galli, matrem quidem pro se renunciare potuisse, sed

derivativa, qua fit per Legem, &c. 363

sed non pro liberis. Recte respondebant Austriaci, verum id esse, si jam liberi existissent, quibus jus quæsitum fuerit: sed eam una cum rege Ludovico XIV. jurato renunciasse, antequam nuptiæ fierent.

§. 27.

Quæritur III. si controversiæ de successione nascantur, quem penes sit decisio? n. 1.

Decisio duplex est: aut enim datur per modum jurisdictionis, aut per modum arbitrii.

Per modum jurisdictionis nec rex nec populus decidere potest has controversias, quia semper qui jus dicit, illud dicit subditis non paribus. Unde & vetus proverbium; De successione regnum judicat Deus & gladius.

Per modum tamen arbitrii omnino ea causa pie permittitur vel regi, vel populo: quia nato bello evitari nequit regni & humani generis clades. Quanquam, si verum fateri velimus, ea opera plerumque frustranea sit, quum corrivales plerumque ad gladios ruant, nec vel rex vel populus exsequutionis gaudeat jure. Exemplum est in Lusitanica historia. Obtruncato in Africa Sebastiano rege, Henricus Cardinalis, senex regnum administrabat, qui quum provide-
n. 2.
ret, se mortuo rem ad arma venturam, corrivales invitabat, ut coram se jure disceptare mallent. Litigatum diu inter Hispanum, Antonium Lusitanum, Sabaudum, sed eo eventu, ut mortuo Henrico Hispanus facile armis sibi jus diceret. Reliquis non jus deerat, sed classes & exercitus.

Q 5

§. 28.

Quæritur IV. An filius in regno natus præferendus sit illis, qui patre adhuc privato suscepti sunt. Vocatur ille græcis *πορφυρογένητος*, & sæpe ea de re disputatum est in regnis fere omnibus. Exempla adduxit Grotius, in quibus memoratu dignissimum est Germanicum, quia quamvis ibi nullum jus successionis, tamen Henricus Rixosus Henrici Aucupis filius præferri volebat fratri Ottoni M. quia hic ante regnum natus sit. Unde bella perpetua.

Grotius recte negat *πορφυρογένητος* ullum jus esse, quamvis ejus ratio nulla sit. Non enim sequitur, succederent liberi ante regnum geniti in regnis dividuis: ergo & succedere debent in individuis. Ab una enim specie ad alteram non valet consequentia. Vera ratio est præsumta voluntas populi, qui dum voluit succedere liberos regia primogenitos, nec distinxit conditionem nascendi, procul dubio voluit, ut & ante regnum genitus succederet.

Exceptiones tamen quædam notandæ.
1) Si lex fundamentalis contraria exster, ut spartz, 2) si regnum vel feudum datum sit regi vel principi, & nascituris.

n. 1. 2. 3.


Quæritur V. an locus sit juri repræsentationis eatenus, ut nepos ex majore filio præferendus sit filio minoris? Sed quæstio jam supra decisa, & plane supervacua est. Aut enim succeditur secundum ordinem ab intestato, tunc res dubio caret, siquidem semper in hoc obtinet jus repræsentationis

in

in linea descendente: aut obtinet successio linealis: tunc non potest transiri e linea in lineam, adeoque frater natu minor succedere nequit, nisi majoris linea extincta, adeoque & hic juri repræsentationis locus est.

§. 31.


Hinc facile reliquæ quæstiones omnes solvuntur, e. g. VI. si superstes sit frater regis minor & alterius majoris fratris filius,



uter præferatur? Resp. utique majoris filius, qui si ordine ab intestato succeditur, jure repræsentationis subit locum parentis: sin linealis est successio, ad fratris minoris lineam transfiliari nequit, quum superfit linea fratris natu majoris.

§. 32.


VII. Rex reliquit fratris filium, & patruum: uter præferatur? Fratris filius, ob eandem rationem. Exceptio est, ubi plane non est locus juri repræsentationis, sed gradus proximitati. Patruus enim gradu par est, uti schemata docent, ergo ætatis vel sexus habenda ratio.



fratris filius.


§. 33.

VIII. An nepos præfertur filia? Utique, quia sexus femininus non nisi in subsidium admittitur: si in linea eadem nullus adsit masculus. Exceptio est, ubi promiscue femina gradu prior admittitur, quod rarissimum.



§. 34.

IX. Rex reliquit minorem nepotem ex filio, majorem ex filia, uter præfertur? Resp. in lineali minor ex filio, in hereditaria major ex filia: ex eadem ratione.




§. 35. 36.

X. Pater reliquit neptim ex filio primogenito, & filium postgenitum, uter succedet?

Resp. Si linealis successio obtinet, neptis præfertur, quia ex una linea non fit transitus in


alteram. Ubi jure hereditario succeditur, neptis est ejusdem conditionis ac filius ob jus repræsentationis, adeoque ob sexus præstantiam ab hoc excludetur. Quod exemplo Arragonico illustrat Grotius.



§. 37.

§. 37.

XI. Rex reliquit ex fratre majore nepotem, ex fratre natu minore nepotem: uter præfertur? Resp. in lineali successione neptis: in hereditaria nepos, quia inter pares præfertur masculus feminæ,



C A P U T VIII.

*De Acquisitionibus, quæ vulgo dicuntur
Juris Gentium.*

§. I.

HÆctenus actum de acquisitionibus J. N. sequuntur illæ, quæ sunt J. G. quamvis is ordo parum accuratus sit. Quamvis enim J. N. & jus gentium non sint diversa, & hinc J. Cti recte modos acquirendi dividant in naturales & civiles: Grotius tamen addit tertiam speciem, acquisitiones J. G. quia ipse, ceu supra docuimus, statuit jus gentium a J. N. diversum.

Quum autem ex ejus mente nulla sit acquisitio J. G. præter eam, quæ per bellum fit, ipse vero eam tractationem referret libro tertio: facile patet, nullum acquirendi modum in hoc capite explicari, qui ex Grotii mente sit juris gentium. Et inde est, quod rubrica se ita habet: **DE ACQUISITIONIBUS, QUÆ VULGO DI-**

368 *Lib. II. Cap. VIII. De Acquisitionibus*
DICUNTUR JURIS GENTIUM. Et re-
vera hic agitur de acquirendi modis J. N.
& quidem

- 1) de speciebus occupationis §. 2. 7.
- 2) de speciebus accessionis §. 8. 24.
- 3) de speciebus traditionis §. 25. 26.

§. 2.

OCCUPATIONIS prima species est I.
captura ferarum, avium, piscium. Ubi 1)
quæritur, an feræ sint res nullius?

Notum est Jctos hic distinguere inter
feras & pisces vivariis inclusos, & in sil-
vis vel stagnis circumvagantes. Illos dicunt
res nullius, hos in dominio esse fatentur.
L. 3. §. 14. de acqu. poss.

Sed dicit Grotius, hodie pleraque gen-
tes & feras in silvis vagantes, & pisces
in stagnis & fluminibus non pro rebus nul-
lius habere, idque ipsi justissimam videtur
habere rationem. Nam

1) pisces in stagno æque includuntur,
ac in vivario, hæcque non differunt tan-
tum ut loxius & angustius.

2) Silvæ etiam possunt esse bene cir-
cumseptæ, eoque casu feræ non magis
erunt in dominio, quam si domi inclu-
dantur. Ita Grotius.

Sed videtur Grotius nervum Jctum in
I. all. non satis intellexisse. Quæstio enim
est an feræ & pisces nostræ dici possint?
Id negant veteres, & dicunt, esse res nul-
lius, adeoque cedere occupanti.

Objici poterat, atqui hæc animalia esse
in silvis & stagnis nostris, adeoque nostra
esse: responderet Jctus, sed tamen non posse
nostra

nostra dici, quia nunquam possessionem eorum adprehenderimus, adeoque ea non occupaverimus. Id vero facile probatur. Possessio deprehenditur corpore & animo. Atqui feras in silvis & pisces in stagno corpore non occupavimus, ergo eas eo-que non possidemus.

Aliud dicendum de feris captis, quas domi vel in horto vel in alio loco clauso habemus: aliud de piscibus in vivario. Hæc enim animalia semel occupavimus animo habendi, ergo eorum possessio vera nobis adquisita.

Interim verum est, hodie aliter philosophari homines, & furti reos esse, etiam qui e stagnis alterius pisces vel e silvis alterius feras capiunt: sed non ex rationibus ab auctore adductis, sed quia in terris per universitatem occupatis nihil censetur nullius, quod non inexhausti usus est.

§. 3.

2.) Quamdiu feræ nostræ sint? queritur. Hinc denuo examinat Jctorum sententiam, qui *L. §. 1. ff. de A. R. D.* statuunt, desinere feras in nostro dominio esse, simul ac nostram effugerint custodiam.

Sed id omnino non solum rationi, sed & principiis J. N. repugnat. Ratio & jus civile inculcat, quod semel nostrum est, id solo animo retineri, e. g. res amissas, servos fugitivos. At hic queritur de fera nostra amissa, fugitiva, furto intercepta: quo jure dicimur ejus dominium amisisse?

Si objiciatur, videri rem pro derelicta habitam, quia difficilis sit persequutionis: facile

facile resp. 1) derelictam videri rem, eo abjectam animo, ut eam nostram esse nolumus: hinc animum vero hic non adesse.

2) Præsumtionem cedere veritati, e. g. si quis feræ signa vel crepundia addiderit.

3) Quando feræ per occupationem nostræ fiant? Resp. occupatio fit corpore & animo simul. Qui vulneravit, nondum corpore occupavit fugientem bestiam, ergo is nondum est dominus, adeoque illa ab alio potest occupari.

§. 4.

Quum vero occupatio corporalis requiratur: porro 4) quæritur, an ea solis manibus fiat, adeo ut non prius nostra sit fera, noster piscis, quam si manu tetigerimus? Et facile resp. Quod quis per alium facit, id ipse fecisse videtur. Ergo & quod in decuplis, laqueis, retibus ab eo positus habetur, ejus est, nec sine furti crimine ab alio potest surripi 1) modo instrumenta nostra sint, 2) in loco licito posita, 3) fera ita inclusa, ut non se vindicet in libertatem, 4) aliquid in retibus reperiatur, quod si jam in alterius dominio, e. g. equus, vacca, capra. Elegans reservatur exemplum de vitulo aqua extracto reti apud *PLAUTUM in Rudente*.

§. 5.

5) An hæc omnia hodiernum recepta? Id refellit experientia. Plerisque enim locis non sunt feræ nullius, sed principis vel eorum, quibus princeps jus venandi concessit. Et hinc non cedunt cuivis occupanti, siue manibus apprehenderit, siue
deca-

decuplis retribusque ceperit. Hinc ut diximus furti rei sunt & qui feras & pisces furripiunt. Illi in Germania tertium deprehensi, si venatoribus resistent, laqueo puniuntur, alias ad operas publicas condemnantur: hi extra ordinem puniuntur.

Nonne id iniquum, & contra J. N. quod feras nullius esse monet? Resp. minime
 1) J. N. dicit feras esse nullius, quæ nondum sunt occupatæ. Atqui populus dum per universitatem occupavit provinciam, occupavit etiam, quidquid provincia illa complectitur, adeoque feræ sunt populi. Quum vero quæ nostra sunt, aliis cedere possimus: populus non facit injuste, quod, quum ipse commode eo jure uti indivisim non posset, illud cesserit principibus, ut inde dignitatem suam sustinerent.

2) Promiscuum jus occupandi feras est J. N. permissivi. Ergo legibus novis potest restringi & tolli.

§. 6.

Per occupationem adquiruntur II. *adiotota*, id est, quæ dominum non habent. Sed hic plures limitationes addendæ. Nam locum habet hæc occupatio,

1) si occupatio fiat corpore & animo simul. Id quod denuo elegante illo exemplo insulæ Acanthi colonis vacuæ demonstrat Grotius, quæ non cedebat Andriis, qui priores sagittam injecerant, sed Chalcidensibus, qui priores intraverant. Historia est apud PLUTARCH. *in quest. Gr.* 29. Negat quidem hæc regulam esse J. N. Vir doctiss. NIC. HIER. GUNDELINGIUS *in Gundlingianis*, sed

sed non nisi ex ea ratione, quod contra humanitatem sit, alteri id præripere quod se occupaturum vel verbis vel tacite declaraverat. Sed procul dubio errat. Nam
 1.) quod inhumanum est, non statim injustum habetur, ut pauperi non donare.
 2.) Ipse agnoscit occupationem fieri debere: sed quis dixerit factam occupationem ab eo, qui vult occupare? Quod facere volo, nondum feci.

2.) Si finant id leges civiles, quæ illam naturalem permissivam tollere possunt. Hinc absurdum esset, privatum occupare velle hereditatem ἀδίσποτον. Lex enim vult, ut non existente herede ullo, fiscus succedat. Simile quid animadvertimus in lapillis, electro, mari ejectis.

§. 7.

Eodem refert Grotius III. *Thesauros*, de quibus tamen res maxime dubia, inventori illi cedant jure occupationis, an domino fundi jure accessionis. Prius dicendum videtur, quia thesauri sunt res nullius: posterius, quia accessorium sequitur suum principale. Unde & utrumque fundamentum conjunxisse videtur Hadrian. Imp. dum sanxit, ut thesaurus inter inventorem & dominum fundi dividatur. SPART. in *Hadrian.*

Si quæras, utrum fundamentum sit æquius? Grotius præfert prius, & statuit, thesaurum naturaliter esse inventientis. Et sane thesaurus est res derelicta, res derelictæ sunt nullius, quæ nullius sunt, cedunt occupanti. Sed ex altera parte negabat

the-

thesaurum esse nullius, qui in alieno fundo reperitur, quum accessiones fundi pertinere videantur ad fundi dominum. Verum facile resp. id negandum esse de accessionibus subterraneis, quæ tanquam res individua & communes rectius vel fisco vindicantur, vel inventori.

Et hinc etiam Grævius observat, apud multas gentes thesauros fisco vindicari. Dum autem addit Germanos, fallitur, deceptus loco juris provincialis vel speculi Saxonici c. 35. Ibi enim non est questio de thesauris, sed de metallifodinis.

§. 8.

Hæc de occupatione. Sequuntur quædam species **ACCESSIONIS**. Per accessionem autem intelligitur incrementum, quod vel naturæ beneficio vel industria humana rei nostræ adjungitur, unde & in naturalem, industrialem, mixtam dividi solet. Naturalis exemplum est alluvio, insula, alveus derelictus, de quibus §. 8. 17. foetura §. 18. Industrialis specificatio, confusio, commixtio §. 19. 20. & adjunctio §. 21. mixtæ, plantatio, insitio, ædificatio, §. 22. possessio b. f. §. 23. 24.

1) De alluvione, insula, alveo derelicto quid tradat jus Rom. notum est. Nempe
 1) alluvio cedit proximo fundo, non item si vi fluminis fundo aliquid adjectum.
 2) Nova insula in medio flumine nata est eorum, qui utrinque prædia possident: si alterutri ripæ propior: tunc ejus est, qui ex ea parte fundum habet. 3) Alveus dere-

374 *Lib. II. Cap. VIII. De Acquisitionibus*
derelictus etiam communis est pro modo
prædiorum.

Hæc quum veteres Jcti omnia tribuant
juri nat. & gent. quaeritur, an vere sint
J. N. & G. Idque negat Grotius, quia
multas falsas hypotheses posuere. Nam

1) Supponunt ripas esse partem fundi,
& hinc incrementum latens seu alluvionem
fundo accedere. Id vero falsum. Nam ripæ
sunt publicæ. Ergo & alluvio publica erit.
Quod & plerisque locis observatur.

2) Insulas supponunt natas ex terra
proxima, ergo ei accedere debent. Id de-
nuo falsum. Potius incertum est, unde
particulæ terræ ablatæ sint. Hinc ratioci-
nari debuissent ita: Flumen est publicum,
ergo & insula in flumine nata. Id quod
etiam multis locis observatur.

3) Supponunt alveum derelictum jam
desinere esse publicum, quia non amplius
sit flumen. Sed id æque absurdum, ac si
quis existimet, curia incendio deleta, aream
non esse amplius civitatis, quia deserit
esse curia.

Ergo certissimum est, hæc omnia non
ex J. N. & G. sed ex jure civ. esse.

§. 9.

n. 4.

Quid ergo de his rebus statuendum?
Grotius recte observat 1) populum terras
adquisivisse per universitatem, & ex eo de-
mum tempore in terris illis dominia priva-
torum cepisse. Id satis certum. Neque
enim Nomadum more gentes Europæ cir-
cumvagantur, & cuique faciunt potesta-
tem, terram, quam velit occupandi, uti

fit

fit apud Tartaros, sed in rebusp. vivunt.
Ergo tota terra est populi: partes autem
sunt in dominio privatorum, QUATENUS
ADQUISITÆ. Quæcumque enim non ad-
quisita, ea manserunt populi.

Inde ergo sequitur 1) alveum derelictum
non esse privatorum. Hi enim flumen nun-
quam adquisiverunt, adeoque nec civitatem
illam, per quam flumen ruit. Quum itaque
omnia a privatis non acquisita, sint publi-
ca: talis etiam erit alveus derelictus.

2) Inde sequitur, ut & alluvio non sit
privatorum, sed & publica. Fundos enim
adquisiverunt privati usque ad ripam, non
ipsam ripam, quæ fluminis pars est, ad-
eoque publici juris. Ergo talis etiam erit
alluvio. Quod & praxi Hollandorum pro-
bat Auctor, cui nos & Germ. addimus.

Addimus & aliam rationem. Ipsi vete-
res JCI agnoscunt, alluvioni locum esse
tantum in terris arcifiniis, non in limita-
tis. Atqui privati agri nusquam sunt acci-
finii, sed semper limitati. Ergo nec in iis
locum habet alluvio.

3) Sequitur, ut & insulæ sint publicæ.
Nam & flumen, in quo nascuntur, nun-
quam adquisiverunt privati. Si ergo verum
est, accessorium sequi suum principale:
verum erit etiam, insulam novam perti-
nere ad populum, vel principem, cui po-
pulus concessit.

Objiciunt, quæ nullius sunt, cedunt oc-
cupanti. Sed resp. sic falsum erit, vicinis
prædiis accedere insulam: nam & tertius oc-
cupare poterit. Aut ergo nullius est insula,

aut

aut est alicujus, si nullius est, non præcise vicinis cedit prædiis, sed cuilibet occupanti: si alicujus, id non aliter esse potest, nisi per accessionem. Atqui insula est accessio non terræ proximæ, sed fluminis. Ergo insula ejus est, cujus est flumen.

§. 10.

N. 1. Quærit porro A. de inundatione: an eâ dominium mutet? Idque recte negat. Romani JCTi, qui hic iterum præ se ferunt, ac si velint J. N. & G. inculcare, distinguunt inter inundationem graviolem, quæ diutissime durat, & momentaneam. Hæc dominium non mutat, inquiunt, illa mutat, adeo ut ne piscari quidem liceat in fundo inundato.

Sed rectius dicitur, inundationem nunquam dominium mutare. Nam 1) magnæ & parvæ inundationes non possunt esse diversi effectus morales. 2) Non potest mihi dominium rerum mearum auferri sine facto meo. 3) Quamvis præscriptione alia jus meum excludatur, id tamen locum non habet, ubi nulla mea negligentia est, id est, ubi rem meam vindicare non potui.

Concedit tamen Grotius, id legibus civilibus mutari posse, & statui, ut si intra certum tempus non exsiccat terra, ejus dominium amittatur. Nec id injustum, quia plerumque exsiccatio tot requirit sumtus, ut publica pecunia ad eam rem opus sit. Quum ergo privati exsiccare, nec sumtus restituere nequeant, & interfit tamen reip. ne terra mari permiscatur: omnino æquum est, ut terræ ab imperante exsiccatæ, imperanti cedant.

§. 11.

§. 11.

Objectio sequitur, quam removet Grotius. Posset quis ita ratiocinari: Si particularum per alluvionem alterius fundo adjectarum dominium amittit prior dominus, sequitur, ut & fundi inundatione obruti dominium merito amittatur. At prius verum est, E. & posterius.

Sed facilis responsio. Negatur consequentia. Nam in alluvione non possum scire, cujus ex agro vel illarum particularum abreptæ sint. Hinc nec eas vindicare. At fundum meum esse, ex siccata terra scire possum, & demonstrare.

Ex quo colligunt ipsi Jcti Rom. id quod vi fluminis ab agro meo avulsum est, meum manere, §. 21. I. de R. D.

§. 12.

Ita se res jure N. habet. Sed leges civiles in his multa mutarunt. Nam jure Rom. & quorundam locorum statutorio, alluvio a fluminibus facta conceditur privatis, dum modo obrum agri sint arcifinii.

Id jure fieri facile probatur. Quum enim, ut supra ostendimus, jure N. & G. alluvio sit populi, vel imperantis, quis neget eum huic juri suo renunciare, idque in privatos transferre posse? Idem potest princeps, si regnum sit in ejus patrimonio. Sin usufructuarius sit, recte quidem renunciat juri suo, sed non in præjudicium populi & successoris. Unde ab hoc tanquam domanium semper potest revocari.

Quum autem distinctio hic observetur inter agros arcifinnios & limitatos: quaritur, quales

quales in dubio præsumantur. Et resp. Territoria publica in dubio semper præsumuntur arcifinia, nisi contrarium probetur, idque ostendimus supra. Ast agri privatorum, quia mensura eorum certa & definita est, semper præsumuntur limitata, donec contrarium probetur: idque rarissime probari poterit, nisi agri sint novales.

n. 2.

Quomodo vero probabitur, agrum privatum esse arcifinium? Resp. 1) ex libris vetustis censualibus, si in illis dicantur ad flumen usque pertingere. 2) Ex litteris feudalibus, si in iis terra detur sine expressa mensura ad flumen usque. 3) Ex possessione vel quasi juris alluvionis immemoriali, si ostendi possit, semper post hominum memoriam agro hinc aliquid accessisse, nec unquam eam accessionem a rep. vindicatam. 4) Ex ipso loci situ, si inter flumen & agrum nec sepimentum, nec via intercedat, quibus ager a flumine divellatur.

§. 13. 14.

Eodem modo se res habebit in novis insulis. Quamvis enim eas J. N. & G. populi esse docuerimus: possunt tamen & aliis per leges & privilegia concedi.

1.) Per leges: quales sunt Romane, itemque Geldricæ, per quas potest unusquisque novam insulam occupare, si vehiculo insitens ex ripa per flumen in insulam contendat.

2.) Per privilegia. Quale luculento privilegio gaudet Elector Palatinus, ut omnes novæ insulæ in Rheno, sive in suo, sive extra territorium nate ad fiscum ejus pertineant.

tineant. Quamvis si tale quid contingeret extra ejus territorium, dubitem, an id ei concessuri sint vicini principes, quia iis superioritas territorialis per instrumentum pacis Westphal. Art. Gaudeant concessum est indistincte.

§. 15.

Pergit auctor ad Vasallos, & querit, an n. r. s.
iis quoque jura fluvialia competant? Sed rex expedita est. Quidam acceperunt a Domino superioritatem territorialem: ita ut tantum possint in terris suis, quantum rex in toto regno. Et tales Vasalli sunt principes Imperii in Germ. Alii feuda dantur sine superioritate territoriali, quamvis aliquibus regalibus gaudeant, e. g. jurisdictione omnimoda, quales sunt plures comites, quorum comitatus a principibus conceduntur in feudum. Sic e. g. Comites Bentheimenses gaudent in comitatu suo variis regalibus, sed non superioritate territoriali, quia subsunt Episcopo Monasteriensi.

Qui Vasalli sunt cum superioritate, eorum est totum territorium, ergo & flumina, adeoque & jura alluvionis, insulas occupandi, &c. merito exercent.

Qui posterioris generis, nihil habent, nisi quod expressum in literis investituræ. Ergo si hujusmodi jura exercere volunt, docere debent, ea sibi concessa esse a domino. Hinc nuper dixi, in Marchia Brandenburg. nobiles investiri solere alveo Albis, met. de oude Elbe.

Possunt tamen & hi reliquorum subdi-

380 *Lib. II. Cap. VIII. De Acquisitionibus*
torum jure uti, si jus civile hæc jura pri-
vatis concedit, eorumque agri sunt ar-
cisinii, id quod iterum ex litteris investi-
turæ judicandum. Exstat elegans tractatus
Oethingeri de juribus fluminum, qui in
his regionibus haud parvum præstare usum
poterit.

§. 16. 17.

Sequitur nova objectio. Quum enim
supra ostensum, alluvionem non esse pri-
vatorum: objiciunt JCTi Rom. Quem pe-
nes est incommodum: penes eum & com-
modum esse debet. Atqui privati sentiunt
incommodum fluminis: ergo & commo-
dum. Resp. Grotius acute. 1) Regula
vera est, si commodum ex re mea nasca-
tur. e.g. quia ex agro tributa solvo, me-
rito etiam fructus capio. Ast hic commo-
dum non est ex agro, sed ex re aliena
nempe flumine.

2) Si vera esset hoc casu regula, de-
beret idem dici de agris limitatis, quos
tamen ipsi veteres JCTi exceperunt.

Addo 3) si hic locum habet canon,
locum etiam habebit in vi fluminis, quod
JCTi denuo negant.

§. 18.

II. Sequitur altera species accessionis
FOETURA animalium, de qua quum JCTi
veteres regulam repeterint: Partus sequi-
tur ventrem: querit A. an id J. N. & G.
sit consentaneum?

Negat id Grotius. Nam 1) si accessio-
rium sequitur principale: quis negarit utrum-
que parentem natura esse principale? 2) Si

ad

ad causam respicimus, negari deavo nequit, utrumque parentem esse foetus causam, nec sine utriusque concursu nasci posse vivum animal.

Sed fallit tamen hoc 1) si pater incertus sit. Ridiculus casus de gallina aliena ova excludente apud **BESOLDUM** in *thesauro practico*. 2) Si Dominus animalis masculi mercedem pro opera ab animali suo praestita acceperit. Quod inter rusticos observatur, ubi unus communem bovem, totius gregis maritum alit.

§. 19.

III. Tertia species accessionis est **SPECIFICATIO**, per quam intelligitur actus, quo quis alienae materiae novam formam introduxit, adeoque novam inde speciem fecit.

n. t.

Dici non potest, quantum de ea inter se digladiati sint veteres, Proculiani & Sabimani. Illi enim dicebant, formam esse materia nobiliores, adeoque specificantem fieri dominum. Hi materiam dicebant esse principale, cui forma tanquam accessorium adjungitur: ergo potius dominum materiae praeferebant. Denique Justinianus rem ita decidit, ut si res ad priorem formam reduci possit, dominus materiae jus suum retineat, sin minus, specificans. Exemplo esse possunt, qui ex alieno argento poculum, & qui ex aliena lana pannum confecerit. Controversiam eleganter pertractavit **MERILL.** in *Coment. luculentis ad L. Justiniani decisiones*.

Quaritur ergo 1) quid J. N. & G. ea de re

n. 2.

R 2 sta-

382 *Lib. II. Cap. VIII. De Acquisitionibus*
statuat? Resp. Grotius, rem jure nat. me-
rito fieri communem pro rata materiae &
operæ. Idque probat inde, quia & res con-
fusæ & commixtæ fiant communes.

Sed 1) magna est differentia inter com-
mixtionem & specificationem. Hic duæ
conjunguntur materiae, quarum quæque in
dominio fuit, ergo non potest non massa
esse communis. Hic autem forma non est
substantia, ergo nec in domino. 2) Ita
nihil responsum. Id enim nemo negat,
materiam esse Titii, formam Mævii spe-
cificantis: sed id quæritur, cui jus sit
rem retinendi alterique solvendi pretiam?
Id ex Grotii decisione non fiet liqui-
dum.

Ergo rectius ostendit THOM. in dissert.
elegantissima *de precio affectionis in res fun-
gibiles non cadente*, distinguendum esse, an
materia sit res obvia & fungibilis, an tam
rara, ut non facile recuperari possit? Prio-
re casu specificantem b. f. fieri dominum:
si enim dominus materiae ejusdem quanti-
tatis & qualitatis materiam recipit, non
est, quod conqueratur. Sin vero materia
sit rarior, e. g. electrum insignis rarita-
tis, tunc nihil æquius est, quam ut arti-
fex domino materiae speciem relinquat,
pretio opera soluto. Res tam clara est,
ut mireris merito, veteres de lana caprina
litigare voluisse.

§. 20.

Quæritur 2) an J. N. sit, ut mala fide
specificans speciem amittat?

Id quoque Grotius non sine ratione negat.

Nam

Nam ademptio illa est poena: poenas autem non definit J. N. & G. Sic quidem juris N. est, ut puniantur homicidæ: sed utrum laqueo an gladio, an exilio puniendi sint, non determinat.

Si superius principium de materia, re fungibili, & in quam non cadit pretium affectionis consideres, poena hæc videtur paullo atrocior. Domino enim materiæ nulla fit injuria, si tantundem ejusdem bonitatis materiæ accipit, quia in rebus fungibilibus tantundem est idem.

§. 21.

CONNATUS, qui *luculentos commentarios juris civilis* scripsit lib. III. cap. 6. existimat, æquitatem naturalem requirere, ut minus accessorium habeatur majoris, e. g. purpura, vestis, gemma annuli, & hinc & argentum auro alterius adferruminatum vel mixtum fiat domini auri. Queritur itaque, an id fundamentum habeat?

Resp. Grotius negando. Idque probat inde, quia dominium est qualitas moralis, quam non mutat majus & minus. Sic e. g. qui casam habet, non minus ejus dominus est, quam alter palatii: & qui vigesimam partem prædii habet, non minus dominus est, quam qui partes ejusdem possidet novendecim. Ergo nulla est ratio, cur illi magis jus suum auferri possit, quam huic.

Accedit, quod majus physice non semper est majus moraliter, vel contra, e. g. parva auri massa moraliter major est, magna mole ligni, & gemma molle exigua

384 *Lib. II. Cap. VIII. De Acquisitionibus*
sape moraliter superat magnam auri argenteive massam. Si ergo Connanus intelligit majus & minus physice: tunc iniqua erit decisio: si majus moraliter, tunc falsa erunt exempla. Purpura enim saepe veste pretiosior, gemma annulo pretiosior, &c.

S. 22.

IV. Quarta accessionis species est PLANTATIO & SATIO. Notum enim est, jure civili cautum esse, ut quis alienum agrum suo semine consevit, aut suum agrum alieno semine, quod tunc quod solo implantatum solo cedat. Queritur an idem consentaneum sit J. N.

Negat Grotius, idque ex ratione ipsa probat, qua veteres usi sunt. Existimarunt enim quod implantatum solo, id alimentum ex solo capere, adeoque fieri ejus, cujus sit solum. Unde etiam concessere, ut posset quis plantam tollere, si nondum radices egerit, quia tunc nondum attraxerit alimentum. Atqui, respondet Grotius alimenta non totam substantiam rei absolvunt, sed partes, quae crescenti plantae vel femini pullulanti paulatim accedunt: ergo nec tota planta vel messis erit domini soli, adeoque planta erit communis pro rata.

Idem etiam V. de INÆDIFICATIONE judicat: quis enim dubitet aliquod jus commune pro rata duos habere in edificio, quod alter b. f. extruxit, quum alterius sit fundus? Ergo constituetur eo ipsa jus superficies. Sed hic clarum est, hanc definitionem jure civili esse inexactam. Nam tationem ipsi J. C. reddunt, id ideo cautum,

rum, ne urbs ruinis deformatetur: quam rationem jus nat. ignorat.

§. 23. 24.

Sexta species est VI. BONÆ FIDEI POSSESSIO. Notum enim est jure civili eum, qui b. f. rem alienam ex justa causa adquisivit, quamvis dominus non sit, tamen fructus lucrari perceptos & consumptos: & reddere tantum existentes: contra m. f. possessorem ad restitutionem fructuum perceptorum & percipiendorum condemnari: an hoc J. N. & G.

Resp. neg. Quid enim aliud b. f. possessor exigere potest, quam ut indemnis fervetur? Atqui indemnis præstabitur, dummodo ei impensæ in culturam rei factæ restituantur: E. non debet lucrum ex re aliena captare, siquidem J. N. non patitur, ut quis cum alterius detrimento fiat locupletior.

Quod ad m. f. possessorem attinet: is fructus percipiendos restituit in pœnam. Atqui pœnas non determinari a jure nat. & G. jam supra ostendimus. E. hæc omnia ex jure civili esse, manifestum est.

§. 25. 26.

Hactenus de speciebus quibusdam OCCUPATIONIS & ACCESSIONIS: reliqua est pars capituli de TRADITIONE. De ea tradit jus civile, ex solo contractu non transferri dominium, vel aliud jus in re, sed per subsequentem traditionem. Pauci excipiuntur casus, veluti ultimæ voluntates, hypotheca, adjudicatio ex tribus judiciis divisiis, familiæ

386 *Lib. II. Cap. VIII. De Acquisitionibus, &c.*
erciscundæ, comm. dividundo, fin. reguan-
dorum, ubi traditio non requiritur. Qua-
ritur itaque, an ea omnia sint J. N. & G.

Negat & id Grotius: 1) quia voluntas
utriusque J. N. ad dominium transferen-
dum sufficit. 2) Quia si naturale esset
hoc jus, nec exceptiones illæ admitti pos-
sent. Nulla enim ratio est, cur magis le-
gatum fiat nostrum sine traditione, quam
res nobis venditæ & nondum traditæ.
3) Quia traditio hæc tantum, est signum
translati domini, ideo inventum, ut lites
evitentur. Sed ea de re jam supra senten-
tiam nostram exposuimus l. 2. c. 6. §. 1. 2.

Demum concludit A. hoc caput, red-
dita ratione, cur hæc tam accurate expen-
derit? Videlicet, ut adpareat non omnia
esse J. N. & G. quæ talia esse dicunt ve-
teres J. C. Quæ observatio probe tenenda.
Sæpe animadverti, in disputationibus ju-
ridicis hoc loco editis passim testamenta,
aliaque hujus generis ex J. G. derivari,
tantum, quia id adserunt veteres. Quis,
quæso, jus N. & G. ex corpore juris
probet? Eiusmodi theses aliter probari ne-
queunt, quam ex sana ratione, non ex
auctoritate. Sed ita adsuefiant juvenes a
doctoribus solius J. C. notitia aliqua im-
buris.

CAPUT IX.

*Quando Imperia vel Dominia
desinant.*

§. 1.

Vidimus hastenus, varios modos, quibus adquiratur vel dominium vel imperium: quum itaque contrariorum contraria fit ratio: consequens est, ut etiam dicendum sit, quibus modis amittantur & dominia & imperia: id quod fit hoc capite. Tales modi plures sunt. E. g. 1) derelictio, de qua supra actum. 2) Rei interitus. 3) Personæ interitus.

De hoc agitur in præsentî & demonstratur, extincta persona expirare etiam dominium. Causa in promptu est. Dominium est jus, adeoque attributum personæ: non entis nulla sunt attributa. Ergo nec personæ extinctæ ullum est jus vel dominium.

Et hinc si quis moriatur, nullo relicto herede, cui vel defunctus vel ipsa lex hereditatem addicant, res ejus fiunt nullius, jure naturæ, servi liberi fiunt, quamvis leges civiles fisco addicant hereditates caducas.

§. 2.

Quod itaque de una persona verum, id & de tota familia. Quamdiu ex illa superest vel una persona, illi jus familiæ salvum est, tota familia extincta illud cessat. E. g. notum est, familiam Carolingicam

R 5 in

388 *Lib. II. Cap. IX. Quando Imperia*
in Francia & Germania satis libere impe-
rassent. Ea in Germ. extincta novus consti-
tuebatur Rex Conradus I. in Gallia Hugo
Capetus. An horum familiae eodem jure
utebantur ac olim Carolingica? Galli Hu-
goni eandem detulere potentiam. Ast Ger-
mani minime. Nam horum imperium fa-
ctum est electivum, adstrictum, indivisi-
bile, &c. An jure? Omnino, extincta
enim familia, & jura eius expirant.

Ita & si in Russia regnatix familia ex-
spiraret, & res ad novam electionem re-
diret: non cogentur Russi novo impe-
ranti ejusque familiae eandem deferre po-
tentiam, qua polluere imperantes in hunc
usque diem.

§. 3.

D. 1.

Quod in familiis obtinet: idem & de
populo dicendum, si & iste expiret. Hic
vero ante omnia quaeritur, an populus
interire possit?

Plerumque id negatur, & tristissima sunt
illa: Populus est immortalis, civitas non
moritur.

Ratio hujus doctrinae in se verissima haec
est, quia populus vel civitas est corpus
morale, persona moralis ex mille physicis
composita. Morte autem solvuntur non
personae morales, sed physicae. Nam quod
ad corpora moralia attinet, iis semper no-
va membra accedunt, uno mortuo, non
deficit alter: & si deficiat per degenera-
tionem: tamen deficientium locum alii pe-
regrini facile occupabunt: adeoque nun-
quam deficiet corpus istud morale, quamvis

MEMO

nemo eorum superfit, qui primi civitatem vel populum constituerunt.

Elegans, quo id illustrari potest, species est in *Lib. 76. ff. de judic.* Populus constituerat iudices e. g. viginti. Ex hoc collegio sensim quidam se excusaverant, quidam obierant, ita ut demum nulla persona superesset, quæ vixisset eo tempore, quo vel actio instituebatur, vel lis contestabatur. Quærebatur, an idem intelligatur iudicium? Responsio ALFENI VARI est elegantissima.

Hoc & Alfenus Varus & ipse Grotius illustrent similitudine ab ipso corpore nostro desumpta. Corpus nostrum physicum constat ex partibus fluidis & solidis. Ex utrisque per transpirationem quotidie aliquid decedit, in ejusque locum aliæ succedunt particule per nutritionem. Cibus enim in chylum, chylus in sanguinem, sanguis per varias excretiones in lympham, succum nervosum, carnem, ossa, &c. mutatur. Ut adeo dici possit, vel parum vel nihil nobis jam superesse ejus materie, quam in hunc mundum ex utero materno attulimus.

Jam dicimus. Quemadmodum nihilominus idem corpus manet, quamvis novæ sint ejus partes, eadem navis, quamvis post ducentos annos ne festuca quidem ex prima materia superfit: ita idem manet populus, quamvis nullus ex primis, qui illum constituerunt, hominibus superfit.

Male itaque ratiocinatur Piso apud Tacit. *annal. l. 2. c. 55.* Quum enim Atheniensibus

R 6 Ger-

Germanicus multum honoris detulisset, Piso ejus inimicus illos increpans objicit, quod contra decus Romani nominis non Athenienses tot cladibus extinctos, sed colluviem illam nationum comitate vimia coluisset. Absurde populus enim moritur, sed idem manet, licet alii accedat, immo licet in aliam pæne naturam mutetur. Sic Franci fuere Germani origine. In Gallia, quam devicerant, Romanis & Gallis mixti, eorum mores naturam & linguam adoptarunt: & ideo tamen nihilominus manent Franci.

Hæc doctrina magni momenti est. Nam inde possumus rationem reddere, cur foedera cum populis inita, jura populis concessa sint perpetua. Et hinc si vel maxime demonstrari potest, ex iis, quibuscum pax vel foedus initum, neminem vivere superstitem, foedus tamen vel pax ideo violari non potest.

§. 4.

Quamvis vero populum non mori hactenus demonstratum sit: id tamen intelligendum de eo, quod fit ordinarie & per se. Nam per accidens aliquando & integri populi extinguuntur. Idque fit vel extinctis partibus §. 4. vel sublato toto corpore §. 5. vel soluta forma §. 5.

Primo id fit extinctis partibus, e. g. 1) inundatione. Tale quid de magna insula Atlantica referunt veteres, eam totam cum universo populo mari absorptam. Si ergo Atlantici juribus pinguissimis usi essent, illa dudum fuissent extincta.

2) Si civitas chasinate vel terræ motu
 hau-

hauriatur, cujus rei exempla sunt apud Tertullianum, Senecam, & alios. Recentissimum est opulentissimæ civitatis Plurs in Helvetia, quæ a monte proximo obruta, omnes cives uno momento sub ruinis ædium suarum sepulti sunt. Jam locus est, ubi civitas fuit.

3) Si populus sponte se interimat. Triste Saguntinorum exemplum est apud Flo- rum & alios scriptores Rom. Ii enim diurna obsidione pressi ab Hannibale, quum nulla spes salutis superesset, vino se inebriarunt ex communi civitatis decreto, incensisque ædibus vivi se omnes combusserunt, ita ut ne unus quidem in hostium potestatem perveniret.

S. 5.

Idem fit sublato corpore, non partibus corporis moralis. Nam si populus diffluit, ob pestilentiam, bellum, vel aliam calamitatem publicam, populus esse desinit. Sic interiit pridem populus Israeliticus, resp. Ebræa, regnum Judaicum, quamvis innumeri ubique Judæi supersint.

Hoc tamen cum grano salis accipiendum. Nam si ob periculum vel calamitatem ad tempus fiat hujusmodi discessio, cum animo redeundi: non ideo populus extinguitur, sed pristina jura sua retinet. Exemplo esse possunt civitates illæ olim fortissimæ, Spira, & Wormatia. Utraque dirissime combusta a Gallis, cives per universam Germaniam dispergebantur. Reddita pace, domum redierunt; urbes illas restaurarunt, ut jura aliquantulum respirare videantur.

An

An ideo omnia pristina jura amiserunt?
Minime.

§. 6.

Denique & forma aliquando perit, per servitutem. Nam civitatis forma est nexus inter imperantes & subditos. Sublato illo nexu, & populo universo in servitutem redacto, populus esse desinit, & fit accessio populi victoris.

Exemplum est in Israelitis a Nebuchadnezare Babyloniam abreptis, in Thebanis ab Alexandro sub corona venditis, in Capua in praefecturam a Romanis redacta.

§. 7.

Quæritur, an idem per solam migrationem contingat? Negatur. Ratio. Ubi nec partes populi intereunt, nec totum corpus, nec forma, ibi nec populus interit. Atqui per migrationem, &c.

Absurde ergo quis dixisset interiisse populum Francorum ideo, quod in Galliam transisset, populum Longob. quod in Italiam; populos Anglo Saxonicum & Frisicum, quod in Britanniam transissent.

§. 8.

a. 1.

Quæritur porro, an & mutata reipubl. forma desinat aliquis populus esse? Intellegimus vero hic non formam internam, quæ consistit in unione voluntatum, (ea enim extincta omnino & populus extinctus videtur, vid. supra §. 6.) sed externam, quæ vel in monarchia, vel in aristocratia vel democratia vel quadam earum mixtione consistit. Si ergo hæc mutatur, an tunc populus idem esse desinit?

Nega-

Negatur, quia tunc nec partes pereunt, nec totum corpus, nec nexus inter imperantes & subditos. Manet enim imperium, quamvis non sit apud eundem vel eosdem. Populus consideratur ut corpus, imperans ut caput. Manet vero corpus, manet caput, sive unus, sive plures imperent.

Hinc jam variae solvuntur quaestiones. Sequitur enim inde, 1) ut si populus ad alienum contraxit, mutata reipubl. forma, nihilominus illud teneatur exsolvere, quia idem manet populus. Sic. e. g. Romanus populus non desinebat creditoribus suis debere, ejecto Tarquinio, & consulibus constitutis.

2) Ut mutata imperii forma novus imperans eundem locum teneat, quem tenere superiores imperantes. Hinc cum Phocenses Philippo Macedonum Regi summum in civitate sua imperium detulissent, eodem loco in Amphictionum confessu is sedebat, quo olim sederant magistratus Phocenses. Sic & Rex Prussiae tanquam Dux Magdeb. Princeps Halberst. Mindensis & Caminensis eadem loca in comitiis occupat, quae olim occupaverat Archiepiscopus Magd. & Episcopi Halberstadiensis, Mindensis & Caminensis, nisi quod in saeculo saecularium, ut vocant, adsidet.

3) Ut foedus antea cum populo contractum, mutata reipubl. forma non tollatur. Exarsit inde bellum Latinum. Latini se Romanis subjecerant sub Tarquinio. Eo ejecto volebant amplius subesse Rom.
quia

n. 3-

quia non cum consulibus, sed cum Rege Tarquinio foedus iniissent. Quæritur, an rationi consentanea fuerit hæc eorum sententia. Id merito negatur, quia idem manet populus.

§ 9.

Quæstio novâ oritur, an populus esse desinat per unionem? Id Grotius negat, sed paullo distinctius respondendum.

Unio fit tripliciter, vel 1) per communitatem imperantem, uti hodie Germania, Hungaria, Boemia, Neapolis, Sicilia communi Imperanti subsunt, & tamen nullus populus alteri obnoxius est. 2) Per foedus, ut hodie unitæ sunt 7. provinciæ Belgicæ, 13. civitates Helveticæ: vel 3) per subjectionem, eamque vel plenam, ita ut suo imperio excidat populus subjectus, uti olim provinciæ Romanorum, hodie provinciæ a Gallis devictæ, vel minus plenam, quæ suum sibi imperium retinet, e. g. Prussia, Curlandia, quæ eatenus se Polonis submittere, ut subessent propriis ducibus, Polonorum clientibus.

Jam facile patet, non desinere populum per unionem primam, nec per secundam, nec per quartam, quia hic manet nexus inter imperantem & subditos. Ast in casu 3) nexus ille cessat, ut hinc sit populus accessio dominantis reipubl. Hinc hodie urbes & terræ, quas respubl. nostra in Flandria & Brabantia adquisivit, non constituunt singulares populos, uti 7. provinciæ, sed tanquam subditi sunt accessorium populorum foederatorum.

§. 10.

§. 10.

Quid vero si divisio fiat? Tunc omnino populus esse desinit. Fiunt enim populi duo vel plures, quorum nullus ab altero dependet. Quotcumque enim sunt summa imperia, tot sunt nexus inter imperantes & subditos, ergo & totidem populi. Sic e. g. olim Hispani non constituebant unum populum, sed tot, quot erant regna independentia. Sic quum Galli & Germani sub Carolo M. & Ludovico Pio essent unus populus, sub nomine Francorum notus, post Ludovici Pii tempora diversi facti sunt populi.

Excipitur tamen casus, si divisio ita fiat, ut nihilominus uni superior, nexu clientelari obstricti maneant. E. g. Germania in multos principatus, comitatus, & respubli. divisa est: quia tamen omnes clientelari nexu obstricta sunt Imperatori & Imperio; hinc manet unus populus Germanicus.

§. 11.

Jam sequitur nobilis, ut Auctor ait, quaestio, sed ex cujus decisione satis adparet, eam in Gallia & inter pontificios scriptasse. Quæritur, an Rom. imperium translatum sit ad Germanos? Id negat A. & putat, populum Romanum eundem esse, qui olim fuerit, sui juris, & nullo modo subiectum Germanis. Videbimus rationes.

I) Germania magna nunquam fuit sub Romano Imperio, E. in Reges Germ. non potuit transferri Imperium Rom. nulla consequentia. Nam I) Rom. imperium non se subiecit Germanis, sed tantum

se

396 *Lib. II. Cap. IX. Quando Imperia*
 se obstrinxit iste populus, se eundem Imp.
 habiturum, quem Germani habeant regem.
 Idque pactum initum sub Otone M. 2)
 saepe populus ad incitas redactus, qualis
 sub Carolo M. & Ottone M. erat, pop.
 Rom. se subiecit alii, vel saltem alterius
 populi clientelam rogat.

2) Mutatio & translatio Imp. non præ-
 sumenda, sed probanda. Probabimus er-
 go. De translatione, sub Carolo M. facta
 ne ipsi quidem Galli dubitant. Vid. NA-
 TAL. ALEX. *Histor. eccl. sec. 9.* Pactum cum
 Ottone M. initum integrum exstat apud
 GOLDASTUM *in Constit. Imp. Tom. 1. p. 34.*
 & ex parte in ipsum jus Canonicum mi-
 gravit, d. 63. c. 23. Hinc Auctor vitæ
 Mathildis coævus cap. 5. apud LEBNIT.
T. 1. script. rer. Brunsv. Totus populus Ro-
manorum se sponte subjugarit ipsius domina-
tui, & sibi solvabant tributa, & post il-
lum ceteris suis posterius.

3) Populus Rom. olim elegit Impera-
 tores, sive in comitiis, sive per senatum.
 Id quod tale probare conatur per n. 2. 3. 4.
 Et hinc colligit, nec hodie Germanos eli-
 gere posse Rom. Imp. sed ipsos Romanos,
 & qui eos repræsentat, pontificem. Sed
 hæc omnia falsa. Nam 1) ex historia no-
 tissimum, olim Imperium inter Rom. fuis-
 se successivum, adeo, ut & adoptivi ad-
 mitterentur. 2) Post Neronem elegisse
 legiones Judaicas, & hinc postea quoque
 electionem plerumque per milites factam,
 ita tamen ut filii succederent patri. 3)
 Translatum in orientem imperium itidem
 suc-

successivum fuisse, & imperatores sibi semper inconsulto populo Rom. imperasse. 3) Si concedatur, populum Rom. imperatorem sibi eligere potuisse: potuit sane id etiam in Reges Germaniæ electos transferre, & juri suo renunciare.

4) Denique quum negare salvo pudore nequeat, in Carolum M. & Ottonem M. translatum esse imperium, æque ac in eorum posteros, addit tamen sub finem n. 3. Ita tamen, ut jus sibi aliquod retineret, &c. Rectius sæculo XII. GUNTHERUS in *Ligurino Lib. III.*

Quemcumque sibi Germania regem

Præficit, hunc dives submisso vertice

Roma

Suscipit, & verso Tybrim regit ordine
Rhenus.

5) Non potuisse aliquem Rom. Imp. esse sine coronatione Episcopi Rom. Ergo electionem ab Electoribus factam tantum constituere Regem Germ. coronationem Pontificis Imperatorem. Sed ea omnia 1) rationibus politicis refragantur. Nam coronatio nunquam dat jus imperandi, sed est signum imperii jam legitime delati. Non quis coronatur, ut sit rex, sed quia jam est rex. 2) Hodie a temporibus Caroli V. coronatio Rom. omittitur, & tamen Reges Germ. dicuntur ab ipso Pontifice *Electi* Rom. Imperatores.

6) Episcopum Rom. vacante Imperio investituram tribuere feudorum Imp. Romani. Aliquando id egit in Ducatu Hezurix & Parmensi, sed non semper con-
tradi-

398 *Lib. II. Cap. X. De Obligations*
tradixerant Imperatores, qui & utrumque
ducatum sibi hodiernum vindicant tanquam
feuda imperii. Vid. GUNDLINGII *Diss. de*
jure Imperat. & imperii in ducat. Helvet.
& BOHMERI *Diss. de jure Imperii in ducatum*
Pirmensem.

§. 12. 13.

Diximus supra morte extingui domi-
nium. Jam sequuntur binæ exceptiones:

1) Ex jure civili, quod dominium in
herede continetur, isque cum defuncto
pro una persona habeatur: sed id, ut dixi,
ex jure civili est.

2) Ex jure gentium, quod victor con-
tinuet jura victi: sed hic distinguendum.
Non continuat victor jura victi persona-
lia. Hinc non fit uxoris victi maritus,
non liberorum victi parens, &c. Conti-
nuat tamen jura victi in re, scilicet, quæ
habuit in republica e. g. jus venandi, piscan-
di, jus ex foederibus quæsitum. Sed de his
infra Libr. III. erit agendum pluribus.

C A P U T X.

*De Obligations, quæ ex Dominio
oriuntur.*

§. I.

n. 1. **D**iximus hæctenus de dominio, quomo-
do & adquiratur, & desinat, seu amit-
tatur. Dominium vero quam sit jus ali-
quod in re; non potest non certos effectus
producere. Isti effectus consistunt in obli-
gatio-

gatione aliorum. Si enim dominus sum, alii obligati sunt, ut me non turbent, ut mihi rem meam reddant, ne ex meo lucrum capiant, &c. Et de his obligationibus erga dominum agitur hoc capite, ubi

- 1) præmittuntur duæ regulæ huc pertinentes. §. 1. 2.
- 2) ex his regulis varii casus & quaestiones solvuntur. §. 3. fin.

Regula I. hæc est: *Qui rem nostram in sua potestate habet, officera tenetur, quantum in se est, ut in nostram potestatem venias.*

u. 26

Regula æquissima est, & ex pacto derivanda. Res omnes olim erant in communi. Postea homines introduxere dominia. Id fieri aliter non potuit, quam per pactum, quo alter alteri promisit, sive expresse, sive tacite, quod quisque occupasset, id ejus futurum. Atqui ejus non esset, si unicuique liceret, rem alienam sibi retinere, ergo tenetur, qui habet, reddere, vel operam dare, ut ad priorem dominum perveniat. Ex quo patet, hanc obligationem perfectam esse, & ex ipsa regula æternæ veritatis fluere: Pacta sunt servanda.

Additur tamen, *quantum in se est*, quia

- 1) nemo tenetur ad impossibile. Hinc si verus rei dominus investigari nequit, in dubio omnino est melior conditio possidentis.
- 2) Quia nemo tenetur id suis impensis facere. Nam uti ego non possum salva justitia cum alterius damno locupletari, ita nec alter debet cum meo. Ergo si intelligam, dominum rei, quæ apud me est, Romæ vivere, is debet suo sumptu rem recuperare.

Quæ

n. 3.

Quæritur autem, an circa regulam discrimen sit inter bonæ & malæ fidei possessorem? Ratio dubitandi est, quod qui rem alienam bona fide & justo titulo adquisivit, non peccavit, adeoque & jactura rei suæ puniri nequeat. Resp. non hanc obligationem ex delicto esse, sed ex re ipsa, & hinc nihil interesse, sive quis b. sive m. f. possideat. Rem meam repeto, non quia alter injuste eam adquisivit, sed quia mea est. Repeto non ex delicto, sed ex pacto illo primævo inter homines, de quo n. 2. diximus.

n. 4.

Ex eo sequitur, ut omnes contractus posteriores huic obligationi cedant e. g. depositum, commodatum est reddendum. Et tamen si quis rem alienam apud me deposuerit, vel mihi commodarit, eam reddere non teneor deponenti, vel commodanti, sed vero domino, supervenienti & rem suam vindicanti.

Rationem hujus juris hanc reddit Gro-rius, quod hæc obligatio sit ex contractu illo primævo & antiquissimo, de quo n. 2. unde ei cedere debeant contractus recentiores & posteriores. Sed commodior & propior dari potest ratio. Nam contractus non valent, ubi contrahens jure contrahendi destituitur. Atqui de rebus alienis contrahens jure omni destituitur contrahendi. Ergo ejus contractus non valent, adeoque dominus præfertur merito deponenti vel commodanti, qui nullum jus rem alienam deponendi commodandique habuerunt.

Secd

Sed objici posset, 1) dominium non esse ex jure nat. sed ex instituto hominum, contra ex jure nat. esse regulam, quod pacta sint servanda.

n. 5.

Resp. negando antecedens, & distinguendo. Nam est dominium ex J. N. absoluto, Deus enim omnia creavit in communione primæva: est tamen ex J. N. hypothetico. Posito enim, homines dominium introduxisse, sequitur etiam, ut dominus in rei suæ possessione non sit turbandus. Contra jus naturæ nunquam dicit, contractus esse servandos, ubi persona nullum contrahendi jus habet.

2) Neminem deberi locupletiores fieri in alterius damno, aut locupletiores fieri dominum, si ego ejus rem titulo oneroso adquisitam gratis reddere tenear.

Resp. negamus dominum fieri locupletiores, nam rem suam recipit. Nec aliter gratis id facit: pretium enim repetit ab auctore suo. Sed forte is non adest, vel non solvendo est. Resp. Tunc id infortunium ferre non potest dominus, sed imputare sibi debet is, qui cum igocto contraxit.

Recte ergo tradunt Juri, possessorem rem alienam restituentem ne *Δραστηριον* quidem exigere posse, id est, ne honorarium, quidem, (*einem Recompens.*) quia dominus rem suam non tenetur bis emere. Aliud si *Δραστηριον* promissum. Tunc inventor illud ex pacto exigit.

§. 2.

Sequitur regula altera: *Qui rem alienam*
b. f.

n. 10.

v. f. possides, in tantum tenetur ad restitutionem fructuum, in quantum eis factus est locupletior.

Piatio est, quia cujus res est principalis, ejus quoque sunt accessiones, id est fructus. Ergo si hos retineret possessor, fieret cum alterius damno locupletior. Jam quum hoc iniquum sit, sequitur sane, ut tantum restituere teneatur, in quantum factus est locupletior.

Hinc varias conclusiones elicit A. e. g. sequitur inde

u. 2. 3. 1) Ut ex actu servi institutoris teneatur dominus, non solum ex jussu & mandato, sed etiam si se ignaro contraxit, modo in rem suam versum sit. Cur? nemo debet cum alterius damno fieri locupletior.

2) Ut qui pro altero fidejussit & solvit, licet pro ignorante, possit actione negotiorum gestorum utili indemnitatem petere. Cur? ex eadem ratione.

3) Ut qui pecuniam mihi surreptam a servo, tanquam rem peculiarem consumpsit, mihi teneatur ad restituendum, ex eadem ratione.

4) Ut si cum pupillo contraxerim, agere adversus illum possim, si sit locupletior factus, quum alias contractus hujusmodi ex parte pupilli nullam producat obligationem.

5) Ut a creditore pignus alienum in tantum teneatur domino, in quantum factus est locupletior. Et quae sunt alia hujus generis exempla. Innumera enim in jure universo, maxime in materia de quasi contractibus passim occurrunt.

§. 3.

Hæc prior pars capitæ. Sequitur, jam altera, in qua varias quæstiones ex his principiis solvit Auctor. Nam

1) quæritur, an b. f. possessor rei alienæ teneatur ad restitutionem, si ea perierit? Resp. minime. Nam 1) res perit suo domino, 2) b. f. possessor ut supra §. 2. diximus tenetur tantum, quatenus factus est locupletior. Atqui dum nec rem habet, nec pretium, non est factus locupletior, sed pauperior, ergo nihil restituit.

§. 4.

Quæst. 2. an b. f. possessor restituat fructus exstantes? Resp. omnino: 1) quia accessorium sequitur suum principale 2) quia alias cum alterius damno fieret locupletior.

Sed distinguendum tamen monet A. inter fructus rei, & fructus industriæ, quia hi inquit, non rem, sed industriam sequuntur. Sed id recte intelligendum. Qui e. g. agrum meum habet & eum colit, & conservit, procul dubio mihi debet messem, sed industriales fructus sibi capit, id est, non accipio messem, nisi solverim impensas in culturam & semen factas. Alias enim dominus cum b. f. possessoris damno locupletaretur.

§. 5.

Quæst. 3. an b. f. possessor teneatur ad restituendos fructus consumptos? Resp. quatenus factus est locupletior. Tunc autem censetur factus locupletior, si iis ad necessitatem, non voluptatis causa ex. gr.

Hein. de Jura Belli, &c.

Spiris,

piris, ponis, leporibus, cancris &c. usus est, quia in promptu fuerunt, non factus est locupletior, quia iis facile caruisset, nisi fuissent in promptu.

§. 6.

Quæst. 4. An teneatur b. f. possessor ad restituendos fructus percipiendos? Negatur; 1) quia nec rem habet, nec pretium, 2) quia non factus est locupletior.

Objici posset, male eum egisse, quod hos fructus neglexerit. Resp. B. f. possessor se putat esse dominum, & hinc quoque in suo arbitrio positum credit, velitne fructus percipere, nec ne. Aliud ergo in m. f. possessore, qui cum sciat rem esse alienam, merito & percipiendos fructus restituit.

§. 7.

Quæritur 5) an si quis rem alienam sibi donatam alii iterum donarit, verus dominus ab hoc pretium reposcere possit? Neg. quia 1) rem restituere non potest, quam non habet, nec 2) pretium, quia donando non factus est locupletior, secundum §. 2.

Excipitur tamen donatio remuneratoria, vel necessaria. Nimirum donationem dividimus in simplicem, quæ fit ex mera & sola liberalitate, & remuneratoriam necessariam, quæ salva eximiatione omitti nequit, e. g. quam sponsus facit sponsæ. Posteriore casu, si quis rem alienam donat, omnino fit locupletior, dum suæ rei parcat, adeoque tenetur ad restituendum, per reg. 2. §. 2.

§. 8.

§. 8.

Quæst. 6. Si quis rem alienam emptam iterum vendiderit, an restituere debeat vero domino pretium?

Resp. aut eodem pretio rem vendidit, quo emit, tunc nihil restituit, quia nec rem habet fec. reg. 1. §. 1. nec locupletior factus per reg. 2. §. 2. Aut majore pretio vendidit, quam emit, tunc lucram debet restituere, quia in tantum factus est locupletior, per reg. 2. §. 2. e. g. emit quis anulum 20. florensis, cum iterum vendidit 30. florensis: tunc quia 10. florensis factus est locupletior, tantundem etiam restituit.

Sed hoc si non dolose alienaverit. Nam si quis b. f. rem alienam emit, & postquam intelligit, verum dominum vindicaturum, eandem dolose vendit, licet eodem pretio, quo emit, tunc totum pretium restituit, quia dolo jus naturæ non adssistit. Et hinc est, quod jure civili is, qui dolo possidere desistit, pro possessore habetur.

§. 9.

Qu. 7. an qui rem vero domino restituit, pretium ejus, quod ipse expendit, reposcere possit? n. 1.

Resp. minime, 1) quia ac *à perpetuo* quidem exigere potest, §. 1. n. 5. ergo multo minus pretium, 2) quia dominus non esset dominus, si rem suam de novo emere & pecunia sua dominium ejus recuperare deberet. 3) Quia emptor rei alienæ, si in b. f. sit, potest ab auctore vel venditore suo pretium repetere, quippe qui ei ad evictionem tenetur.

Excipit tamen A. casum, si ne dominus quidem rem suam recuperaturus fuisset, sine pretio quodam oblato, tunc illud b. f. emptori solvi nequissimum esse. E. g. adferri aliquis jussit merces ex India. Piratæ navem intercipiunt, & merces vendunt. Mævius b. f. aliquas res emit: verus dominus eas vindicat. Tunc æquitas suadere videtur, ut partem pretii restituat emptori, quia sine *λύτρον* vel pretio res suas ne a piratis quidem recepisset.

Ita Grotius. Sed ego distinguere mallem inter regulas justæ & honestæ. Ex regula honestæ res certa est, non autem ex regula justæ, quæ dominum non jubet res suas bis emere. Hinc laudabitur ejus virtus, qui partem pretii restituet, sed non dicatur injustus, qui non restituet. Qui enim jure suo utitur, nemini facit injuriam.

n. 2. Hinc consecutaria quædam eruit A. veluti 1) quod qui impensas alieni funeris fecit, eas jure ab heredibus repetat, quia hi facti locupletiores, 2) quod negotiorum gestor lucri causa aliena negotia administrans tamen jure repetat tantum, in quantum absens factus locupletior. 3) Quod ei, cujus res navis levandæ causa jactæ sunt, reliqui quorum res servatæ merito teneantur ad contributionem secundum L. Rhodiam de jactu. Dum enim alterius detrimento res suas servarunt, facti sunt locupletiores. Sed hæc facilia & ex ipso jure civili nota.

§. 10.

Qu. 8. Si rem alienam emerim b. f. & post-

postea, ubi intellexi, dominum eam vindicaturum, eam restituerim venditori, ut mihi pretium redderet: an ita liberor?

Neg. 1) quia dolo possidere desii, doctore J. N. non adfuit. 2) Quia obligatio restituendi adest, simulac comperi, rem esse alienam. Per reg. 1. §. 1. Dum ergo rem non domino restitui, furtum commisi.

§. 11.

Qu. 9. An qui rem alienam, cujus dominus ignoratur, possidet, eam teneatur pauperibus dare? Ita vulgo docent Casistæ, Cajetanus, Soto & alii.

Sed Jus N. id non docet, 1) quia in re aliena nulli jus est, præter Dominum.

1) Quia ubi dominus ignoratur, ibi nullus adesse videtur dominus. Non esse enim & non apparere in jure pari passu ambulat. 3) Quia in dubio melior conditio est possidentis.

Interim uti semper pium est, benefacere pauperibus: ita & res inventas illis concedere pium est, modo ne quis existimet, pauperibus jus aliquod esse, illas sibi vindicandi.

§. 12.

Qu. 10. an quod ob turpem causam datum, restituendum sit causa non sequuta?

Neg. I. Quia res non est aliena, quippe cujus dominium ipse verus dominus in accipientem transfudit. 2) Quia licet conditionaliter data sit, si quid turpe fiat: tamen implementum hujus conditionis exigere non potest dominus, quum sit

408. *Lib. II. Cap. X. De Obligatione &c.*
contra leges, adeoque moraliter impossi-
bilis.

Quia tamen jure conditio impossibilis
contractui vel pacto adjecta, contractum
reddat nullum: hinc nec accipiens rem ob-
turpam causam acceptam retinere potest.
Et hinc plerumque illa a magistratu vel
Fisco in poenam eripitur.

§. 13.

Qu. II. An res alienas pretio oblato re-
tinere invito domino possimus?

MEDINA de restitutione qu. 10. id affir-
mat, si res sit fungibilis. Grotius autem
refellere conatur Medinam, & dicit in re-
bus fungibilibus tantundem esse idem, si
consensus domini accedat, e. g. in mutuo,
non autem invito domino.

Sed Medinæ decisione nihil æquius est.
Nam certissimum est, res fungibiles non
admittere pretium affectionis. Demonstra-
vit id THOMASUS sing. diss. de pretio affe-
ctionis in res fungibiles non cadente. Jam
ubi nullum est pretium affectionis, ibi tan-
tundem est idem.

Quam ridiculus esset, qui mihi indigna-
retur, quod ei ejusdem bonitatis, quanti-
tatis & fabricæ chartas restituerem, non au-
tem eam ipsam, quam a tertio b. f. eme-
rim? Hinc hodie omnes auctores adsen-
tiuntur Medinæ contra Grotium, cujus de-
cisio tunc demum justam habet rationem,
si vel ulla in rem cadere potest affectio.

CA-

C A P U T XL

De Promissis.

§. 1.

Supra diximus, alium esse modum adquirendi, alium titulum. Modus acquirendi est causa dominii proxima: titulus est causa ejusdem remota. Ille jure civili tribuit jus in re; hic jus ad rem: ille producit actionem realem; hic personalem: e. g. si prædium emtum mihi traditum est: traditio est modus acquirendi, titulus emtio.

Quum itaque supra actum de modis acquirendi: sequuntur jam varii tituli. Inter quos primus est pactum vel promissio.

Agit auctor

1) de modis promittendi §. 1. 4.

2) de personis promittentibus §. 5. 7.

3) de rebus quæ promittuntur, §. 8. 9.

4) De promissionibus per alios factis §. 10. 13.

5) de acceptance §. 14. 15.

6) de effectu promissionum §. 16. fin.

I. De modis promittendi notum est, n. 1. promitti aliquid posse vel per modum pacti nudi, vel per modum contractus. Per modum pacti, si res futura promittitur, per modum contractus, si præsens adest obligandi causa, quam veteres vocant *ὀφειλόμενον*. Jam itaque

1) Queritur, an & nuda pacta sine causa

caussa presentis, ubi nullum est *συνάλλαγμα*, obligent?

Si de jure civili Romano quaestio esset, facile responderetur, pacta nuda nec obligationem nec actionem producere, sed exceptionem tantum ex edicto praetoris. At hic non queritur de jure civili, sed naturali: Omnes agnoscunt, J. N. inter pacta & contractus quoad effectus nullam esse differentiam. Solus FRANE. CONNANUS, qui *commentarios juris civilis* satis doctos scripsit, l. r. c. 6. & l. 5. c. 1. in alia omnia ita statuitque, nec J. N. pactum vel promissionem nudam producere obligationem.

n. 2. Ejus argumenta haec sunt 1) quia hic in pari culpa versentur promittens, & is, cui promittitur: ille, quia sine justa causa praesente promittit, hic quia temere promittenti credit.

2) Quia ita periculum imminet omnium fortunis, & saepius homines ex temeritate & ostentatione, quam animo deliberato promittant.

3) Quod alias nullum esset discrimen inter honestum & justum. Honestum esse, hujusmodi promissa servare, sed non injustum, si non serventur. Videri haec singulorum virtuti & pudori relicta.

4) Quod saepe promissa ipsi stipulanti sine inutilia, & hinc & ob eam causam cesset obligatio.

Ergo inde concludit Connanus J. N. nullam promissionem obligare, sed tantum ex legibus civibus. Has autem non pactis nudis adistere, sed contractibus tantum.

Cete-

Ceterum id falsum esse, multis argumētis demonstrari posset. Grotius utitur

1) argumento ab absurdo, & ita ratiocinatur: Si verum est, pacta nuda J. N. non valere, tunc sequitur, ut nec foedera inter gentes ullius momenti sint: nam ea plerumque in sola futuri promissione consistunt. At posterius est absurdum, E. & prius.

2) Simile absurdum inde deducit, dum ita argumentatur: Si pacta J. N. non valent, tunc obligationem suam nanciscuntur ex Legge. Atqui lex ipsa in civitatibus democraticis est pactum, *lib. 2. ff. de LL.* Pacta ex mente Connani est invalidum. Ergo pacta quaedam valent, ob pacta, quæ non valent. Quid absurdius excogitari posset?

3) Supra demonstravimus, ipsum dominium in alium transferri sola voluntate nostra. Quidni & obligatio personalis?

4) Idem Grotius demonstrat ex consensu sapientum, eamque in rem laudat testimonia J. Ctorum *L. 1. de part. L. 1. de pecun. constit. &c.* Ciceronis, Horatii, Platoniorum. Sed hic quidem consensus sapientum tantum abest, ut jus faciat, ut negotiorum quidem consensus, uti saepe diximus, pro jure sit.

Potius itaque videbimus, quid ad Connani argumenta respondendum sit. Ea hoc ordine refellit Grotius, ut 1) præmittat 3. gradus promissionum, quos vulgo confundunt, n. 5. deinde vero 2) singula argumenta expendat n. 4.

I. Primus gradus est assertio, explicans de futuro animum, qui nunc est. Et hic

est actus *μονόπλευρος*, unilateralis, ex quo nemini jus nascitur. E. g. si inter sermones familiares dixerim, Titium aliquando heredem instituiam. Hic tantum explicavi animum meum, quid futurum me statuerim, sed nihil promitto.

Et de hoc primo gradu observandum *voluntatem hominis ambulatoriam esse usque ad mortem*, nec ulli fieri injuriam, si Titium heredem non scribam. Ratio duplex est, 1) quia ex actu *μονόπλευρος* nemini jus quaesitum est, ut possit mutationem hanc impedire. 2) Quia nemo sibi ipse legem dicere non potest, a qua recedere non liceat. Legem enim ferre est superiorum, legi parere inferiorum. Nemo autem ratione sui ipsius vel superior est, vel inferior, E. nemo sibi ipsi legem dicit, adeoque semper quis voluntatem suam mutare potest.

II. Secundus gradus est, quando voluntas non solum explicatur, sed & determinatur, & ea determinatio certo & perspicuo signo explicatur. Hic quoque est actus *μονόπλευρος*, & J. N. nos obligat, sed alteri jus nullum est rem a nobis exigendi. Dicitur alias pollicitatio. E. g. vocato notario cum testibus declaro, me Titio aedes donatas velle. Titius non adest, nec acceptat. Unde non pactum est, sed pollicitatio. Queritur, an obligatus sim? Sine dubio, turpe enim est promissa non servare. An autem alter habet actionem ad aedes a me exigendas? Minime, quia est actus *μονόπλευρος*, ex quo nullum alteri jus quaeritur.

Si

Si objicias, absolum videri, me obligari, alteri vero non esse jus exigendi: facilis est responsio, omnia officia imperfecta obligationem producere, sed non dare jus exigendi: e. g. obligatus sum ad eleemosynas dandas, sed non ideo pauper eas a me jure exigit.

§. 4.

Tertius gradus est, ubi voluntas de futuro non solum determinata est, & luculento signo explicatur, verum etiam ab altero acceptatur. n. 1.

Hic autem actus *διπλῶς* vel bilateralis est, & inde alteri jus nascitur, & plena ex parte nostra obligatio.

Ratio est, quia tum hoc modo paciscimur, aut dominio nostro nos abdicamus, quod fit promissione de dando aliquo, vel libertatis nostræ parti renunciamus, quod fit promissione de faciendo. Atqui quilibet potest juri in sui favorem introducto renunciare, & ad renunciata tunc non datur regressus.

Id illustrat Grotius ex ipsa Scriptura S. ubi 1) dicitur ipsum Deum promissa violare non posse; quanto magis homines, qui legibus subsunt? 2) Salomon dicit, promittentes illaqueari verbis oris sui. Prov. V. 1. 2) Promissum Ebraice dicitur *תּוֹבַע* Ofereth, *vinculum*.

Jam itaque ad Connani argumenta. n. 2. 3.
Primum est, in pari culpa versari promittentem & eum, cui promittitur. Resp. Verum idesse, si non deliberato animo, non serio, sed per sermones & jocum fiat promissio.

Et hinc deget Rom. stipulationem, tanquam certum signum promissionis seriae constituisse. Enimvero inde non sequitur, ut sine stipulatione promissio non possit esse seria & ex deliberato animo certoque consilio profecta. Jam itaque respondemus. Si paciscentes in pari culpa sunt, & alter temere & non serio promittit, alter temere promittenti credit, tunc concedimus nullam esse obligationem. Ast quis dixerit, pactum nudum esse promissionem temerariam & minus seriam?

Alterum argumentum nullius momenti est. Dicit inde magnum fortunis nostris imminere periculum, quia prompti sint homines ad promittendum. Resp. prompti sunt homines ad promissiones, & 2. generis, sed inde nullum imminet fortunis periculum. Primi enim generis promissio potest revocari, alterius generis nullum tribuitur exigendi. Ad tertii generis promissa non magis prompti erunt homines, quam ad contrahendum, si noverint, obligationem inde nasci.

Tertium ergo plane nihili est. Sic futurum putat Connanus, ut nihil discriminis superfit inter iustum & honestum. Sed quidni? An non multa alia sunt officia misericordiae, liberalitatis, gratitudinis, quae ex solis honestatis regulis fluunt?

Denique quartum argumentum fere ridiculum est. Possunt pacta nonnunquam utriusque inutilia esse. E. non producant obligationem. Nam 1) idem dici potest de contractibus, quis enim neget e. gr. contra-

tractum emtionis venditionis utriusque aliquid quando inutile esse? & tamen ea ex mente ipsius Contractantis obligationem producit.

2) Si utriusque inutile erit pactum, tunc illud possunt mutuo dissensu tollere.

Maneat ergo certum fixumque, nullum esse J. N. inter pacta & contractus discrimen, sed illa &que, ac hos obligare, modo sint seria, & ex animo deliberato profecta.

§. 5.

Pergimus ad alteram partem hujus capituli de personis promittentibus, ubi regula generalis: In promittente requiritur rationis usus. Qui enim promittit, debet animum habere vel dominio, vel libertati suae naturali renunciandi. Illum animum habere nequit, qui rationis usu destituitur. Ergo hic pacisci & promittere non potest. Ex quo sequitur

1) Ut amentis, furiosi, infantis promissio nulla sit. Circa furiosum tamen observanda exceptio. Nam saepe sunt dislicita furoris intervalla. Quam ergo his durantibus furor cesser: quaeri potest, an tunc promittere possit furiosus? Plerumque id indistincte affirmatur. Sed rectius distinguitur inter actum *transientem*, & qui explicari statim potest, e. g. donatio, emtio venditio, & *permanentem*, ubi actio explicanda per distinctas praestaciones, e. gr. promissio matrimonii, patrocinii forensis &c. Ille a furioso expediri potest, durante dislicito intervallo; hic non potest. Vid. BOUEND. de J. N. & G. l. 3. c. 5. §. 3.

2) Ut minoris promissio valida sit.

Quam

Quamvis enim jus civile minorenni concedere soleat restitutionem in integrum: id beneficium tamen ignorat jus naturæ. Minor enim non destituitur ratione, scit, quid agat. Ergo saltem naturaliter obligatur.

n. 2. 3.

Sed queri solet, quando puer ratione uti incipiat? Resp. id non J. N. Sed jur. civ. esse definiendum. Ratio est, quia jus nat. non nisi regulas universales suppeditat. De hac re autem nihil universaliter statui potest. Nam pro diversitate ingenii, temperamenti, patriæ vel climatis, alii citius adolescunt & sapere incipiunt, alii tardius. Jus civile ergo hic sequitur id, quod in singulis locis ut plurimum fit.

An, cum jus civile circa eam rem non sit ubique idem, quid obtineat, si diversarum rerump. cives contrahant? Et resp. Sequendum esse jus loci, ubi contrahitur. Ergo si in mari, vel in insula contrahatur, ubi nulli coloni reperiuntur, tunc res redit ad simplicitatem J. N. adeoque non ad ætatem contrahentium respicitur, sed disquiritur, an contrahentes usum rationis habuerint, cujuscunque ætatis sint.

§. 6.

n. 1.

Secundo in promittente requiritur, ut velit promittere. Voluntati vero obstant error & metus, hinc de illo §. 6. de hoc §. 7. agitur.

Notum est, quam multa J. Ci præcipiant de errore circa substantiam & accidentia contractus, de dolo dante causam contractui

Ami & incidere, de contractibus b. f. & stricti juris.

Sed hæc omnia cum sint juris mere civilis: merito quaeritur, quid hic statuatur J. N.

Grotius existimat, omnem errorem, sine culpa nostra admissam, promissum vitare. Idque probat

1) a simili. Si lex fundatur in præsumptione facti, quod factum revera se ita non habet, ibi lex non obligat. E. g. in L. 1. C. de serv. fugit. Dicitur, si mancipium reip. sollicitatum aufugerit, tunc sollicitatorem non modo daturum premium, sed & defensorem civitatis adactum iri ad n. 2.

2) mancipia restituenda. Cur? fundatur ea lex in præsumptione, quod defensor civitatis negligens fuerit, in persequendo mancipio. Si jam ergo demonstrari potest contrarium legis, nulla erit obligatio. Quum itaque hoc circa legem obtineat, idem etiam obtinebit circa legem, pacta & promissa, ut si fundata sint in præsumptione certæ qualitatæ, si ea non adsit, obligatio quoque cesset: e. g. promitto centum pro poculis argenteis, fundo hic promissionem in eo, quod pocula sint argentea. Si ergo aenea sint, merito cessabit obligatio.

2) Idem probat inde, quia omnis promissio certa ratione conditionalis est. Promittimus enim sub conditione, si hæc rei qualitas adsit. Jam conditionale promissum non existente conditione non obligat, ergo nec promissum ab errante factum.

At hanc regulam fere destruant excep- n. 2.
tio-

ptiones. Nam 1) promissum errantis obligat, si ipse sua culpa errarit rem non recte considerando. E. g. vendebat aliquis aedes: emtor omnes ejus partes viderat, & placuerant. Postea errasse se dicebat circa materiam, putasse se totas aedes esse lapideas, quum partes superiores sint ligneae. Erraverat hic sua culpa.

2) Si erratum in re, in qua promissum non fundatur. e. g. Emit aliquis equum, putavit eum esse Holsaticum, jam Frisius adparet. Si cetera recte se habeant, frustra ad hunc errorem provocatur.

Ergo rectius dicitur. In dubio semper error nocet erranti, nisi 1) sit error invincibilis 2) alterius dolo excitatus.

§. 7.

n. r. 2.

Jam de metu quaeritur, an is pactum vel promissum vitiet? Veteres Jcti existimabant, promittentem ex metu obligari: postea praetor dabat restitutionem in integrum vel actionem quod metus causa. Ergo jure civ. stricto metus actum non vitiat, sed jure praetorio rescinditur.

Ratio repetenda ex philosophia Stoica, cui dediti erant Jcti. Nam Stoici statuebant, sapientem affectibus carere omnibus, cum nec metuere, nec sperare, nec gaudere, nec latari: si in Pholaridis tauro sit, tamen dicturum; eja quam suave est, quum nihil curo. Hinc colligebant, eum qui metuit, non esse sapientem, sed stolidum, stolidum autem non debere fructum capere stultitiae suae.

Jam omnes existimant, hanc ratione carere,

vere, idque luculenter demonstravit GUNDELINGUS in tractatu de efficiencia metus. Et tamen Grotius defendit sententiam Stoicorum & Juristarum, putatque, ex metu initum pactum omnino obligare. Rationes has habet 1) quia hic revera fit consensus. Coacta voluntas etiam est voluntas, imo quam maxime voluntas. 2) Quia hic non est consensus conditionatus, sed purus. Vult enim se a periculo liberare.

Posset objici, dari tamen restitutionem in integrum. Resp. Grotius. Id esse ex jure civili. Hoc saepe actus justos rescindere ob reip. utilitatem, e. g. contractus minorum: &c.

Sed hæc doctrina non est publici favoris. Metus est affectus, qui non in stultos solum cadit, sed in sapientissimos quoque. Repræsentato enim malo futuro, & difficilius declinando, necessario metus oritur. Jam ergo non quaeritur, an ego consenserim, sed an alteri jus fuerit metum incutiendi, eoque modo consensum eliciendi. Si illi jus est, tunc & promissum metu extortum valet, e. g. si debitor morosus metu carceris promittat, se intra octiduum soluturum. Sin alteri nullum jus est, promissum quoque nullum est. Hinc alio tempore allegavi elegans epigramma MARCEALIS lib. 2. ep. 59.

Quid si me torser, dum stricta novacula supra est?

Tunc libertatem divitiasque roget,
Promittam, nec enim rogat illo tempore torser.

Latio rogat, res est imperiosa timor.
 Sed fuerit curva cum tuta novacula theca,
 Frangam tonfori crura manusque simul.
 Hanc doctrinam ipse auctor agnoscere te-
 netur in verbis §. 2. *Sed illud simul verissi-
 mum censo &c.*

§. 8.

2. 1. Sequitur pars III. Capitis de materia vel
 re, quæ promittitur. De ea primo notanda
 regula: Res promissæ debent esse in pote-
 state promittentis. Si enim non sint in po-
 testate illius, sunt impossibiles. Impossibi-
 lium autem nulla est obligatio. Hinc sequitur

1) Rerum illicitarum promissionem esse
 nullius effectus. Unde enim nascitur obli-
 gatio promittentis? Ex jure nat. quod di-
 cit pacta sunt servanda. At idem jus pro-
 hibet res illicitas. Ergo fieri nequit, ut
 idem jus simul prohibeat homicidium, &
 tamen promittentem homicidium adigat,
 ut promissum præstet.

2. 2. 2) Inde sequitur, ut valeat promissio
 rei futuræ, & nondum existentis. Quam-
 vis enim jam non sit in potestate promit-
 tentis, sufficit tamen, quod in posterum
 esse possit.

3) Ut si promiserit quis factum alic-
 num, non teneatur nisi ut omnem diligen-
 tiam adhibeat. Impossibile est enim alic-
 nam operam præstare. E. g. promitto hanc
 virginem tibi nupturam.

2. 3. 4) Ut non valeat promissio matrimoni
 a conjuge facta. Auctor quidem contrarium
 sentit, & existimat jus civile solum rescin-
 dere hanc promissionem, quum tamen exi-
 tum

non habere possit. Sed probe tenendum, hanc promissionem J. N. repugnare, quia promittitur res illicita, matrimonium nimirum ab eo, qui id inire non potest. Si dicas, promittitur res futura, an eum eventum, si casus extiterit. Respondeo, & hanc promissionem turpem esse, quia ita sperat & optat conjugis mortem, cui per omnem vitam se præbiturum promisit.

Accedit & alia ratio politica. Nihil enim periculosius est hujusmodi promisso. Non enim moriente conjugis, promittens facile eo adduci se patitur, ut manum illi inferat, & manu evacuet thalamum.

§. 2.

Quæritur porro, an valeat promissum rei natura vitiosæ? Id recte negatur, quia, uti jam dixi, non potest J. N. adistere promisso facti, quod ipsum jus nat. prohibet.

Ex quo sequitur, ut hujusmodi ex promisso nulla nascatur obligatio. Hinc nec qui assassinium promisit, tenetur ad solvendum. Pactum enim nullum est: rei nullius autem nulli sunt effectus.

Ast & hic dissentit auctor, & putat id quidem verum esse de pacto non impleto: si jam alter pacto satisfecerit, ei omnino prout debetur, idque probat exemplo Judæ, qui Thamari, quam meretricem putabat, conventam mercedem solvit. Gen. 39, 11.

Sed exempla non probant jus. Sufficit, quod hujusmodi pactum nullum sit, si nullum est, nullam potest producere obligationem. Persolvit ergo Judas mercedem fornicationis promissam, sed non persolvere

de

debuisset, si nolisset. Uterque paciscens autem obligatur ad pœnam.

§. 10.

Quæritur quid sentiendum de promissione rei jam tam debitæ? e. g. debitor debet jam antea 100. & jam creditori solutionem promittit.

Resp. Tanto magis debet, quia ad vetus debitum accedit nova obligatio ex promisso. Si promissio per stipulationem fit, tunc jus civile fieri dicit novationem quia quum antea deberetur ex contractu mutui, jam deberi incipit ex stipulatione. Sed hoc jus nat. ignorat, quia omnes contractus sunt ejusdem generis. Idem jus civile si pactum nudum repetatur, id vocat Pecuniam constitutam. Sed & id J. N. ignorat, quia, ut supra demonstravimus, non differunt pactum & contractus.

Sed quæritur, si vi creditor debitori suo extorqueat promissum, an tunc obligatio nascatur? Resp. minime, quia hæc est vis injusta. Sed an ideo a solutione liberatur debitor? Non, quia jam ante promissum debuit. Puniendus tamen, qui vim adhibuit, pro modo circumstantiarum.

§. 11.

Jam sequitur quarta pars capituli de promissione per se vel alium facta. Potest quis promittere vel per se, vel per alium.

Si per se, tunc requiritur certum signum vel actus externus, ex quo voluntas promittendi colligatur, id est, verba, litteræ &c.

Addunt nonnunquam jura solemnitatem, e. g. apud Romanos questionem ad res pon-

positionem congruam, id est, stipulationem, apud veteres Germ. manus oblationem. Sed hæc signa non sunt J. N. quia sunt arbitraria, & apud diversas gentes diversa. Sufficit J. N. si mens & consilium adsit promittendi, idque consilium eluceat ex signis externis quibuscumque.

§. 122.

An vero & per alium quis recte promittit? Resp. omnino, quia quod quisque per alium facit, illud ipse fecisse videtur, modo voluerit, alium pro se promittere, quæ voluntas ex MANDATO colligitur.

Id mandatum vel generale est, vel speciale. Generale, si quis alterum ei negotio præposuit, in quo opus sit contractibus & promissis. Unde scimus institorem contrahente jus civile dare actionem institoriam, magistro navis contrahente, exercitoriam. Speciale, si quis alterum mandato instruit, ad hoc pactum vel promissum suo nomine faciendum.

Ratione effectus ea differentia est, quod in generali ratum debeat habere, quidquid agit mandatarius, modo res ad negotium, cui præpositus est, pertineat. Ast speciale mandatum non ultra obligat dominum, quam mandavit: non ergo si mandatum excessit. Ratio est, quia illo casu alter qui cum mandatario nostro contraxit, nescivit, quam illi potestatem fecerimus: ast hoc casu id satis scit ex procuratorio vel mandato.

Rem duplici exemplo illustrat Grotius. Quod speciale mandatum non obstringat
do-

Dominum, si mandatarius limites mandati transcederit, patet exemplo legatorum. Legatus duplici munitus mandato agit, 1) litteris ad Principem vel republ. directis, quæ vocantur *litt. creditiæ*. In illis rogatur Princeps, ut huic ministro nostro fidem habeat, tanquam ipsi mandati. 2) Litteris ad ipsum legatum directis, *de instructione*, ubi præscribitur legato, quantum promittere debeat, vel concedere alteri parti. Quid si fines hujus instructionis transcederit? Tunc non est pactum, sed sponsio, & tunc vel legatus dixit, se non esse instructum, sed promittere sub spe rati: tunc nulla ei, cui promissum, debetur satisfactio: aut simulavit, sibi instructionem esse, & promisit: tunc debetur satisfactio. Apud Rom. illa in eo consistebat, quod legatus nudus, revinctis in tergum manibus traderetur alteri parti. Exemplum est in sponsione Numantina & Caudina apud Livium, de quibus alio loco.

§. 13.

Alterum exemplum, quo docet generale mandatum mandantem obligare ad omnia rata habenda, est actio exercitoria & institoria. Institor enim & magister navis sunt mercatores generales certis negotiis præpositi. Inde sequitur, ut quod ratione istius negotii cum illis agitur, id ipse dominus egisse videatur.

Aut ego actiones exerc. & instit. sunt J. N. Resp. omnino, sed qualitas tamen quadam his actionibus accessit ex J. civili, nempe quod singuli præponentes teneantur

neantur in solidum. Et hinc apud Hollandos id non receptum esse monet, ne homines negotiatione maritima absterreantur.

§. 14.

Quinta capituli pars agit de acceptatione. Hoc opus esse, facile probatur. Pactum est negotium bilaterale. Ergo non sufficit unius consensus. Si ergo utrumque consentire decet: alterius sane est promittere, alterius promissum acceptare.

Ea vel expressa est, quæ verbis post permissionem declaratur, vel tacita, quæ ex antecedente rogatione colligitur. Nam si ego rogo centum, alter eos promittit, in antecessum videor accepisse: modo tantundem promittatur, quantum rogatum. Nam si rogatus centum, promittam viginti, acceptatione speciali opus est.

Obiiciunt: atqui pollicitationem reipublicæ factam sine acceptatione obligare. Vid. *tit. ff. de pollicitat. Resp. A.* id juris civilis esse. Possent addi, revera hic loco reipubl. ipsam legem promissum acceptare, quemadmodum & acceptat pro pupillis, & amentibus.

§. 15.

Quæri etiam solet, sufficiatne acceptationem factam esse, an præterea requiratur, ut innotescat illa promittenti? Subtiliter *A resp.* videndum esse, quid actum sit, nam posse utraque sub conditione conveniri, si alter acceptet, & si innotuerit, illum accepisse. Deinde videndum aut, an promissio sit mutua, an unilateralis. Ibi
ne-

necessarium esse, ut mihi innotescat acceptatio, hic præsumi, illum acceptasse.

Sed non opus est his ambagibus. Semper requiritur, ut acceptatio mihi innotescat. Non esse & non apparere in jure pari passu ambulant. Sed innotescit mihi, vel per signa alterius expressa e. g. verba, litteras &c. vel per præsumtionem, si alter tam sit indigus, ut non possit adspernari promissum.

§. 16.

Agi jam incipit de revocatione promissi: Ea vero fieri potest 1) nondum sequuta acceptatione. Ea enim nondum facta, nondum est pactum, sed actus unilateralis, in quo voluntas ambulatoria est usque ad mortem, uti nuper demonstratum.

2) Mortuo eo, cui promissum, ante acceptationem. Quamvis enim obligatio ex promisso etiam ad heredes transeat: non tamen transit obligatio a defuncto nondum acquisita. Aliud si modo spes adsit, e. g. si sub conditione promissum, & defunctus acceptavit promissum.

§. 17.

a. i. 2.

3) Mortuo mandatario ante negotium explicatum. Mandatario, inquam, non internuntio vel tabellario: quia in mandato industria personæ eligitur.

Prolixus hic est auctor in ratione hujus juris investiganda, eamque in eo quaerit, quod illius verbis posita fuerit obligatio. Hinc no. 2. addit A. si præsumtio sit, mandantem voluisse mandatum valere, etiamsi moriatur mandatarius. Qualem præsumtionem adesse

adesse existimat in legatis & promissis ad
pias causas.

Sed hæc nihili. Non valet promissum,
nec factum, nec acceptatum. Mandataris
promittentis mortuo, nec factum est pro-
missum nec acceptatum, E. non valet,
nisi id per alium fieri jubeat mandans.
Præsumtio hic nihil operatur, quum man-
dans dum non per alium promittit, satis
declarat, se jam nolle promittere. Et do-
ctrina de causis piis maxima ex parte
pontificiis principiis superstructa est.

§. 18.

An & acceptatio fieri potest per alium?
Hic non queritur de alio, cui mandavi,
id enim extra dubium est, sed de eo, qui
pro me sine mandato acceptat.

D. I. 2.

Distinguit Grotius, mahine promissum
sit, an alteri. Si mihi, tunc solvendum
esse, quod alterius bono acceptavi, sin
alteri, tunc demuo distinguendum putat,
an mandato acceptandi instructus sim,
nec ne. Posteriori obligatum esse promit-
tentem, sed alteri jus non nasci, nisi ra-
tam habuerit acceptionem.

Jam videbimus exempla. Dixit ali-
quis: promitto tibi, me fratri tuo si-
liam uxorem daturum. Ego accepto. An
recte? Omnino, quia non fratri, sed mihi
promisit. Contra dixit aliquis: promitto
fratri tuo, me ei filiam uxorem daturum;
hic fratri promittitur, si ego mandato in-
structus accepto, valet promissum. Sin sine
mandato: promittens obligatur, sed fratri
cum demuat, jus nascitur, si ratam habuerit

Hein. de Jure Belli, &c.

T ac-

acceptationem meam. Et id quidem rectissime. Non prius enim fit pactum, quam accesserit utriusque in idem placitum consensus.

§. 19.

Qu. an liceat & onus adjicere promissioni in meum vel tertii commodum?

Facilis responsio. Si id fiat ante acceptationem, licet. Nam alteri jus nondum quaesitum est. Si post acceptationem: id frustra fit, quia alteri jus per acceptationem quaesitum auferre nequit.

Immo quum alias rogatio antecedens pro acceptatione sit, hic tamen res secus se habet. E. g. rogo, ut mihi filiam despondeat, si soror tua nupserit fratri meo. Hic non prius obligatur promittens, quam aliter hoc onus acceptarit.

§. 20.

Qu. an promissum cui error, metus, &c. causam dedit, possit convalescere? In jure civ. in multis valet regula: Quae ab initio nulla sunt, ea ex postfacto non convalescunt. Ast promissa convalescunt.

1) Si causa cesserit. E. g. Titius promisit Maviz matrimonium, quia putavit, eam possidere viginti millia: postea adparet, eam ne mille quidem possidere. Interim ea ab agnato heres instituitur, & accipit 20000. Fingamus nulla fuisse sponsalia ob errorem, non amplius tamen nulla erunt, cessante erroris causa.

2) Si nova accedat paciscendi voluntas. E. g. Titius ambiens munus publicum, a patrono cogitur promittere matrimonium

Ti-

Titiz. Postea opponit exceptionem, quod metus causa. Interea personæ in gratiam redeunt, & Titius Titiam amare incipit. Videtur jam de novo rata habuisse sponsalia.

Sed unum moneo, hac questione, quod ad errorem attinet, raro opus esse, quia supra contra Grotium demonstravimus, promissum hujusmodi non esse ipso jure nullum, sed in dubio errorem nocere debere erranti. Quid enim imputari potest Titiz, si nunquam gloriata de divitiis, dives tamen ipsa est sponso?

§. 21.

Qu. an causa expressa opus sit ad validitatem promissorum? Notum est, jure civ. si alicui dederim chirographum, falsus sim, me ei debere centum, tamen non posse actionem ex hoc chirographo institui, nisi causa debendi, e. g. mutuum, emptio venditio, &c. expressa sit. An itaque idem J. N. exigit?

Resp. neg. quia J. N. mihi licet, dominium rerum mearum & sine causa ex mera liberalitate in alium transferre, e. g. donare, Jura civilia adinvenerunt, quia sæpe potest latitare causa falsa, & vitiosa, e. g. debeo tibi centum, nimirum ex alea. Jus nat. hanc subtilitatem plane ignorat.

§. 22.

Ultima questio jam occupata est. Questitur nimirum, an factum alienum promittens, eo non sequuto, teneatur ad id quod interest?

Neg. quia factum alienum promittens non ultra se obstrinxit, quam quatenus sibi

futurum sit possibile. Impossibilium enim nulla promissio est, Jam nihil amplius ei possibile est, quam ut omnem operam navet. Ergo ea navata liberatur.

Exceptio tamen est, 1) si dixit personam alterius in sua potestate esse, 2) si in dolo sit, 3) si promiserit indemnitate.

C A P U T XII,

De Contractibus,

§. 1.

HActenus de pactis: jam de contractibus. Quum vero jam supra demonstratum sit, pacta a contractibus ratione effectus non differre, existimari posset, frustra auctorem distincte de utrisque egisse. Sed quamvis non differant pacta & contractus J. N. ratione formæ, qua utrobique mutuus consensus requiritur, nec ratione effectus, quia utrobique nascitur obligatio: differunt tamen ratione objecti. Paciscimur enim de rebus omnibus, contrahimus tantum de rebus, quæ sunt in commercio. Hinc e. g. nuptiæ pactum sunt non contractus. Emptio venditio contractus & pactum J. N. dici potest.

Caput nostrum constat 3) partibus: Nam explicatur

1) quotuplices sint actus humani ad aliorum utilitatem tendentes, e. g. contractus? §. 1. 6.

2) quid contractus? §. 7.

3) quid

3) quid iustum circa contractus. §. 8. 26.
 I. Actus humani sunt vel simplices vel compositi, quos & §. 5. mixtos vocat.

Simplices sunt, ubi unus contractus est, e. g. emptio venditio.

Compositi: ubi negotiorum ex pluribus contractibus compositum & conflatum est, e. g. Loco alicui prædium rusticum, & pro pensione mihi stipulor dimidiam partem fructuum. Tunc negotium conflatum est ex locatione, conductione & societate. Unde huiusmodi conductor dicitur colonus partiarus. L. 25. §. 6. ff. loc. cond.

§. 2.

II. Simples denuo sunt vel benefici, vel permutatorii, seu onerosi.

Benefici, quando ex una tantum parte onus, ex altera commodum est, e. g. com-
 modatum.

Onerosi vel permutatorii, ubi par utrinque commodum & onus, e. g. in emptio-
 ne venditione.

III. Benefici vel meri sunt, vel mutuam habent obligationem. Meri, ubi nulla est alterius obligatio, e. g. mutuum, quo solus debitor obligatur, creditor nullo modo. Mutuam habentes obligationem, ubi uterque obligatur, unus absolute & simpliciter, alter ex accidente, e. g. in com-
 modato, deposito.

IV. Benefici meri aut in præsens absol-
 vuntur, si statim accedit traditio, e. g. si do-
 no, & statim trado, vel in futurum promi-
 neat, si promitto, sed differo traditionem.

V. Benefici qui cum obligatione mutua
 sunt,

sunt, aut de re sine allegatione disponant, uti commodatum, depositum, vel de facto, e. g. mandatam.

§. 3.

n. 1. Haecenus de actibus beneficiis, sequuntur onerosi, in quibus par utriusque commodum & incommodum. Hi VI. vel dirimunt partes, vel communionem induunt.

Dirimtorii sunt tres illi, quos innominatos vocant J. C. i. do ut des, facio ut des, facio ut facias.

De communicatoribus videbimus §. 4.

n. 2. Nam antequam ad hoc progrediatur Auctor, quaestionem movet: an inter contractus nominatos & innominatos sit J. N. differentia?

In civ. multum differunt. Nam 1.) contractus nominati singuli suam producebant actionem: innominati omnes unam communem actionem habent praescriptis verbis. 2.) In contractibus nominatis locus non est poenitentiae, in innominatis locus est, &c.

n. 3. Sed recte negat auctor J. N. aliquid interesse. Nam 1.) quid aliud est emptio venditio, quam contractus do ut des? quid aliud locatio operarum, quam contractus do ut facias? 2.) utrique contractus aequae antiqui & naturales sunt: immo permutatio omnium antiquissima. 3.) Perinde est, si mihi pro re & facto meo pecunia numerata detur, si alia res, dummodo mihi satisfiat.

n. 4. Jam ergo singulorum contractuum dirimtoriorum specibus recenset auctor. Nam in contractu DO UT DES aut

1.) res.

- 1) res datur pro re, & tunc dicitur **PERMUTATIO**.
- 2) Pecunia pro pecunia, & tunc dicitur **CAMBIUM, COLLYBUS**.
- 3) Res pro pecunia, tunc dicitur **EMPTIO VENDITIO**.
- 4) Usus rei pro re, ut in pacto **ANTICHRETICO**.
- 5) Usus rei pro pecunia, ut in **LOCATIONE CONDUCTIONE**.
- 6) Usus rei pro re in eodem genere restituenda, **MUTUUM**.
- 7) Usus rei pro re in eadem specie restituenda, **COMMODATUM**.

Contractus FACIO UT FACIAS innumeras habere potest species, nec hæc singulare nomen admittunt, quia facta sunt innumera.

n. 5.

In contractu **FACIO UT DES**, aut datur pro facto

- 1) Pecunia, ut in **LOCATIONE OPERARUM**.
- 2) Aut pro indemnitate præstanda pecunia, ut in contractu **ASSECURATIONIS**.
- 3) Aut pro facto alia res, tunc retinet nomen **FACIO UT DES**, e.g. in **Advocato alienam causam agente**.

§. 4.

Verfamur adhuc in divisione contractuum, quorum alii benefici sunt, alii onerosi. Hoc iterum in diremptorios & communicatorios divisimus. De diremptoriis hætenus. Communicatorios quod attinet, ii vel res communicant, vel facta, vel utraque. Et tunc

inde nascitur contractus. SOCIETAS. Ea prout varii sunt fines varia acquirit nomina. Sic si plures coeunt vitæ communis & devotionis causa, vocatur COENOBIVM, si mercatorum causa, eene COMPAGNIE, si navigationis causa, eene ADMIRALITÆT.

§. 5.

Hi sunt contractus simplices, sequuntur compositi vel mixti, 1) quando negotium non ad unum contractum referri potest, sed ex pluribus veluti conflatum est. E. g. Vendo Martio ædes, sed ipsi remitto dimidiam pretii partem. Sic mixtura venditionis & donationis. Fabro promitto mercedem, ut mihi ex suo ligno domum construat, habemus negotium mixtum ex locatione & emtione. Sic & cambium ex variis contractibus conflatum. Inter remittentem & trassantem est contractus do, ut des, inter trassantem & præsentantem partium cessionis, inter præsentantem & acceptantem constitutum, inter trassantem & acceptantem mandatum.

§. 6.

2) Sunt etiam mixti contractus, quando duo vel plures contractus conjunguntur, quorum unus principalis, alter est accessorius. E. g. mutuo accedere possunt contractus pignoris, fidei jussionis, chirographarius. Mixta esse hujusmodi negotia facile adparet: nam inter debitorem & creditorem intercedit contractus mutui, inter debitorem & fidei jussorem stipulatio.

§. 7.

Jam II. queritur, quid sit contractus?

Pau-

Paucis re defungitur Grotius, dum dicit omnes actus aliis utiles præter beneficos contractus esse.

Sed ea nec justa definitio, nec descriptio est.

Rectius dixeris, contractus est conventio super re, quæ in commercio est inita.

Dico *conventio*, nam id est genus, cui subsunt species binæ, pactum & contractus.

Addo *super re, quæ est in commercio*. Ita enim contractus differt a pacto, uti supra diximus.

§. 8.

Jam sequitur III. pars de eo quod justum est circa contractus? Hic præmittitur regula generalis: In contractibus debet esse æqualitas.

Id facile demonstratur. In contractu alter alteri quid præstat, quod ex legibus humanitatis non debet. Quicumque hujusmodi quid præstat, is jure suo exigit satisfactionem. Satisfactio est, ubi par pari refertur. Ubi id fit, ibi est æqualitas. E. in contractibus requiritur æqualitas.

Ea vero se exerit partim in actu contrahendi, partim in re, de qua contrahitur. Actus, vel contractum præcedit, vel ipsum contractum ingreditur. Jam de singulis.

§. 9.

Actus præcedens contractum, 1.) Ut alter alteri rei viam candidè aperiat. Id fieri oportere demonstro. Ostendimus §. 8. in contractibus requiri æqualitatem. Ergo contra justitiam agit, qui majus præmium sumit, quam res exigit. At majus præmium sumit,

T 5 qui

qui rei vitiiis dissimulatis pretium sibi solvi patitur rei haud vitiosæ, ergo tenetur alteri alter vitia indicare.

Hinc recte Græci utebantur proverbio: Contractus lumen decet.

Objici posset: neminem teneri ad veritatem dicendam cum suo detrimento conjunctam. Resp. id verum esse, si alteri neque perfectum, neque imperfectum jus sit, veritatem a me exigendi. Hic autem contrahens a contrahente hoc jure exigit.

n. 2.

Sed loquimur de rei vitiiis, non de circumstantiis, quæ rem ipsam non attingunt. Eas enim si dissimulat contrahens, non quidem satis humanus est, sed tamen nec injustus. Elegans exemplum apud CICERONEM est *L. 3. de offic. c. 12.* Vir bonus Alexandria magnum frumenti numerum advehit Rhodum, in summa annonæ difficultate. Si idem sciat, complures mercatores Alexandria solvisse, navesque in cursu frumento onustas petentes Rhodum viderit, dicturusne id sit Rhodiis, an silentio suum quam plurimo venditurus? Antipater putabat, eum id dicere debere, negabat Diogenes Babylonius.

Resp. inhonestum esse id celare, sed non injustum, quia hæc res non pertinet ad rei vitium vel interiorem naturam, quam solum debet indicare contrahens.

n. 3.

Deinde excipienda vitia, quæ vel in oculos incurrunt, vel aliunde nota sunt. Tale quid videmus,

1) Si vitia sint externa, e. g. ædes venduntur ruinosæ.

2) Si

2) Si ipse emtor rem paullo ante possedit. Quo pertinet exemplum ex eodem CICERONE l. 2. de off. c. 16.

3) Si qualitas sit rebus omnibus communis, e. g. quod ædes sunt tributariz.

§. 10.

Deinde II.) & id contractum debet præcedere, ut sponte uterque decreverit contrahere. Si enim alter sponte, alter coactus contraheret, nulla inter contrahentes esset æqualitas. Hinc jam supra monuimus, contractum vi & metu extortum ipso jure nullum esse, si metus injuste excutiatur.

Perinde vero est, si vis sit explicita & crassa, siue implicita & subtilis, veluti si servus roget libertatem, dum novacula supra est, si medicus, dum cæci oculos ungit contractum celebrare suadet. L. 3. ff. de extr. cognit.

§. 11.

Hæc ergo præcedere debent contractum. Actus, qui ipsum contractum ingreditur, ita describitur a Grotio: Nemo contrahens plus exigit, quam par est.

n. 1. 2.

Nihil hac regula justius. Contrahens contrahenti debet satisfactionem, per §. 8. Qui minus dat, quam par est, is non satisfacit, & qui minus accipit, quam par est, ei non satisfacit, ergo tantum dandum, quantum par est.

Sed I) id locum tantum habet in contractibus onerosis, vel permutatoriis. In beneficiis enim alter in se solum onus sponte suscipit, adeoque hic nulla requiritur æqualitas pretii, quia pretium plane non intercedit.

2) In onerosis quoque cessat hæc æqualitas, si alter sponte quid de jure suo remittit. Sic e. g. Plinius sponte Corellia agrum minori pretio vendidit. *PLIN. l. 7. ep. II.* quo casu ne jus quidem civile rescindit contractum ob enormem læsionem, *L. II. C. de resc. vend.* quia læsus non dicor, si sponte aliquid remitto.

3) Etiã benefici contractus admittunt pretium. Non enim injustum est, commodantem, depositarium, mandatarium mercedem sibi stipulari, sed tantum contractus tunc in aliam speciem degenerat.

n. 2

Ceterum eleganter ex Chrylostomo observat Grot. eum qui contra hanc regulam peccat, furtum admittere. Quid enim aliud est acceptatio iniqui pretii, quam ablatio fraudulosa rei alienæ invito domino, luci faciendi causa facta?

Quod autem de Hermia narrat, eam ubi res venditis minoris judicata videretur, pretio aliquid adjecisse: id quidem laudandum, tanquam honestum, sed non injuste agit, qui tantum offert, quantum res judicatur, quia volenti non fit injuria: modo judicans pretium usu rationis polleat, justaque ætatis sit. Quid enim si plane donaret?

§. 12.

n. 1.

Diximus supra æqualitatem se exserere vel circa actum contrahendi, vel circa rem, de qua contrahitur (§. 8.) De actu contrahendi tum præcedente, tum ingrediente contractum hæcenus diximus: proximum est, ut rem ipsam, de qua contrahitur, consideremus.

Si

Si res sine culpa contrahentium vitiosa adpareat, id damnum contrahentes sibi invicem rescarcire debent. Ratio ex eodem fundamento fluit. Nam 1) quum in contractu requiratur æqualitas: (§. 8.) non sufficit pretium esse æquale rei, sed rem quoque oportet esse æqualem pretio. Non autem æqualis est, si vitiosa. 2) Regula justii est: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Jam venditor non vult defraudari justo pretio, ergo nec emtor debet circumveniri re vitiosa.

Objicitur: jus tamen Rom. non ob quodcumque rei vitium, vel quamcumque pretii inæqualitatem contractum rescindere, sed tantum ob læsionem enormem. L. 2. C. de resc. vend. Resp. 1) leges civiles non omnia ad vivum rescarcire possunt. Sufficit, modo illa vitia inhibeantur, per quæ detrimentum capere posset resp. 2) Interest reip. ne litibus innumeris fatigentur judices. Ergo nec expedit ei, ut ob quamcumque læsionem minimam actiones dentur.

Sed inde non sequitur, eum non injuste agere, qui vel in re minima alterum secum contrahentem læsit.

§. 13.

Supra diximus, regulam hanc de æqualitate proprie locum habere in contractibus onerosis: quæritur ergo, an in beneficis plane exsulet æqualitas?

Resp. non omnino. Nimirum distinguimus inter id, quod ex ipso contractu per se fluit, & quod ex post facto vel per accidens. Mandans e.g. non obligatur ex ipsa natu-

natura contractus, quia est gratuitus & beneficus: sed obligatur tamen per accidens, & ex postfacto, si mandatarius impensas fecit, tunc enim mandans ei debet indemnitatem.

Sed quæritur, si res commodata apud commodatarium perierit, an tunc teneatur resarciendum? Id adfirmat Grotius, modo res non fuisset apud ipsum dominum peritura: idque inde probat, quia commodans non solum rem alienam habeat, sed & utilitatem & commodum inde capiat. Verum perspicue falsum. Nam 1) casum nemo præstat, ergo nec commodatarius. 2) Utilitatem capit ex re aliena, sed volente domino gratis. 3) Si teneretur ad resarciendam rem, quæ periit, nihil interesset inter emptorem, qui pretium nondum solvit, & inter commodatarium, quod absurdum.

Ergo in contractibus beneficis nihil præstandum, præter culpam eamque vel majorem vel minorem, prout vel majus vel minus commodum ex hujusmodi contractu quis capit.

n. 2. Hinc non satis accurate A. dicit, hæc omnia quidem ex LL. Rom. congruere: sed ex æquitate naturali proficisci. Nam commodatarium casum præstare, nec æquitati naturali congruit, nec legibus Rom. L. 18. 19. 20. ff. commod.

§. 14.

Sed quæritur porro, quomodo justum rei pretium definiendum sit?

Grotius ejus fundamentum facit indi-

gen-

gentiam. Sed hoc fundamentum admodum vacillat: nec enim ea, quibus maxime indigemus, pretiosiora sunt. Quantum margaritis pretium fecit luxuria? quantum unioibus?

Nos itaque rem paulo accuratius expendemus. Pretium supponit 1.) rem alicujus usus esse, sive ad vitam commode exigendam, sive ad luxuriam, voluptatem, &c. Nam si nullius usus sit, nullius quoque pretii esse censetur.

2.) Supponitur rem non esse inexhausti usus. Si enim in tanta adsit copia, ut omnibus sufficiat, tunc, licet utilissima, nullum admittit pretium. Hæc vero rei tantum pretium aliquod conciliant. Quod autem pretium intenditur vel remittitur, id est

3.) ex raritate. Quo enim rarior res, eo carior. Rarior autem dicitur a.) quod non nisi rarius reperitur, ut ambra, adamantes majores. b.) quod copiosius quidem reperiantur, sed non nisi in regionibus distitis, ut piper, cinnamomum. c.) quod maximo cum periculo advehantur, e. g. per mare: d.) quod cum summo labore & periculo reperiantur, uti Mercurius, vel argentum vivum. e.) Quod res qualitatem quandam vel a natura vel ab arte humana accepit, quam nusquam vel raro alibi reperias.

Recte enim observat Auctor n. 2. habendam esse rationem laborum & expensarum, quos fecerint mercatores.

Hinc facile redditur ratio 1.) cur res ad luxu-

luxuriam pertinentes majoris vendantur quam frumentum, aliaque res utilissima. Quia nimirum illæ provida Dei cura sunt rariores.

2) Cur res vilius vendatur, si sit magna venditorum copia, magna ementium inopia? Quia tum non est rarior.

3) Cur libri Fisco addicti, hæreticorum, atheorum sint cariores? quia rariores.

4) Cur antiqua monumenta, numi, marmora, statuae, Codices MSC. tanto pretio vendantur. Quia rariores. Ea in re tam stulta nonnunquam est hominis affectio, ut res nihili æstimer, tantum quod antiqua, & rariores sint. Exstat eam in rem elegans LUCIANI *dialogus* sub titulo: *In indoctum & multos libros commentum.*

§. 15.

n. l. Jam de quibusdam contractibus speciatim agit auctor, & quidem de emtione §. 15. 16. 17. de locatione §. 18. 19. de mutuo §. 20. 22. de assècuratione §. 23. de societate §. 24. ad fin.

De emtione tria observat auctor I. quod per illam dominium J. N. sine traditione transferatur. Jure enim civ. aliud obtinere novimus, secundum quod non prius transit dominium, quam res tradita.

Pretii sententia facile probatur ex sine contrahentium. Qui vendunt id agunt, ut transferant dominium, & qui emunt, ut idem nanciscantur: Quum ergo uterque in dominium transferendum consentiat, quid opus est nova consensus declaratione per traditionem?

Ergo

Ergo statim omnino J. N. transfertur dominium, nisi aliter pacti sint contrahentes, quod fieri posse, nemo negaverit. Ex quo sequitur

1) ut facta emptione solutoque pretio J. N. res empta statim mea sit, ut a venditore alii vendi tradive nequeat.

2) Ut periculum statim ad emptorem pertineat, quia res perit suo domino. Hac recte coherent, quum contra Jus civ. neget, emptorem ante traditionem fieri dominum, & tamen concedat, periculum & commodum rei venditæ transire ad emptorem, quæ sane vix conciliaveris.

3) Ut male statuat Grotius, re bis vendita, ex duabus venditionibus eam validuram, quæ in se continuit præsentem dominii translationem.

2, 24

Quum enim ipse factus sit, J. N. traditionem non requiri, sed sine ea quoque transferri dominium: sequitur, ut prior venditio J. N. semper præferenda, altera vero indistincte nulla sit, sive traditio accesserit, sive non accesserit. Si enim posterior venditio nulla est, sane non juvabit emptorem, quod rem acceperit traditam. Venditori enim post priorem contractum nec vendendi nec tradendi potestas fuit.

Miscet E. hic Grotius, jus N. & civ. quod ad transferendum dominium requirit traditionem.

§. 16.

Alterum quod de emt. venditione tractat Grotius est questio: II. An & monopola concedi possint salvo J. N.

Mono-

Monopolium est privilegium, quo uni conceditur, ut soli, exclusis aliis, jus sit certas res in rep. vendendi.

Per se ergo & sua natura nihil habent iniqui. Si enim licet principi concedere privilegia, licebit etiam indulgere monopolium. Nec iniquius est, unum vendere, quam multos, dummodo iusta rerum copia pro iusto pretio venum proftet.

Ergo in se nihil vitii habent monopola, æque ac lusus, vinum. Uti vero lusus & vinum, utut in se bona, per accidentia mala fieri possunt, si quis iis male utatur: ita idem contingit in monopoliis. Ea mala sunt ob has causas,

1) quia sic non semper iusta prostat rerum abundantia.

2) Quia pretium a monopola plerumque statuitur enorme, idque pro lubitu intenditur.

3) Quia hic multis præripitur occasio, lucrandi victum, si omnibus interdicitur negotiatio, præter unum.

Hiscæ observatis facile respondebitur ad propositam quæstionem. Monopola J. Ne permissa sunt, modo hæc tria vitia evitentur. Nimirum 1) si non omnium rerum, sed earum, quibus non quotidie opus est, monopolium concedatur, e. g. gemmarum, unionum, aromatum, &c. 2) Si iustum monopolæ præscribatur pretium, quod ei excudere non liceat, 3) si ceterarum rerum, quibus quotidie opus est, ut frumenti, pannorum, lini, &c. negotiatio & commercium promiscue omnibus concedatur.

Cete.

Ceterum quod Auctor provocat ad Josephi monopolium, circa frumentum: id huc non spectat. Nam id non concessum unquam fuerat per privilegium, sed erat monopolium necessarium. Quum enim nusquam esset frumentum, necessario solus Pharaon vendebat. Talis casus etiamnum contingere potest tempore pestis, obfessionis urbium, &c. ut unus tantum rerum necessariarum copiam habeat. Tunc tantum abest, ut illi privilegio monopolias opus sit, ad res suas vendendas, ut magistratu ad vendendum cogi possit.

§. 17.

Postremum quod auctor observat, est III. quod pecunia in emtione venditione non functionem recipiat in materia sola, nec in speciali appellatione aut forma, sed in genere magis communi: id est, si rariores est pecunia, tunc ejus pretium intenditur, si copiosior, tunc remittitur. Nunc facile patet:

1) Cur olim tam parvo pretio vendita sint bona, nunc carissima? E. g. Thuringia saeculo 13. vendita est. 20000. florensis, quae hodie pro 100. millionibus non venderetur. Ratio est, quia Indiis nondum repertis autem argentumque erat rarius.

2) Cur tempore belli pecuniae pretium intendatur. E. g. in Germania, durante bello tricennali, unius thaleri tantum erat pretium, quantum hodie quatuor.

3) Cur in ditibus emporiis minores usurae dentur, quam in aliis locis. Sic e. g. in Hollandia maxima usurae habentur 3% vel

vel 4. pro 100. in Germania 6. pro 100
sunt usurae ordinariae.

Jam de locatione conductione, de qua
observat Grotius I. quod, uti in emptione
periculum statim transit ad emptorem, ita
& in conductione ad conductorem. Sed
hæc non ita liquida, adeoque paullo ac-
curatius expendenda sunt.

Periculum est vel in re, vel in fructibus.
De re certum est, ejus dominium non tran-
sire ad conductorem, adeoque cum nec ca-
sum præstare, sed solam culpam, e. g. si
ædes conductæ incendio deletæ sint.

Ast fructuum dominium transit ad condu-
ctorem. His ergo pereuntibus, damnum est
penes conductorem. Hæc facile intelligun-
tur. Sed jam porro observandum, locatio-
nem conductionem esse contractum, quo
merces datur pro usu rei. Ergo si re uti
potui, debeo mercedem, si uti non potui,
& merces cessat. Uti re, significat & fructus
e re percipere. Ergo distinguo an fructus
perciperim, an sine culpa mea percipere
non potuerim. Si percepi, fructus mihi
pereunt, e. g. si collecta messe horreum
incendio fatali consumitur. Si casu que-
dam, e. g. sterilitate, tempestate, locusta-
rum multitudine agros depascente nihil per-
cepi, tunc nihil debeo mercedis. Ratio pla-
na est. Quo jure enim locator hic pensio-
nem pro fructibus exiget, quos ne ipse qui-
dem, si non locasset, percipere potuisset?

Hinc recte jus civ. concedit conductori
remissionem pensionis ob damnum fatale.

L. 15. §. 1. seq. L. 25. L. 33. ff. loc. cond.
 Conductio enim sua natura in se continet
 tacitam conditionem, si fructus percipiam,
 si re uti poterò, nisi quis casus fortuitos
 in se ultro susceperit.

§. 19.

Observat 2) quod locatio conductio quo-
 que admittat mercedem majorem vel mino-
 rem, prout res vel opera magis vel minus
 obvia est. Sic e. g. si Professori juris in
 Germania demandatur *lis forensis*, is triplo
 plus sportularum accipit, quam advocatus,
 quia operas suas locare alias non solet, nisi
 amicitiae causa. Sic si medicus operam ad-
 dicit, ad sectionem periculofam calculi, vel
 herniae, merces plerumque satis grandis
 est, quia non ubique obvii sunt, qui hujus-
 modi operationes dextre exsequantur.

Ast si res ordinariae & ubivis obviae, vel
 operae illiberales locantur, tunc aequalitas
 & proportio inter rem & mercedem ob-
 servanda. Alias laesio juxta superiores re-
 gulas de aequalitate servanda erit resar-
 cienda. Unde & locationem conductionem
 jus civile rescindit ob laesionem ultra di-
 midium. L. 2. C. de resc. vend.

§. 20.

Pergit A. ad mutuum, & quaestionem
 circa mutuum movet famosissimam, an usu-
 rae jure nat. permittae sint?

Plerique Scholastici id negant, solo dissen-
 siente Abalensi, quocum & Grotius facit.

Scholasticorum argumenta haec sunt.

1) Mutuum est contractus gratuitus. E.
 non possunt usurae peti. Resp. Est gratuitus

con-

contractus, & si merces vel usura accedit, tunc res degenerat in alium contractum, sed non ideo usurae sunt injustae. Sic & commodatum est contractus gratuitus. Si quis mercedem a commodatario exigit, ex commodato fit locatio conductio. An ergo ideo injustum est, mercedem a commodatario stipulari? Eadem est mutui ratio.

2.) Pecunia est res sterilis. E. ex ea non possunt usurae peti. Resp. Est res sterilis physice, quia numus non parit numum: sed non est sterilis civiliter, quia in commerciis & negotiationibus pecuniam lucrantur pecunia.

no. 2.

3.) Res in mutuo datur pro re. Res restituitur in eodem genere. Quo jure plus exigit creditor. Resp. Si centum dantur mutuo, & centum redduntur, tunc res pro re redditur. Sed usurae dantur pro usu istorum centum.

Manifestum est J. N. neminem debere cum alterius damno locupletiolem fieri. Atqui qui pecunia mea negotiatur & lucrum facit, iste locupletior fit cum meo damno, quia interim re mea carere debet. E. æquissimum est, ut mihi æquioram usuram præstet.

LUD. SEPTALIUS in libro elegantissimo de *Ratione status* ita probat, genus humanum carere contractibus usurariis non posse, quia tunc fere cessaturum esset mutuum. Quis enim cum suo periculo alteri crederet pecuniam, si spes usurarum cessaret? Nonne uniuersusque potius pecuniam suam arca reconditam teneret?

Ast

Est jam alia quæstio est, an juri divino positivo concessa sit usura? Idque negat Grotius. Nam sæpissime reperitur præceptum divinum in Lege Mosaica: *No sancto accipere a fratre tuo.* Exod. 22. 25. Lev. 25. 35. 19. 14. Id quod tam late acceperunt Hebræi, ut & eum, qui vel levissimam mercedem accepisset, item scribam qui chirographum usurarium confecisset, excommunicatione dignum judicarent. SELDEN. de J. N. & G. lib. 6. cap. 9.

Si opponas, esse hanc legem Judaicam, respondet Grotius, esse tamen honestam moraliter, & hinc Ps. XV. laudari eos, tanquam beatus, qui sine usura credant, Immo quum Christianos deceat sanctius vivere Judæis, absurdissimum esse, si putemus Judæos nos superare posse veritate & sanctimonia.

Sed 1) omnino hæc lex mere Judaica & forensis est: idque clare patet ex Deut. XXIII, 19. 20. ubi dicitur: *No sanus exerceat adversus fratrem tuum: adversus alienigenam patris exorcere.* An vero jus nat. & divinum universale distinguit inter fidei ejusdem homines & alienigenas? Observavit hæc recte SALMASIUS de usur. cap. 20. 24. p. 618. & de sumere trapenitico p. 203. 210.

2) Honestum moraliter est non sumere usuras, sed ideo sumere non est injustum. Sic & debita remittere est honestissimum, sed non ideo injustus est, qui jure suo usus dicit, solve quod debes.

aud. de usur. cap. 21.

Monet porro Grotius, non confundendum

Sum esse contractum usurarium cum aliis contractibus adfinibus. Sic e. g.

1) Pactum de indemnitate non est usurarium. Differunt sine. Qui pactum de indemnitate inicit, is agit de damno vitando: qui usuras sibi stipulatur, de lucro captando.

2) Pactum de opera remuneranda. Si e. g. mercator mihi pecuniam conquirat, & non sine magno labore reperit, qui mihi credant, tunc si mercatori aliquid solvam, id non est usura, sed merces laboris.

3) Pactum de periculo minuendo. Si e. g. alicui credo pecuniam, & mihi non satis tantum est, & inde mihi stipulor certam pecuniam, ne, si fors pereat, damnum sit nimium, ea non usura est.

Sed quamvis hujusmodi pacta non sint proprio usuraria, tamen a Moralisticis pontificiis inventa sunt ad usuram palliandam. His veto palliis nobis non opus est, persuasus quippe, pacta usuraria nec J. N. nec divino repugnare.

§. 12.

Denique ipse Grotius concedit, legibus civilibus permitti posse usuras, salvo jure N. & divino, modo non mordaces, sed modice.

Exempli loco adfert exemplum Hollandorum, ubi civibus generatim octo pro centum; mercatoribus 12. pro 100. concedatur. Et in nota infra addit: Idem in Imperio constitutum.

Sed hic moneo, 1) id falsum esse de Imperio, ubi non nisi 5. pro 100. legibus permessa sunt.

2) Fal-

2) Falsum quoque esse, quod sub finem subjungit Grot. si hic modus excedatur, tunc leges quidem impunitatem dare, jus dare non posse. Nam id verum esset, si vel jure nat. vel jure divino hic modus constitutus esset: jam quum numerus definitus non sit, imperantis erit, pro modo circumstantiarum & pecuniæ in rep. copia vel inopia determinare legitimam usuræ quantitatem.

§. 23.

Pergit A. ad contractum assecurationis, qui est contractus, quo unus vel plures pro certo præmio, quod sibi solvi curant, periculum navis vel mercium navi impositarum in se suscipiunt.

Hic unam regulam inculcat jus nat. ut pro magnitudine periculi, vel longitudine navigationis præmium vel intendi vel remitti debeat.

§. 24.

De societate notum est ex jure civ. quid n. 1. 2. sit, hic monendum I. quod lucri & damni partes æqualiter dividendæ sint inter socios.

Quum vero æqualitas duplex sit, arithmetica & geometrica, id est, ut vel idem sit utrobique numerus, vel eadem utrobique proportio: hinc queritur, quænam hic observanda æqualitas. Et recte Grotius resp. geometricam, id est, omnes socii æqualiter participant non ratione numeri, sed pro proportione summæ collatæ. Inde sequitur.

1.) Ut si omnes æqualem pecuniam contulerint, partes quoque damni & lucri æquales sint.

Hein. de Jure Belli, &c.

V

2) Ut

2) Ut si unus altero plus contulerit, cuius attribuenda sit pars pro rata summæ collata. e. g. Si Titius contulit 10000. Mævius 20000. Sempronius 5000. & lucrum commune est 7000. tunc Titius accipit 2000. Mævius 4000. Sempronius 1000.

3) Ut si quis non pecuniam sed operam conferat, is partem lucri & damni capiat, prout pacti sunt socii, modo operam ut socius, non ut minister vel institor conferat.

n. 3.

H. Admitti etiam inæqualitatem, si partes consentiant, modo non fiat societas Leonina.

III. Societatem universorum bonorum nullam respicere æqualitatem. Hinc si e. g. ego cum Mævio inierim societatem universalem omnium bonorum, & in commune ego conferrem hereditatem 100000. fl. Mævius autem non nisi 12000. contulerit, tamen huic in massa communi non minus erit juris, quam mihi.

§. 25.

IV. In societate navali spectari vel communem defensionem, e. g. si fiat eene Admiralitat, vel communem prædam, e. g. si plures nautæ tempore belli (Commis-Fahrers) inter se societatem ineant, ad intercipiendas naves hostiles, & prædam dividendam.

Hic jus nat. nihil sancit, nisi ut fervetur æqualitas geom. in divisione lucri & damni: sed leges civiles ea omnia specialius definiunt, e. g. quantum ex præda præcipuum habeat fiscus, quantum attribuantur col-

collegio judicum rei nauticæ, (dem Admiralitæts-Collegio) quantum magistro navis, quantum singulis nautis.

§. 26.

Denique quaerit A. an jure nat. inæqualitas, in quam consensum est, attendatur, quoad actus exteriores. E. g. dicit Pomponius in lege in margine allegata, in pretio emtionis & venditionis licere se naturaliter circumvenire. Id jus non intelligit de actu interno mentis, quasi dolum adprobet, quia semper detestandus, sed de actu externo, an ille in foro mereatur animadversionem. Idque negabant veteres. Primus Diocletianus condidit L. 2. C. de resc. vend. & rescissionem concessit ob læsionem enormem: quaeritur, an id verum sit, quod naturaliter hoc liceat, id est, jure naturæ?

n. 1.

Resp. Grotius, 1) naturale sæpe dici de eo, quod passim recepti moris est, idque probat ex 1. Cor. XI, 14. ubi de coma est sermo, qui tamen locus est difficillimus.

n. 2.

2) Utilem quidem hanc esse juris civ. dispositionem, quia alias infinitis litibus daretur occasio, ob incerta rerum pretia, sed ideo non statim eam permitti jure nat. in foro conscientiae. Paucis verbis, sed emphaticis rem eloquitur scriptor vitæ Isidori, dum ait: *Injustitiam hanc esse, a legibus quidem permissam, sed qua re ipsa justum pervertat.*

n. 3. 4.

C A P U T XIII.

De Jurejurando.

§. I.

n. 1.

Egimus hactenus de promissis & contractibus, ad quorum confirmationem quum saepe accedere solet jusjurandum: de eo quoque agitur hoc capite.

Præmittit autem auctor observationem: apud ipsos quoque gentiles magnam fuisse jusjurandi auctoritatem. Animadvertent enim illi, si illud contemnatur, tunc cessaturam omnem religionem, firmissimum reipsum vinculum: cessaturum nexum inter imperantes & subditos, qui plerumque jurijurando constringitur, cessaturam denique omnem fidem humanam. Hinc miro consensu docent 1) jusjurandum esse vinculum fidei humanæ arctissimum, quod Ciceronis testimonio probat Grotius.

n. 2.

2) Deum esse perjurii vindicem. Hinc eos diris omnibus subjacere adseverabant, qui fidem juratam fallerent. Sane apud Herodot. lib. 2. refertur Glaucum tantum consilium cepisse de intervertendo deposito; quod se juraverat redditurum: idque propositum & sine effectu penitium esse ita, ut cum domo universa & prole distingueretur. Refert Herod. l. 2. & Juv. Sat. 13. v. 199. seq. quod quum rogaret Apollinem, an sibi suaderet id facinus, responderit Apollo:

At juramento quædam est sine nomine proles, &c.

Ita

Ita Græcos versus vertit Grotius. Sed recte observavit Gronovius, male versus esse. In Græco est ὄρκος, quod & juramentum significat, & Deum perjurii vindicem. De hoc loquitur Apollo, non de juramento, cui absurde tribuitur proles.

3) Nihil ad majorem indignationem provocare Deum, quam perjurium. Est enim affirmatio religiosa. Quid vero veneratione illa, quam Deo debemus indignius, quam eum invocare testem mendacii?

n. 3.

Ejusdem Cic. lib. 3. de offic. c. 29. dicit: Jam enim non ad iram Deorum, qua nulla est, sed ad justitiam & ad fidem pertinet. Negare ergo videtur, Deos irasci perjuris, sed poenæ tamen satis eos subire, quod fidem, qua nihil sanctius, violarint.

Verum Cic. ibi disputat ex mente Stoicorum. Stoici autem quum affectus pro malis & vitiosis reputarent, non poterant Deo hujusmodi imperfectionem tribuere. Sed nos edocti sumus cum a ratione, tum a S.S. in Deo esse voluntatem puniendi malos, eumque ab omni imperfectione esse remotissimum. Id jam sufficit, & Scriptura ἀνδραπονομάδης loquens eam voluntatem plectendi malos vocat iram Dei. Singularem ea de re librum scripsit LACTANTIUS de Ira Dei, ubi Stoicos refellit, sed verbis magis comitis & tersis, quam argumentis & solidis.

Jam ergo post hanc præfationem Gr. rem ipsam adgreditur, & hoc capite agit.

1) de jurisjurandi requisitis. §. 2. 12.

2) de ejusdem effectu vel obligatione.

§. 13. seq.

Primo itaque in jurante requiritur animus intelligens & deliberatus. Est enim jusjurandum non actus naturalis, qui sine intellectus & voluntatis concursu peragitur, uti circulatio sanguinis, concoctio stomachi, &c. Sed actus humanus, qui semper supponit intellectum & voluntatem. Exinde sequitur

1.) ut qui verba profert sine consilio jurandi, non obligetur. Narrat Ovidius, Acontium quum Cydippen in sui amorem pellicere non posset, pomo in ejus sinum projecto inscripsisse verba: Juro me nupturam Acontio. Ea quum legisset Cydippe, ferebat, illam perjurii ream esse, nisi sibi nuberet. Sed absurdum. Legere enim verba sine consilio & deliberato animo jurandi, non est jurare. *Jurata lingua est*, inquit Euripides, *mente jurare nihil.*

Hinc etiam Secretarius judicii præjens verba jurantibus, non obligatur, quantumvis eadem verba proferat, quæ alter reddit.

2.) Ut qui animo jurandi profert obligetur, etiam si obligari nolit. Sufficit enim intellectum & voluntatem jurandi adfuisse. Et hinc absurdum, quod Mediolanenses perjurii rei excusandi causa proferebant coram Fridr. Imp. *Juravimus sibi, sed obligari sibi juramento nunquam volumus.* Rom refert RADEVICUS in *vit. & rob. gest. Fridr. I.*

Observandum hoc contra reservationes mentales Jesuitarum, de quibus alio loco dictum, li enim docent sæpe, jurantem non

non obligari, si inter jurandum ad aliud, quam de quo jurat cogitationibus suis respiciat. Quo nihil sane absurdus.

§. 3.

a. r.

Quid vero si quis animam jurandi non habeat, & tamen deliberato animo verba juramenti protulerit? Casus existit, si quis præter necessitatem temere jurat. Hoc ex consuetudine facit, non ex animo deliberato. Quum tamen sciat se jurare, revera jurat, quamvis id faciat temere. Quæritur ergo, an nihilominus obligetur?

Resp. Gr. affirmando, rationemque addit, quia sciens juravit. Sed si recte ponas calculum, ea in re Pontificiorum hypothesein perperam sequitur. Jusjurandum J. N. non producit obligationem novam, sed obligationem quamcumque confirmat, quia est obligationis accessorium. Id statim demonstrabimus. Juravit aliquis, se nunquam pauperi ulli daturum eleemosynam: sane si per se jusjurandum producit obligationem, etiam hic debet illud servare, & tamen, si servat, perpetuo peccat. Quum ergo jusjurandum non producat novam obligationem: consequens est, ut si quis temere jurat, is quidem peccet, sed tamen non magis teneatur, quam si temere, per jocum, & non deliberato animo jurasset.

Addit auctor exceptionem, si alio sensu acceperit jusjurandum is cui detulit, quam qui præstitit, e. g. Titius petit uxorem filiam Sempronii; hic existimans natu majorem peti, jurat, se illam daturum: sed postea adparet, deferentem sensisse de natu

minore. Quæritur, an nihilominus hanc teneatur dare?

Resp. minime, quia hæc generalis regula est, verba jurisjurandi interpretanda non esse secundum sensum jurantis, sed deferentis. Quam ergo hoc Titius Sempronio non detulerit juramentum super filia majore nata, sed minore: juramentum etiam de majore nata præstitum temerarium quidem est, quia prius interrogare debuisset, quam filiam peteret, sed tamen non obligat.

n. 3. 4. 5. Quærit porro, an jurejurando admittatur tacita conditio? Hanc questionem subtiliter magis quam solide solvit Grotius. Videbimus ergo primum, quid quærat?

Certum est, omnem promissionem complecti conditionem saltim tacitam. e. g. Deus promittit, se præmia piis elargiturum, sed sub conditione tacita, nisi respiciant impii. Quæritur ergo, an & juramenta hujusmodi tacitam conditionem admittant?

Id negat Grotius, idque probat loco Hebr. VI, 17. ubi Deus dicitur jurasse, adeoque impossibile esse, ut fallere possit; unde subtiliter jam philosophatur de questione, an Deus possit mutare decreta sua? quam questionem nostram non facimus, sed rem ipsam expendimus, & contrariam Grotio sententiam hic merito amplectimur.

1) Quia ex hoc loco Hebr. VI, 17. nihil sequitur. Nulla est consequentia. Deus fallere non potest, E. ejus jusjurandum non potest continere tacitam conditionem. Nam & de promissis divinis idem dicitur, quod iis
fal-

fallere Deus nequeat, & tamen Grotius concedit in iis esse tacitam conditionem.

2) Quia, ut diximus, jusjurandum non producit novam obligationem, sed eam, quæ adest, confirmat. Ergo si promissum cum tacita conditione intelligendum, cui accedit jusjurandum, hoc quoque non aliter intelligi poterit.

3) Quia tacitæ conditiones vel physice, vel moraliter sunt necessariæ: ergo jurejurando non magis tolli possunt, quam promisso e.g. ducam te uxorem, hoc promissum continet tacitam conditionem, si vixero. Hæc physice est necessaria. At ergo & mortuus tenebitur ducere, si juraverit, se ducturum?

Rem luculento exemplo illustrabimus. Juraverat Herodes filiæ Herodiadis, quid quid rogaret, se illi daturum. Rogabat illa caput Joannis Baptistæ. Ex mente nostra peccavit Herodes, dum jusjurandum servavit, quia hoc jusjurandum continere dicimus tacitam conditionem, si rogaverit aliquid æquum, & a legibus permissum. At ex Grotii sententia non potuit non jusjurandum servare, quia illud non continet tacitam conditionem: immo debuisset Herodes caput suum carnifici offerre, si id rogasset Herodias. Quo nescio an quidquam fingi possit absurdius.

S. 4.

Pergit A. ad juramenta extorta dolo, eaque omnino non obligare fatetur, partim, quia J. N. dolo nunquam adstipit, partim, quia hic jurans nec sciens nec

volens juravit, quippe de alia re sentiens, quam alter, qui cum decepit.

n. 2. 3.

Excipit tamen Grotius casum, si ineertum sit, annon quis juraturus fuisset, etsi haud deceptus esset: eoque refert exemplum Josuae, qui cum Gabaonitis simulantibus, se e longinquo fama rerum gestarum excitos advenisse, foedus percusserat, idque jurejurando firmaverat. Hoc jusjurandum tamen dolo extortum religiose tamen servabat Josua. Jos. IX. Cur? quia incertum, inquit Grotius, annon Josua iis juraturus fuisset, etiamsi ab hoc dolo abstinissent.

Sed jam hanc rationem Grotii refellit PUFEND. *Lib. IV. c. 2. §. 7.* Nam 1) quis judicabit, an errore remoto nihilominus quis fuisset juraturus? 2) Non queritur, an alter obligatus esset, si sine dolo jurasset, sed an jam obligetur, ubi dolus jurandi causam dedit.

Rectius itaque dicitur, juramentum dolo extortum valere, modo alteri justa causa fuerit, astu utendi. Et talis erat Gabaonitis. Josua gentes Palaestinae radicatus extirpabat. Gabaonitis justus merus suboriebatur, ne & sibi idem fatum immineret. Id per foedus avertere initebantur. Veritati autem, ne Josua foedus adspernaretur fingebant, se non Palaestinos esse, sed longediffitos. Nihil ergo hic illiciti occurrit, maxime quum Deus internecionem harum gentium non absolute mandasset, sed sub conditione, nisi se subicerent ultro, ceu ipse Grotius n. 3. demonstrat. Conf. & Selden. *de J. N. & G. l. 6. c. 16.*

§. 5.

Jam de juramentorum interpretatione, ubi recte monet Gr. eorum verba ultra receptum morem non esse extendenda, modo addas limitationem, si scilicet latior juramenti interpretatio durum quid vel inhumanum contineret: nam si talis casus non adsit, interpretatio stricta potius cavillationem sapiet, quam veram interpretationem.

Rem illustrabimus exemplis. Juraverant Israelitæ, se Beniaminitis uxores non duros. Perierat illa tribus bello præter pauculos mares. His nisi uxores datæ fuissent, aut extincta fuisset tribus universa, aut Beniaminitæ coacti fuissent uxores ducere paganas: Utrumque durum & inhumanum. Ergo stricte interpretandum videbatur jusjurandum. Non dabant filias uxores, sed patiebantur illas a Beniaminitis rapi. Jos. XXI.

Alexander Lampfacum obsidebat. Quum Anaximenes peteret colloquium, jurabat ille, nihil se eorum facturum, quæ hic peteret. Hic petebat, ut urbs dirueretur. Sic servata est. PAUSAN. lib. 6.

Antigonus filio Demetrio dixerat, se interfectorum Mithridatem innocentem, tantum quod somnium sibi de eo obligisset, quod portendere ejus potentiam videbatur. Jurejurando obstrinxerat filium, ut taceret, nec rem eloqueretur. Hic de salute amici innocentis anxius hasta, inspiciente illo, arenæ inscripsit: Fuge Mithridates. PLUT. in Demetr.

Ast intolerabilis est interpretatio Hattōnis Archiepisc. Magd. Quum enim Ludo-

vicus III. Imp. obsideret Bambergam, ubi Adelbertus, Comes rebellis delitescerat, Hatto petiit cum Comite colloquium. Hic illum in arcem recepit. Suasit comiti, ut Imperatori se dederet: & juratus promisit, se comitem, si Imp. supplex fieret, salvum reducturum in arcem. Credit comes juranti Episcopo, & cum illo castris adequitat. Quum haud procul ab arce abessent, dolere se ait Hatto, quod jejunos profectus sit. Comes rogat, ut secum in arcem redeat, eique dat jentaculum. Hinc denuo ad castra pergunt. Comes capite plechitur, dicente Episcopo, se jurjurando satisfecisse, comitemque salvum reduxisse in arcem. OTTO *Fris. Chron. l. 1.*

S. 6.

Alterum jurjurandi requisitum est, ut juretur de re moraliter licita. Jusjurandum enim 1) ideo obligat, quia Deus id accipiat. Ast non potest salva justitia accipere jusjurandum, quo aliquid illicitum promittitur. 2) Si hujusmodi jusjurandum obligaret, plus pollet juramentum, quam ipse Deus cui juratur. Bene ÆSCHYLUS *in Otris*:

Neque enim fides jurata plus pollet Jove.
Peccat itaque jurans, quod juravit, non
autem, quod jusjurandum hujusmodi violavit.

Huc pertinent exempla Davidis Nabali jurantis exitium. 1. Sam. XXV. nec non ejus qui latronibus silentium juravit. Si enim istud silentium cum aliorum periculo conjunctum sit, non obstantę juramento veri-

veritas proferenda. C. 18. X. de test. & c. ult. X. de test. cog. Exemplum est apud GAIL. l. Obs. 100. n. 4.

§. 7.

Idem dicendum, si res juramento promissa, non quidem illicita sit, sed tamen majus bonum impediatur, & quidem moraliter bonum. Ratio est, quia æque peccat, qui, quod præceptum est, non facit, quam qui, quod veritum, facit. Præcepta enim & prohibitiones ab eodem Deo sunt. Hinc si quis juraverit, se non parentibus benefacturum, sed id potius, quod his dari decebat, in ærarium templi illaturum, juramentum impium esset, ipso docente Christo Matth. XV, 5. de quo jurejurando Judæis frequentissimo, quod Corban vocabant, late Grotius h. l. & SELDENUS lib. 7. c. 2.

II, A. 20

Sic & impia sunt juramenta, quibus quis prohiberi se dicit, quo minus utile humano generi medicamentum possit revelare. Vid. LUCIAN. in elegantissimo dialogo Tragopodagis.

§. 8.

Tertium requisitum est, ne res de qua juratur sit impossibilis. Quum enim jusjurati supra demonstravi, sit accessorium obligationis: est obligatio ad impossibilia nulla sit: sequitur sane, ut & jusjurandum circa impossibilia præstitum non obliget.

Nec tamen negandum, 1) eum peccare & perjuri reum esse, qui sciens aliquid impossibile promissit, maxime si res non sit absolute impossibilis, sed respective. e. g. si quis

quis juratus promiserit, se plumbum converturum in aurum, se perpetuum mobile facturum, quum sciret, se nec alchymistam esse, nec mechanicum.

§. 9.

2) Eum quoque obligari, qui aliquid promisit jurejurando, quod pro tempore est impossibile, eatenus ut in pendente sit obligatio, & sese exserat, si impedimentum cesset. e. g. juravit aliquis, se aggeres extructurum. Ob perpetuas tempestates & inundationes id impossibile est per totum hunc annum. Tenebitur ergo sequente, si cesset impedimentum. Hoc facile.

§. 10.

Quartum jurisjurandi requisitum est forma verborum, ut recte concipiatur jusjurandum. Nam si jurem per blithri vel per calacut, quis dicat me jurasse, quum verba hæc nihil significent?

Ut autem appareat, quomodo concipiendum sit jusjurandum: sciendum est, id fluere ex definitione. Jusjurandum est religiosa assertio, qua quis Deum vindicem invocat, si pejeraverit.

Ex ea ergo definitione fluit, 1) essenziale id esse jurijurando, ut Deus omniscius invocetur, ut si sciens fallat jurans, is poenam ab eo reperat. Tales sunt formulæ veteres: *Si sciens fatto, tum Jupiter me ejiciat, ut ego hunc lapidem! Deus mihi faciat quavis mala, nisi hoc faciam!* ut & hodierna: *Ita me Deus adjuvet!* Num facis poenarum dat, qui auxilio divino destituitur?

§. 11.

§. II.

2) Inde sequitur, ut juramenta per creaturas sint absurda. Sic sæpe veteres jurabant per parentes, cœlum, terram. Socrates jurare solebat per anserem, anatem, columbam. Alii per caput, per oculos, per animam, per barbam, qui mos etiamnum apud Turcas obtinet. Qualia juramenta dicuntur Socratica. Queritur ergo, an talia juramenta nomen juramenti mereantur?

n. 1.

Id credit Grotius, quia Christus Matth. XXIII, 21. non expresse prohibeat hujusmodi juramenta, sed tantum abusum; immo addat, qui per templum jurat, cum per Deum jurare.

Immo n. 2. interpretatur sententiam Hebræorum, quod hujusmodi juramenta non putarint obligare, nisi adjecta poena. Hanc ergo opinionem ait a Christo refutari, offenditque, juramentum perinde obligare, sive per templum, sive per Deum juretur.

n. 2.

Hæc Grotius. Sed probe observandum, hic non esse quæstionem, annon homo ita jurans obligetur? Sufficit enim illum jurandi animum habuisse. Immo obligaretur, si plane sine juramento aliquid promississet: sed quæstio est, an non hæc juramenta sint absurda, Christianis indigna, idololatræ? Et hoc facile probatur:

1) Quia hic nulla est religiosa adfectio. Qua enim religione persequimur terram, caput, barbam?

2) Quia istæ creature nec testes nec vindices esse possunt.

3) Quia

3) Quia Christus hujusmodi juramenta expresse prohibuit. Matth. XXIII, 21.

4) Quia omnes horum juramentorum interpretationes sunt absurde. APULEIUS *de Deo Socr.* ea ita interpretatur. Juro per caput, barbam, anserem, id est, Deum capitis, barbæ, anseris creatorem. Ergo creatura nobis creatorem denotabit? Alii dicunt sensum hujusmodi juramenti esse, quod si fallamus, Deus vindictam a nobis sumeret in oculis, in capite, &c. Sed & id absurdum. Nam 1) sic poena nonnumquam erit satis lenis, e. g. si barba pereat, vel anser, vel anas, 2) sic etiam poena feriet innocentes e. g. si quis juret per salutem Principis. 3) Absurdum est, Deo judici ab ipso delinquente præscribi poenam.

§. 12.

3) Inde sequitur, ut jusjurandum conieplendum sit, ad uniuscujusque religionem. e. g. Judæus non cogendus jurare per Christum, sed per Deum, nec prohibendi gentiles jurare per Deos fictitios, Mahomedani per Mahomedem. Sufficit enim eos jurare per id, quod religiose venerantur. Vid. Gen. XXXI, 53.

Sed an perjurium committit gentilis vel Mahomedanus ita jurans? Videri posset, non committere eum perjurium, qui ita non pejerarit per verum Deum.

Sed resp. omnino eum pejerare, quia credit hunc esse verum Deum. In delictis potissimum ad affectum respicitur. Quemadmodum Muc. Scævola, quum per errorem ministrum Porſennæ pro Porſennæ inter-

terimeret, non magis regicida erat, ac si regem occidisset: ita qui per Deos falsos, quos veros putat, jurat, æque perjurus est, ac Christianus, qui per Deum verum pejeravit.

§. 13.

Sequitur pars capitis posterior de EFFECTU jurisjurandi, qui est præcipue finis controversiæ. Unde & Paulus Apost. dicit: *Juramentum est finis omnis litis.*

Ratio est, quia qui defert & præstat jusjurandum, illi inter se veluti paciscuntur, quod, si alter juret, res decisa esse debeat. Pactum vero hujusmodi obligare, nemo dubitat.

Ex quo sequitur, ut in omni jurejurando duo requirantur 1) τὸ ἀληθορκεῖν, ut verba congruant animo, seu, quod perinde est, ut quis juret ex animo sententia, & τὸ ὁμορκεῖν, ut factum congruat verbis, id est, ne jurans falsa vera, vera falsa esse pejeret.

Ratio facilis. Nam quum, ut diximus, inter jurantem & deferentem intercedat pactum, pactum autem ex deliberato animo proficisci & nihil falsum continere debeat, consequens est, ut nec in juramento id ferendum sit. Hæc facilia.

§. 14.

Alter effectus jurisjurandi est, ut obliget. Obligatio vero aut Deo & homini simul, aut Deo tantum, sed non homini nasci dicitur. Quam Scholasticorum doctrinam sequitur Grotius. Eam considerabimus.

Nimirum Scholastici & Grotius distinguunt, utrum deferenti jus sit, me obligandi, nec ne. Si jus est, tunc & homini & Deo,

EX

ex juramento meo nascitur obligatio. Sin. alter sine jure me obstringit jurejurando, tunc quidem obligatio nascitur Deo, cui juratum, sed non homini, qui jusjurandum a me exegit. En exemplum. Latro me jurare cogit, me daturum mille. Hic inquam jus nullum est latroni, ad mille exigendos, sed ex jurejurando tamen meo jus natum est Deo, ut me tanquam perjurum punire possit, nisi solvam. Ast contra si debitor juratus creditori promisit debitum, & Deo & homini, scilicet creditori, obligatus est.

Sed hæc nihili. Supra enim 1) ostendimus, juramenta non producere novam obligationem, sed veterem confirmare. 2) Sic alicui solvere cogor, cui non debeo, id est, obligor latroni & non obligor, id quod absurdum. 3) Supra jam diximus, Deum juramentum injustum non acceptare, adeoque nec obligationem inde nasci posse.

Objicit Grotius, Deum punivisse reges Israel, qui Babyloniis fidem juratam non servassent, Ezech. XVII, 12. sq. Sed resp. hoc jusjurandum non fuisse injustum. Reges enim Isr. metu Ægyptiorum & ex conscientia impotentiz suæ. utro se Babyloniis subjecerant.

§. 15.

Id. 1. 2. 3.

Nihilominus tamen Grotius refutare jam eos conatur, qui statuunt nobiscum, qui latroni vel piratæ juravit, eum non teneri jurejurando. Argumenta Grotii sunt:

1) Fidem juratam & hosti servandam. Tunc enim nos non juramus hosti, tanquam hosti, sed tanquam pacifcenti, ab

hoste

hoste autem piratam non differre. Resp. omnino differt. Hostis enim nobiscum potest justum bellum gerere, adeoque & jus ipsi est, armis nos cogendi ad jurandum Latroni & piratae hujusmodi jus nunquam est.

2) Etsi personæ jus deficiat, tamen cum Deo nobis negotium esse. Sed resp. jam ostendimus Deum injusta juramenta non acceptare, non magis, quam vota injusta.

3) Deposita latroni reddendum esse, ergo & jusjurandum servandum. Resp. miram hanc esse conclusionem. Latro deponens nihil injuste agit, hinc eum injuste agere oportet, qui depositum negat. At injustus est latro vel pirata, dum me cogit jurare. Ergo ego injustus non sum, dum non præsto, quod juratus promisi.

§. 16.

Quærit porro Grotius, an & perfido sit servanda fides jurata? Recte distinguit, an juramentum se primario fundet in promissione reciproca, an non. Priore casu juramentum me non obligare, nisi & alter præstet, quod promisit: posteriore absolute me obligari, e. g. juravit Titius se heredem instituturum Mævium, si hic eum a capitis periculo liberasset. Hic si non liberavit Mævius, non tenetur Titius. At si absolute juravit, quamvis id eo intuitu fecerit, ut Mævium moveret, ut sibi adlisteret, nihilominus obligabitur, etiamsi Mævius nihil in ejus commodum fecerit.

Objici posset: jura tamen rescindere præsta, si inæqualitas præstationum sit nimia. Resp. id verum esse, 1) si contractus sint

one-

beneficium. Jurata autem promissio potest nonnunquam merum beneficium continere. 2.) Rescindi contractus & pacta, ubi alter inscius læsus est. Qui autem jurat absolute, se aliquid præstiturum, nec ab altero sibi mutuam præstationem stipulatur, is ultro & sciens juri suo renunciat.

§. 17.

Novam conclusionem ex doctrina sua §. 14. & seq. proposita dicit Grotius. Quia enim ex ejus mente, qui injuste coactus juravit, Deo quidem, sed non homini obligatur: querit an & hæres jurantis tunc teneatur solvere mille, quos latroni vi coactus jurato promiserat defunctus?

Et respondet, non teneri heredem, quia hic nec Deo nec homini obligetur, ad solvendo mille. Non homini, cui ne defunctus quidem obligabatur per §. 14. nec Deo, cui heres nunquam juravit.

Sed quamvis res vera sit, tamen ea limitatione non opus est, si statuimus cum recentioribus omnibus, jurisjurandum vi & metu extortum injuste, nullum esse, & non magis producere obligationem, quam pactum vi hujusmodi extortum.

§. 18.

Queritur porro, an non casibus quibusdam sine perjurio possim alteri negare, quod promisi. Resp. omnino,

1.) ex mente nostra, quoties jusjurandum injuste extortum adeoque nullum est.

2.) Si cui juravi, is ipse natum ex juramento jus remittat. e.g. Titius Mariae promisit juramento matrimonium, hæc suo juri renunciat.

3.) Si

3) Si quis juravit intuitu certæ qualitatis personalis. Tunc enim cessante ea qualitate cessat obligatio. E. g. Juravit aliquis tanquam miles, se vitam & sanguinem ponere pro domino velle: non sane tenetur, si miles esse desuit.

4) Si occasio desit. Sic in eodem exemplo, miles perjurium non committit, si dominus bellum non gerat.

§. 19.

Nova oritur quæstio: an id, quod contra juramentum factum illicitum tantum sit, (ut, qui fecit, peccet) an & irritum? (ut factum pro infecto habeatur?) Subtiliter distinguit A. quod aut jus ad rem juramento confirmetur, id est obligatio, aut jus in re, e. g. translatio domini, datio pignoris, constitutio servitutis. Priore casu actus contra jusjurandum susceptus tantum illicitus est, sed non rescinditur: posteriore irritus est.

E. g. si quis promisit jurato se non acturum, & egit, illicite egit, sed ideo actio non est nulla. At si quis alteri constituit servitutem jurato, & postea impedit, actus ejus nullus est.

Ita Grotius, sed vereor, ut recte. Nam & jusjurandum, ut sæpe monui, est accessorium obligationis. Quemadmodum ergo quod etiam contra pactum juratum fit, irritum est, ita procul dubio etiam juratum

§. 20.

Gravior est quæstio, an actus principum contra jusjurandum subditorum, vel jusjurandum subdisis præstitum valeant.

n. 21

Resp.

Resp. Grotius, superiorem efficere non posse, ut juramentum non obliget, sed tamen quia actus non omnes sunt in potestate subditorum: hinc superioribus duplex circa illos competit potestas 1) circa personam jurantis, 2) circa personam cui juratur.

n. 2.

Circa personam jurantis ea pollet potestate, ut possit

1) Irritum reddere jusjurandum, quod principis vel summi imperantis juribus adverteretur.

2) Ut possit adimplentionem ejusdem impedire & prohibere: Sic e. g. si subditi homagium jurassent extraneo principi, imperans potest illos jurejurando solvere, quia in ejus præjudicium subditi se obligare non potuerunt.

Ratio in promptu est. Nam inter personas diversas obligatio prior posteriorem reddit irritam, quia persona jam uni obligata, alteri se obligare non potest. E. g. si quædam Titio desponsa est, non potest jam Mævio desponderi. Ergo nec principi suo obligati semel jam & aliis contrario jurejurando se possunt obstringere, adeoque obligatio prior posteriorem tollit.

Eleganter id ex ipsa lege divina, quæ parentibus & maritis permittit, librorum & uxorum vota & juramenta solvendi. Num. XXX. Si pater & maritus id potest: multo magis princeps.

Sed quid si princeps aliquem solvit jurejurando, quod principis utilitatibus non adversatur? E. g. Tiberius jurisjurandi gratiam faciebat equiti, qui juraverat uxorem
se

se nunquam repudiaturum, quum hæc deprehensa esset in adulterio.

D. HUBERUS in *dissert.* quas conjunctim edidit, etiam unam habet *de gratia jurisjurandi facta*, & existimat, principis solutionem jurisjurandi nihil esse aliud, quam concessionem impunitatis in foro externo. Nam obligationem neminem tollere posse, præter Deum, cui juratum. Sed ego arbitrator nihil aliud esse, quam interpretationem jurisjurandi. Princeps non tollit obligationem, sed declarat, in casu præsentate non adesse obligationem. Conf. BUREND. l. 2. c. 2. §. ult.

Sic & in personam, cui juratum est, n. 3. 4. hanc potestatem habet princeps, ut ei jus ex jurejurando acquisitum auferat, & impediat eam, ne jus exercere possit; si id reipl. videatur interesse. Sic e. g. princeps quidam Germ. nobilem carcere, minis & vi adegerat ad transactionem iniquissimam, & talem quidem, qua omnia bona sua concedere tenebatur principi. Ea transactio jurejurando formata fuerat. Postea nobilis liberatus actionem in judicio aulico Imp. instituit. Princeps opponebat exceptionem transactionis juratæ: Imp. autem irritum faciebat jusjurandum vi extortum, i. e. declarabat, principi nullum jus esse ex illo jurejurando.

§. 21.

Transit jam Gr. ad questionem, an jurare Christiano liceat: nam quum Matth. V. dicat Christus: *omnino non jurabitis*, idemque repetat Jacobus in Epistola: *potest existi-*

existimari, jurare plane nefas esse, quod
& Anabaptistis, Memronitis & Socinianis
videtur.

Sed Grotius ostendit, Christum non pro-
hibere juramenta omnia, quæ faciunt ad
veritatem detegendam., sed promissoria tan-
tum de rebus futuris, quia facile contin-
gere potest, ut ne possimus quidem pro-
missa adimplere, adeoque perjuri repe-
riamur. Id probat Grotius

1) ex opposito: *Audistis dictum esse ve-
teribus: non poteratis, sed reddes Domino
juramentum.* Reddere juramentum tantum
dici potest de promissoriis: ergo & hæc
Christus intelligit, dum addidit: *Ego au-
tem dico vobis: ne jurate omnino.*

2) Ex ratione, qua Jacobus Apostolus
utitur: *Ne fallaces reperiimini.* Id enim
itidem ad promissoria solum pertinet.

3) Ex verbis sequentibus: *Esto sermo
vester, ita ita, non non.* Ubi ex indole
sermonis Hebræi ostendit, ita & non
prius pertinere ad promissionem, alterum
ad implementum. Solebant enim Hebræi
& Orientales promittere verbis: Ita, non;
vel Hebraice: Amen & ain. Si jam adim-
plesset quis promissa: dicebatur: Amen &
sic. si fessisset, dicebatur: Sic & non.
Patet id ex 2. Cor. I, 18. 20.

4) Ex interpretatione ipsorum Hebræo-
rum e. g. Philonis & Essenorum. Hi om-
nes enim dicebant, viri boni esse pro-
missa non juramenti firmare, sed injurata
adimplere. Dicta eorum ipse Grotius at-
tulit. Ergo inde colligas, Hebræis hæc
doctri-

doctrinam fuisse communem, & hinc eam Christum quoque proposuisse.

5) A consensu gentilium, qui eandem n. 5. 6. regulam inculcabant, e. g. Pythagoræ, Scytharum, Ciceronis, Solonis, Alexidis Comici, Hieroclis, Libani, Eustathii, verba repetere, vel alia testimonia accumulare nihil opus est. Sufficit, ex his omnibus apparere, Christum & Jacobum non omnia promiscue juramenta prohibuisse.

§. 22.

Inde consecrarium hoc elicit Grotius, quod in promissis quodvis symbolum vel signum, receptum publice, ejusdem efficacitæ esse debeat, ac ipsum jusjurandum.

Talia symbola varia erant, & sunt etiamnum e. g. apud Romanos stipulatio, seu solemnis interrogatio & responsio: apud eosdem & omnes fere gentes oblatio dextræ: apud Russos osculum cruci oblatum.

Et sane vir bonus non jurejurando obligatur, sed conscientia. Non fidem servat, quia juravit, sed juravit, quia fidem servare jam ultro decreverat. Unde & viri boni injurati promissis plus fidei habendum, quam scelerati religiosissimo juramento.

C A P U T XIV.

*De Eorum, qui summum Imperium habent,
promissis, Contractibus, &
Juramentis.*

§. 1.

n. 1. **S**Olet Grotius primum materias singulas generaliter tractare, ac deinde eas applicare ad quæstiones & controversias illustres vel juris publici. Postquam enim generatim, quid justum sit circa pacta, contractus & juramenta imperantium? Et quidem quæritur,

1. quid imperantibus liceat circa pacta, contractus & juramenta propria? §. 1, 5.

§. 1, 5.

2. Quid circa actus subditorum? §. 6, 9.

3. Quid circa successores? & an ii quoque pactis, contractibus & juramentis imperantium obligentur? §. 10. 14.

1) Quæritur, quid imperantibus liceat circa pacta, contractus & juramenta propria? Occasionem huic quæstioni dedit JOHANNES BODINUS, scriptor vere impius, ut ex ejus colloquio *heptaplumero* quod MSC. in Bibliothecis illustribus occurrit, adparet. Is *lib. 1. de rep. cap. 7.* docet, principem non obligari pactis, promissis & juramentis suis, nisi quatenus ipsis hæc sint milia. Ejus argumenta sunt:

1) quia subditos possit Princeps adversus pacta promissa, juramenta in integrum resti-

restituere : inde enim sequi , ut & scriptum restituere possit.

2) Neminem teneri pactis , conventionibus , juramentis injustis . Atqui injustum esse , quidquid saluti reip. & imperantium adversetur . E. Principem iis non teneri .

Sed recte scribit GUNDLINGIUS *in via veritatis Part. 3. cap. de pactis*, nunquam tam omnem pudorem ponere ipsos Principes , quam quidem eruditos . Argumenta enim hæc tam sunt subtilia , ut nihil supra . Nam n. 2.

1) Princeps restituit in integrum subditos , sed non pro arbitrio , quia pacta ipsi non placent , sed quia ea sunt contra leges , e. g. dolo , vi & metu extorta , cum minoribus inita &c.

2) Falsum est , omnia esse injusta , quæ saluti reip. vel privatæ Principis repugnant . Sæpe enim resp. & Princeps justo bello , in eam conditionem redigitur , ut non possint servari , nisi pactionibus , quantumvis parum utilibus . Sic e. g. pax ultima , quam Sveci inierant , parum & reip. & regi profuit : sed ideo non injusta .

Attamen & Grotius in eo peccare videtur in defectu , quod Principes & pactis vi & metu injusto extortis , item pactis in minorennitate initis teneri dicit , prius enim inde est , quod cum Stoicis existimat , pacta vi extorta J. N. valida esse , quod supra destruximus . Posterius supponit , Principem nihil agere sine consiliariis . Sed quid si Princeps minorennis captus & ad pacta iniqua adactus sit ?

n. 1. Si ergo quaestio est, an reges obligentur pactis & juramentis suis? observandæ quædam distinctiones, quarum una a Grotio ommissa, reliquæ ab eo hoc §. expositæ sunt.

1) Distingu. inter pacta justa vel injusta. Injusta autem non sunt vi bellica extorta, quia ipsum bellum potest justum esse, sed e. g. a latronibus & rebellibus extorta, a captivo principe majorene sine consensu reip. inita, dolo alterius inita. Hæc quum ne privatum quidem obligent, multo minus principem: illa omnino obligant.

2) Distingu. inter principem, cujus limitatum imperium est, & qui pleno jure imperat. Ille nihil potest, quod ad remp. sine statuum vel ordinum consensu: hic omnia agit suo arbitrio. Si ergo prioris generis princeps aliquid promittit vel invenit contra salutem reip. id non ratum est, nisi ordines consentiant. Aliud si princeps libere imperans.

n. 2. 3) Distinguendum inter actus regis quos tamquam privatus, & eos, quos tamquam rex edit. Illi promiscue obligant, nisi & privatis conceditur remedium. Hi non nisi justis sint, & ab imperante initi, cui plenum est agendi arbitrium.

Jam aliquot exempla allegabimus. In Flandria receptum, ut si moriatur obæratu, vidua & liberi, si velint venditionem bonorum impedire, marsupium cum clavibus imponant feretro. Quo facto plerumque cre-

creditores transigunt, & minorem summam accipiunt. Est ergo hoc remedium civile, contractum mutui privatis in Flandria concessum. Sed refert PONT. HEUTERUS in *Hist. Burgund.* mortuo Philippo audace Duce Burgundiæ, & Com. Flandr. ejus viduam imposuisse feretro marsupium & claves. Idne poterat? Resp. si æs alienum tanquam privatus, non tanquam princeps contraxerat: potuit vidua uti beneficio privatorum.

Franciscus I. Rex Fr. a Carolo V. captus tædio carceris iniquissima pacta intererat, quibus in Duc. Mediolanensem, Burgundiam, Flandriam juri omni renunciabat, magnam pecuniæ summam promiserat &c. vid. P. DANIEL dans l' *histoire de France T. III.* sub finem vitæ Francisci I. quærebatur, an Franciscus I. teneatur? Franciscus I. conquerebatur pacta vi & metu extorta esse. Sed hoc nihili. Erat enim justo bello in captivitatem redactus, & Carolus V. ei nullam præterea vim intulerat. 2) Se pacisci non potuisse sine consensu ordinum. Id omnino momentosum. Quantumvis enim libere imperent reges Franciæ, tamen eo tempore alienare nihil poterant sine ordinum vel Parliam. consensu. 3) Se præstiturum, quod tanquam privatus promiserit, regem enim captivum non esse regem. Jam promiserat pecuniam, nuptias filii &c. Et id omnino juste petebat. Quamvis enim captivus maneat rex ratione juris, tamen rex non est ratione exercitii. Conf. L. B. de DANKELM. *diff. erudit. de pactis principis captivi.*

Quæritur 2) quando rex jusjurandum suum in specie possit irritum reddere? Et hic Grotius ait, posse eum id antecedenter, non consequenter. Quid hoc sibi vult? Resp. Sensus est, posse principem antequam jurarit, ita pacisci cum subditis, & legem fundamentalem condere, eamque jurejurando confirmare, quod in certo casu jusjurandum principis valere non debeat. Si ergo nihil hominibus Princeps in posterum juret: eum priore juramento & lege fundamentali impedire, quo minus posterius jusjurandum servare possit, quamvis ex Gr. sententia Deo obligatus maneat.

Ast si postquam Princeps juravit, is tunc demum hujusmodi legem fundamentalem condere velit, id fieret in fraudem jurisjurandi prioris, & ei, cui juratum, jus quæsitum injuste auferretur, quod absurdum.

Quæstio insignem utilitatem habet in Germania & Polonia. Notum est summos imperantes ibi obstringi lege fundamentali, quæ in Germania, *Capitulavis*; in Polonia *pacta conventa* appellatur. Utraque pacta imperantes tenentur jurejurando confirmare. In capitulatione inter alia cavetur, ne quem nobilem, Baronem, Comitem, aliis principibus subjectum, in horum præjudicium in principum ordinem adsumat. Fingamus ergo Imp. alicui juramento promississe, se eum Principem facturum: id non potuerit, quia antea juravit, se id non facturum. Peccavit ergo dum

dum juravit, sed peccaret magis juramentum illud posterius præstando.

§. 4.

Quæritur 3) an & reges ex promissis suis obligentur sine causa debendi? sed hæc quæstio facillima. Nam 1) jam supra demonstravimus, hoc requisitum, nempe causam debendi, manifesto esse ex jure civili, adeoque ad principes pertinere nequit. 2) Ratio etiam hujus juris in principe cessat. Nam aut cum alio Principe, vel rep. ipsi res est, aut cum privatis. Adversus alios Principes vel resp. non solent esse liberales, adeo nec quidquam sine causa promittere. Subditis autem benefacere officium est Principis: nec metus est, ne ideo ad paupertatem redigantur.

§. 5.

Denique 4) quæritur: an & juribus civilibus in pactis & contractibus summorum imperantium locus sit? Id negat Vasquius, & cum eo Grotius & recte, modo distinguas inter ea, quæ jus civile ex J. N. & G. desumit, & ea, quæ sunt propria juris civ. Illa stringunt principem, non quatenus sunt J. civ. sed quatenus sunt ex J. N. & G. Hæc non stringunt, quia jus civ. dependet a princ. Princeps autem non sibi, sed subditis leges præferibit.

Exemplis res fiet clarior. Nuptiæ sunt consensu. Id juris civilis quidem est, sed ex J. N. & G. proficiscitur. Ast quod fieri debeant nuptiæ coram facie Ecclesiæ, & per benedictionem ministrorum Ecclesiæ,

siz, id juris mere civilis est. Valebunt ergo principis nuptiæ etiam sine sacerdotali benedictione, sed non valebunt sine consensu.

Observandum tamen, recte facere bonos principes, si se hujusmodi legibus sponte submittant, ne scandalum præbeant subditis.

Hinc facile etiam deciditur quæstio, quam ridicule movit *VASQUIUS controvers. illust. l. 1. c. 52. num. 34.* an princeps possit emere sine certo pretio? conducere sine certa mercede? Consensus enim in idem pretium vel eandem mercedem requiritur a jure civili, sed ex principiis *J. N. & G.*

§. 6.

n. 1. Sequitur pars II. hujus capituli, ubi quæritur, quid principi liceat circa actus subditorum? Et primo quidem, quia sæpe cum ipsis subditis paciscitur princeps, quæritur, utrum princeps his pactis vere obligetur, an subditis jus quæsitum auferre queat, & ab obligatione resilire?

Baldus, quem & alii *JCTi* fere sequuntur, dicunt principem obligari quidem naturaliter, sed non civiliter. Sed quum hæc distinctio obscura sit, videbimus, quid in recessu habeat.

1) Naturalis obligatio aliquando dicitur, quæ ex honesti regula; civilis, quæ ex regula justitiae fluit, e.g. naturaliter obligamur ad dandam eleemosynam, non civiliter. Sæpe sensu accipiuntur Baldi verba, absurda sunt. Sic enim semper imperfecta
erit

erit principis obligatio, nec cuiquam faciet injuriam, si ab illa resilit.

2) Naturalis obligatio dicitur ea, quæ J. N. quidem firma est, sed ita ut jus civile ei non adsistat: civilis quæ civili jure rata est, quamvis jus naturæ eam non agnoscat. e.g. pacta servari jubet jus nat. sed jus civ. ex pactis nudis non dabit obligationem. Est ergo obligatio naturalis tantum. Contra pactum vi & metu extortum jus nat. irritum est, at jure stricto civili servandum. Est hæc obligatio mere civilis. Si hoc sensu accipias verba Baldi, illa denuo absurda sunt. Sensus enim erit, obligari quidem principem ex pacto suo, sed non nisi in conscientia, non autem cogi posse. Ergo si Imp. violat capitalationem, Ordines Imperii non nisi ingemiscere poterunt, non autem eum cogere, ut pactis stet.

Quid ergo? Dicimus obligationem ex principum promissis nasci plenam & perfectam, sive cum subditis agant, sive cum æqualibus. Rationes sunt, 1) quia J. N. sine distinctione personarum dicit: pacta sunt servanda. 2) Quia princeps dum paciscitur, non consideratur ut princeps, sed tanquam privatus, & æqualis.

Objicitur, me agere tamen non posse. Resp. Nec eo sensu verum est, principes non obligari civiliter. Nam ab actione ad obligationem non valet consequentia. Agere non possum contra fugitivum, sed tamen is mihi civiliter obligatur. Pupillus quoque

ipse agere non potest, & tamen ei obligatur, qui cum eo contraxit. Accedit quod in plerisque rebus publ. boni Principes se ultro judiciis supremis submitunt. Sic Rex Galliarum conveniri potest coram Parlamento, Elector Saxoniarum coram judicio aulico Lipsiensi.

§. 7.

Quæritur porro, an princeps alicui jus quæsitum ex pacto vel jurejurando auferre possit. Id ordinariè rogatur. Nam ideo principi subjicimur, ut sit, qui jura nostra conservet & defendat, non ut nobis ipse jura auferat. Sed addit auctor duplicem exceptionem. Nam aliquando princeps id licite facit.

1) vel pœnæ causa, veluti quum læsæ majestatis reo bona omnia simulque & jura auferuntur, & in Fiscum transferuntur: quamquam effectus hujus pœnæ per indirectum etiam in liberos innocentes transeat. Principes parciores esse decet in publicandis bonis.

2) Vi supereminens dominii. Sed nisi id jus recte circumscribatur, facile degeneraret in tyrannidem. Est ergo jus simile illi, quo utuntur medici ad urendum secandumque, si remedia ordinaria non sufficiant. Hinc distinguendum inter statum republ. ordinarium & extraordinarium. In statu ord. est republ. si pax est, si que omnia se recte habent. At extraordinarius status republ. est status morbidus, corruptus, si vel seditiones vel bella gliscunt. In hoc aliquid licet principi ob necessitatem,

tem, si resarciatur damnum, sed non in illo statu ordinario. Hinc potest princeps agrum, quo ad munitionem opus est sibi fumere, potest nautas cogere ad transmittendos milites, quamvis alii promissis vel iurijurando obstricti sint. Sed non potest agrum eripere solius utilitatis causa. Unde jam aliis observatum est, Grotium, ejusque sectatores, quia solius utilitatis rationem habent, non satis consuluisse subditis contra Imperantes, immo ex his principiis facile defendi posse factum Achab, Nabothis vineam appetentis.

§ 8.

Fuerunt, qui distinguerent, inter ea quae jure nat. & quae jure civ. alicui competant, existimantque priora jura principem ob causas hactenus enumeratas auferre non posse: reliqua vel posteriora posse.

Enimvero recte hanc sententiam refellit Grotius. Jus enim hoc subditorum effectus est domini. Dominium autem nascitur sive modus acquirendi naturalis sit, e. g. dum acquisitio fit per occupationem: sive juris civilis, veluti dum acquisivi per successionem ex testamento. Sufficit enim, me factum esse dominum.

Existimat Grotius principem & exteris jus quassitum auferre posse in poenam, e. gr. si vectigal defraudando retinuerint, non autem ex vi eminentis domini, quia in res exterorum nullum sit dominium eminens. Enimvero ipse tamen infra fatetur, tempore belli non injustum esse exterorum naves ad transmittendos milites in suis do-

minis adhiberi, modo illis solvatur merces. Hinc recte dixeris, hoc jus in omnes se extendere cives etiam temporarios, quales sunt exteri in republ. nostra commorantes: sed eo discrimine, ut illis res & jura auferri possint in perpetuum, quia sunt cives perpetui, his ad tempus, quia temporarii.

§. 9.

Inspergit Grotius questionem, an verum sit, quod nonnullis visum, contractus principum leges esse?

Negat id Grotius & quidem rectissime. Nam 1) leges feruntur & invitis, contractus fiunt consentiente utraque parte. 2) Leges non obligant Principem, sed subditos: contractus utrosque. 3) Leges tolluntur a legislatore invitis subditis: contractus non item. 4) Immo nullus contractus principis cum principe ratus esset, si contractus essent leges, quia Princeps Principi legem ferre nequit.

Possunt tamen per accidens fieri leges non ratione contrahentium, sed ratione aliorum civium, quibus lege publica iungitur, ut ne quid contra contractum agant. E. g. pax Westphalica, contractus locationis conductionis cum publicanis initus.

§. 10.

Haecenus de effectu jurisjurandi vel promissi principis intuitu ipsius Principis, & subditorum. Sequitur pars III. quid juris illi sit in obligandis successoribus?

Aut succeditur vero jure universali per-

mo-

modum hereditatis, sive patrimoniale sit Imperium sive usufructuarium: aut titulo singulari, e. g. per electionem.

Priore casu recte adferitur, successorem obligari promissis & juramentis antecessoris, quia heres transit in omnia jura defuncti, adeoque & facta ejus præstare debet. Et de eo nemo dubitat. Hinc nihil notius, quam successorem heredem conveniri ex contractibus & promissis defuncti.

§. 11.

Est de successoribus singularibus distinguendum, quod aut defuncti contraxerunt tanquam privati: & tunc non tenentur. Aut tanquam Principes intuitu reipubl. & tunc tenentur.

n. 1. 2.

Hinc recte Grotius dicit eos non obligari *immediatè*, immediate, sed *immediatè*, mediate, mediante scilicet republ.

Ratio est, quia imperantibus respubl. concessit facultatem contrahendi pro republ. Et inde est, quod Princeps novus electus ex foedere antecessoris obligetur, non autem ad æs alienum ejus solvendum, nisi in rem civitatis versum sit.

§. 12.

Attamen & hic notanda exceptio. Nam quamvis facultatem pro republ. contrahendi Principi concesserit populus: ea tamen facultas non est illimitata & infinita. Id 1) in genere probatur, 2) in specie ostenditur, quousque se ea facultas porrigat.

n. 1.

1) Quod restricta sit hæc facultas, generatim probatur 1) ex fine civitatis. Is non est ut Princeps pro lubitu agat, sed ut id
 agat

agat, quod salus & securitas publica exigit. Sic e. g. Roma Neroni dederat facultatem imperandi, non occidendi promiscue, non urbem incendendi. 2) Quia omnia pacta habent tacitam conditionem, ut recta ratio servetur. Rectæ autem rationi repugnaret pacisci cum Principe, ut ei liceat in nos impune grassari. 3) A simili. Princeps veluti tutor est reipubl. Tutori autem licet administrare, non spoliare.

n. 2. 2) Sed quousque se ea facultas extendit? Resp. ut Princeps se & rempubl. obliget ob justam rationem. Non ergo hæc quaeritur

1) an pactum a Principe initum: utile reipubl. fuerit. Nam sæpe & optimâ consilia male cedunt, & casum nemo præstat.

2) Nec an eo pacto resp. læsa sit. Inter Principes enim non semper locum habet æqualitas, ob inæqualitatem virium. Sic sæpe potentior foederato impotentiori promittit auxilium 20000. hominum: quum impotentior reciproce promittat 3000.

3) Sed an pactum probabilem habeat rationem, idque in dubio merito præsumitur, donec contrarium probetur.

n. 3. Addit A. nonnullas observationes huic pertinentes, veluti, 1) veteres & eos laudare, qui antecessorum promissa præstiterant, ut Titum & Trajanum, & eos vituperasse qui promiscue præstiterunt, ut Vitellium. De Tito vid. SVET. cap. 8. de Trajano PLIN. Paneg. de Vitellio TAC. hist. 1. 3. cap. 55. Sed distinguendum omnino,

no,

no, an salva republ. prestare possint nec ne. Accedit, quod Titus & Trajanus titulo universalis; Vitellius titulo singulari electionis successerunt.

2) Et republ. aliquando non tenentur prestare promissum principis sui, si jam pateat, illud manifesto vergere in perniciem republ. E. g. si Princeps vicino obsequium sine ratione promiserit, eo mortuo resp. non tenebitur prestare, quod promissum, nisi expresse consenserit, vel Principem promitti iusserit. n. 4.

Objici posset, dixisse nos §. 11. num. 2. republicam teneri, & per republ. etiam successorem singularem: quomodo ergo dici posset, hujusmodi promissum revocari? Recte resp. Grotius, hic promissum non revocatur, sed ab initio nullum fuit, quia Principi facultas hujusmodi quid promittendi concessa a populo non fuit.

3) Quae de contractibus dicta: eadem intelligenda esse de alienationibus. Si enim res domaniales sine ratione alienaverit Princeps, populum vel successorem eas jure revocare, jam supra demonstravimus. n. 5. 6.

Enimvero ea observatio supervacua est, quum alienatio a Principe semper fere per contractus, raro per ultimas voluntates fiat. Contractus autem iniuri non possunt de rebus alienis. Manifesto autem res alienae sunt domaniales, quippe quae ad republ. pertinent, usufructus dumtaxat Principi competente.

§. 13.

Sequitur questio, an successor solvere possit

possit vel revocare beneficium ab antecessore datum? Sunt, qui id promiscue fieri posse existimant: quod absurdum, quum sic Principi non liceat esse benefico, quod tamen privato civis licet.

Rectius ergo cum Grotio distinguimus, de suo, an de rebus ad civitatem pertinentibus liberalis sit Princeps. Si de suo: id quod semel datum revocare non potest, nisi in poenam vel ex dominio eminente. e. gr. Si donavit ex patrimonialibus, si utensilibus auro, argento &c. aliquem locupletarit. Sic enim donavit non tanquam Princeps, sed tanquam privatus, adeoque & eodem jure tenetur. Ast Princeps beneficus de rebus civitatis de alieno liberalis est. Quum itaque hujusmodi donatio in se nulla sit, sequitur ut & ipsi, & successores & resp. eam revocare pro lubitu possint.

§. 14.

Bella est quaestio ultima, an contractibus eorum, qui injuste invaserunt, teneantur successores justis. Habemus exemplum in Anglia, postquam Oliverio Cromwello Carolus II. Rex legitimus successerat. Cromwellus multa foedera, multa pacta, etiam Angliae utilissima inierat cum vicinis gentibus. An iis obstringebantur etiam legitimi Reges?

Negat id Grotius. Quia Princeps legitimus plane non est successor ejusmodi invasoris, neque universalis inquam successor, nec singularis. Ergo plane non praestatur illius factum praestare.

Addit tamen Auctor exceptionem, si in rem

rem versum: id est, si in utilitatem reipi
vergit pactum ab invasore initum. Tunc
enim quasi negotia reip. vel Principis uti-
liter gessit, adeoque hic obligatur ex axio-
mate illo notissimo, neminem debere cum
damno alterius locupletiolem fieri.

C A P U T XV.

De Fœderibus & Sponsionibus.

§. 1.

HActenus de pactis & conventionibus
Principum in genere. Quemadmo-
dam ergo supra pacta privatorum a con-
tractibus distinximus: ita Grotius & pa-
cta principum distinguit a fœderibus &
sponsionibus, de quibus hoc capite XV.
ita agit, ut

- 1) ostendat divisionem hujusmodi con-
ventionum publicarum. §. 1, 7.
- 2) doceat, quid justum sit circa fœde-
ra? §. 8, 15.
- 3) Quid justum circa sponsiones? §. 16,
17. Conventiones sunt vel publicæ vel pri-
vatæ. Publicæ, quæ nisi jure Imperii fieri
nequeunt. E. g. fœdera, pax, pacta cum
hostibus inita, induciæ &c. Privatæ, quæ
& a quovis privato jure ineuntur, e. g. em-
tio, permutatio, donatio &c.

§. 2.

Publicæ demum dividuntur in fœdera,
spon-

sponsiones, & pactiones. Foedera sunt pacta inter gentes inita : sponsiones pacta a legatis vel privatis sine jussu imperantium inita : omnes reliquæ conventiones, vel cum hostibus vel cum privatis inita a rep. generale nomen retinent pactionum.

§. 3.

n. 1. Inde facile patet, quodnam sit discrimen foederum & sponsionum. Foedus initur jussu summæ potestatis, adeoque æque obligat principem & rep. ac contractus a privato per mandatarium initus.

Ast sponsio est, quando ii, qui mandatum non habent a summo imperante aliquid promittunt nomine Principis vel reipubl. Quod fieri potest non uno modo, ex. gr.

1) Si legatus fines mandati excesserit, & plus promiserit, quam Princeps jussit.

2) Si Dux bellicus ad incitas redactus turpi pacto vel foedere periculum avertere conetur injussu reip. Tale exemplum est in sponsione Caudina apud Livium l. 9. cap. 8.

n. 2. 3) Si minor pars populi paciscatur ignorante vel repugnante parte majore, quale est elegans exemplum in historia belli Gallico-Romani. Galli Senones Romam occupaverant & incendebant, populus maximam partem Vejos in castra, pauciores in arcem Capitolinum cum Manlio secesserant. Hi arcem defendebant diutissime : extrema passi pactum inibant, de vita illis pro pecunia cento pondere concedenda. Dum

jam

jam pecuniam adpendebant, Furius Camillus cum exercitu superveniens, rem omnem turbavit, negavitque populi partem pacisci potuisse invita parte majore, de re, quæ ad universam spectet rempl.

Equidem si de se tantum pacti fuissent, pactum fuisset ratum, uti quotidie tempore belli videmus validas haberi pactiones deditiois causa initas a duce præfecto præsidio, quamvis a superiore non confirmatas. Ast de summa rei pacisci nemo potest, nisi jussu reip. vel summi Imperantis, alias est sponsio tantum.

Sed quæritur, quæ ex sponsione spondenti imponatur obligatio? Possent videri, non aliam nasci, quam quæ ex promissione facti alieni. Ex ea enim tantum teneor ad operam quamcumque navandam. Sed responderetur id falsum esse: Hic enim non promitto factum alienum, sed promitto pro alio, ac si ille mandasset, quum tamen non mandaverit.

n. 3

Ergo distinguendum, prædixeritne spondens, se nullo mandato instructum hæc promittere, sub spe rati: tunc non tenetur: an dissimularit, & præ se tulerit, se mandatum habere, & tunc tenetur ad satisfactionem. Ea satisfactio vel ad id, quod interest, pertingit, vel si dolus concurrat, ad poenam. Apud Romanos mos erat tradendi spondentes nudos, revinctis in tergum manibus.

§. 4.

Quum Menippus Regis Antiochi legatus apud Livium tria constitueret fœderum gc-

genera : quarit Grotius, an ea divisio admittenda sit?

Nimirum ex Menippi sententia sunt, 1) foedera, quibus bello victis leges dicantur, in quibus victoris sit arbitrium, quid relinquere velit victis.

2) Foedera quibus gentes bello implicitæ pacem faciunt, tum plerumque res vero domino reddi, aut lites de jure & possessione rerum conventionem finire.

3) Foedera, quæ fiunt inter eos, qui hostes nunquam fuerunt, qualia sunt foedera de commerciis, mutua defensione.

Sed hæc divisio eo vitio laborat, quod primum genus foederum id nomen haud meretur, quippe quum foedus sit conventio inter societates liberas. Gens autem devicta & perdomita, cui leges præscribit victor, non amplius est libera. Deinde foedus est conventio. Leges autem præscribere subjectis non est conventionem, vel pactionem inire, quum sit actus unilateralis.

§. 5.

Meliorē itaque daturus divisionem Grotius foedera distinguit in ea, quæ nihil adjiciunt juri nat. & ea., quæ aliquid adjiciunt. Prioris generis foedera generalia; posterioris specialia dici possunt.

1) Generalia sunt, quibus aliquid nobis stipulamur, quod jam tum jure nat. debetur, e. g. ne alter nos lædat, ut amicitiam & vicinitatem nobis commodam percolat &c. Vocantur hæc foedera etiam amicitia.

2) Specialia sunt, quibus aliquid stipulamur,

itur, quod non debetur J. N. e. g. mu-
tuam defensionem.

Sed quæri posset, an non foedera gene-
ralia sint supervacua, & minus necessaria,
quum certum sit, jam jure nat. deberi, quod
promittitur. Verum respondet Grot. ideo
veteribus fuisse necessaria, quia post dilu-
vium præceptum juris naturæ, quod homi-
nem homini insidiari nefas sit, oblitteratum
fuerit improbitate hominum.

Hinc eleganter & erudite observat, ple-
rasque gentes olim ita a pristina virtute de-
scivisse, ut latrocinari iis non visum sit tur-
pe, modo latrocinia exercerentur adversus
exteros, non adversus cives. Hinc Scythæ,
Germani, Parthi, latrocinia sibi laudi du-
cebant. Hinc apud HOMERUM *Odyss. V. qua-
stio: estisne pradones, non habetur pro rursi
& incivili, sed pro glorioso.* Immo apud
PLAUTUM in *Milite glorioso* non semel mi-
lites vocantur latrones ex veteri more, quo
latrocinari non turpe erat.

Quamvis vero hæc recte se habeant:
non tamen vera hæc est ratio, cur opus
fuerit foederibus generalibus, quæ potius
a natura officiorum imperfectorum & ci-
vitatum est repetenda. Nam

1) Inter vicinas gentes aut civitates vel
bellum, vel præparatio belli, vel infida
pax est. Semel autem extincta amicitia
non facile reviviscit, nisi hujusmodi fœ-
deribus.

2) Non lædere est officium perfectum:
amicitiam & humanitatem præstare alte-
ri, officium imperfectum. De hoc autem
cer-

certus alter esse nequit, nisi foedere vel pacto illam sibi stipuletur.

- n. 2. Hinc etiam facile patet, an inter pacta hæc generalia referenda sint foedera de jure hospitii, itemque de libertate commerciorum? Gens genti hospitia & commercia jure perfecto non debet, quia non tenetur alterius commoda cum suo detrimento promovere.

Si ergo jure perfecto non debentur: opus est, ut pactis & foederibus sibi hanc libertatem stipulentur gentes & civitates. Et sane hoc respectu magis specialia sunt hæc pacta quam generalia. Quis enim dixerit eum Principem contra jus naturæ peccare, qui commercia cum exteris prohibet, quod ipse Deus fecit in rep. Israelitica?

§. 6.

- n. 1. Jam specialia foedera porro subdividuntur in æqualia & inæqualia.

Æqualia ubi utriusque paciscentis par est conditio, e. gr. si gentes sibi invicem promittunt mutua auxilia ejusdem quantitatatis.

Inæqualia contra, ubi impar est paciscentium conditio, quale est foedus inter Francos, & Helvetios.

- n. 2. 3. Utraque tum æqualia, tum inæqualia sunt vel pacis, vel societatis causa.

Pacis causa, quo pertinent foedera de pace constituenda, de reddendis captivis (quæ vocantur *carrels*) de induciis, de munimentis quibusdam a tertio, milite custodiendis, barriere tractaten.)

Societatis vel ad commercia pertinent
(commerciën-tractats) vel ad bellicam so-
cietatem (off & defensiu-alliances.)

Omnia enim hæc fœdera vel æqualia,
vel inæqualia esse posse nemo non videt,
e. gr. in pace modo utrique restituitur,
quod bello extortum, modo alterutri. In
fœderibus commerciorum caussa initis mo-
do utrique modo alterutri promittitur a
vectigalibus libertas. In bellica societate
modo par utrique imperatur militum na-
viumque numerus, modo impar.

§. 7.

Inæqualia fœdera denuo dividuntur. n. 1.
Nam aut inæqualia sunt ratione præstatio-
num, aut ratione modi præstandi.

1) Ratione præstationum, ubi inæqua-
lis est præstationum mutuarum quantitas,
e. g. rex reipubl. promittit 30000. resp.
regi 10000. milites.

2) Ratione modi præstandi: si in fœ-
dere uni præminencia quædam conceditur,
e. g. Bavarus fœdus cum Gallo inierat,
sed hic sibi stipulabatur, ut Dux Gallica-
nus Bavaricas copias simul duceret in Ger-
mania. Sic Carthaginenses quoque fœdus
post bellum Punicum I. & II. inibant,
sed ita, ut tributum annum Carthaginen-
ses deberent Romanis, nec sine eorum con-
sensu bellum gerere possent.

Hæc inæqualia ratione præstationum vel
sunt conjuncta cum imminutione imperii, n. 2.
vel sine imminutione hujusmodi ineuatur.
Cum imminutione conjuncta, ubi alter
fœderatus alterius imperium semper & ma-
nife-

risesto agnoscit, uti hujusmodi foedera erant inter Rom. & Carthaginenses, inter Augustum & Herodem: hodie inter Batavos & reges Ceyloniz.

n. 1. Quae sine imminutione imperii sunt, vel imponunt onus perpetuum, vel temporarium e.g. Foedus Helveticum Helvetiis hoc perpetuum onus injungit, ut pati teneantur milites a Gallis in suo territorio conscribi: nec tamen eo ipso summum Helvetiorum imperium minuitur. At & Bavaro imponebatur onus, ut pati teneatur milites suos a Gallicano Imperatore duci: verum hoc onus erat transiens.

Posset aliquis existimare, foedera hujusmodi esse iniqua, quia jus naturae in conventionibus exigat aequalitatem.

Sed resp. Opus est ea aequalitate, ubi res certam admittit aestimationem, ut in contractibus privatorum. At conservatio imperii est res inaestimabilis. Hinc quia impar est rerumpublicarum potentia, hinc impotentior saepe promittit minus, potentior majus, si hujus interest, minorem remptabl. a tertio non opprimi. Sed & impotentior civitas saepe ultro subit majus onus, si videat aliter se salvum esse non posse, nec aliter adduci se passuram potentio-rem, ut ei auxilio sit.

§. 8.

Haec prima pars: sequitur altera, ubi quaeritur, quid justum sit circa foedera? Prima & difficillima quaestio est, an cum infidelibus liceat foedera inire? Notum enim est, quam dicam olim Hispani
su-

susceperint Francisco I. Regi Franciæ, fœdus ineunti cum Turcis adversus Carolum V. Imp.

Distincte ergo eam quæstionem ad jus nat. & jus divinum positivum exigit Grotius.

Quod ad jus nat. recte negat, hæc fœdera repugnare huic juri sempiterno. Nam jus nat. est commune omnium hominum. Si est commune omnium hominum, sane non distinguit illud inter infideles & fideles. Potius quemadmodum æque injustum est ethnicum occidere ac Christianum, ita æque justum, cum ethnico pacisci quam cum Christiano.

§. 9.

Quid vero de jure divino? Hic haud pauca sunt S. S. loca, ex quibus sequi videtur, fœdera cum infidelibus Deum averfari & prohibita velle. Sed Grotius tamen docet, ea nec V. T. nec novi repugnare principiis.

Nam 1) non improbantur fœdera amicitiae cum infidelibus inita, quale est illud Jacobi cum Labano Gen. XXXI, 44. sequ. Deinde cum Edomitis & Ægyptiis fœdera Israelitarum non improbat Deus, quia generatim voluit, ne Israelitæ Edomitas & Ægyptios averfarentur. Deut. XXXIII, 7.

Objici posset: fœdera tamen cum populis Palæstinae prohiberi expresse Deut. VII, 2. Sed resp. Deum Israelitis exsequutionem demandasse. Prævaricatio autem fuisset, fœdus inire exsequutores cum condemnatis. Ita Grotius. Sed ego existimo Deum Israelitis non solum moraliter male

Hein. de Jure Belli, &c. Y pro-

prohibuisse, verum etiam mala politice ratio, quia Deus erat summus Imperator Israelitarum, eorumque resp. vere Θεοκρατία dici poterat. Vid. HERM. CONRINGII *diss. de Theocrasia Hebr. republica sine exemplo*. Atqui omnino politice malum erat, Hebræos ad idololatriam natura proclives cum idololatriis in sua terra obviis foedus iniire. Magis consultum erat, omnes has gentes funditus extirpari, ne corrumpere Israelitas. Ratio ergo hujus prohibitionis non moralis fuit, sed politica.

n. 2.

2) Nec Deus prohibuit foedera merciorum causa cum infidelibus inita: idque probatur exemplo Salomonis, hujusmodi foedus ineuntis cum Hieramo Tyrionum Rege. 1. Reg. V, 12. Isque actus Salomonis expresse ibi tribuitur divinz, quæ in Salomone reluxerit, sapientiz. Immo non solum cum Hieramo hujus rei causa foedus initum oportuit, sed & cum gentibus Ophiriticis, ad quas navigabant tunc homines Salomonis.

n. 3. 4.

Objici posset: Deum expresse dixisse: *Amabis proximum*, quod ipsi DD. Ebræi interpretati sunt: *odio habebis inimicum*. Immo id tam late interpretabantur Judæi tempore Christi, ut gentilibus ne quidem officia innoxiz utilitatis præstarent, nedum ut cum iis inirent foedera. Vid. querelæ gentium de ea Judæorum *paradipariz* ab ipso auctore hoc n. 3. collectæ.

Sed recte hic respondet Grotius. Fuisse hanc DD. interpretationem falsissimam, & hinc a Christo efficacissime refutatam, non solum

solum verbis Matth. V, 43. sequi. verum etiam ipsis factis. Christus enim cum Samaritide loquutus est humanissime, cum ea bibit, apud eam divertit, ut reipsa doceret, non esse sensum legis divinæ verum, quem illi adfingebant Judæi, quod abhorrendum plane sit a gentibus exteris. Addit Grotius etiam veteres fideles in legem Dei interpretatos, nempe Davidem, qui a Saule passus persecutionem ad Philistæos confugit, & Salomonem qui in precibus, quibus templum dedicabat, etiam gentilibus concessum dicit, ut in atrio extremo templi orent. 2. Reg. VIII, 41.

Soli denuo ob rationes politicas excipiebantur gentes Palæstinæ, & inter Israelitas viventes, ne familiarior justo consuetudo cum his infidelibus Israelitas ad idololatriam pelliceret. Vid. quæ diximus ad §. 9. n. 1.

Hinc tantum abest, ut cum iis commercia habere potuerint Israelitæ, ut ne liceret quidem iis officia humanitatis præstare. Diserte enim Moses Deut. XXII, 6. *Non quæres prosperitatem eorum, nec bonum eorum, nullis diebus tuis unquam.*

3) Nec fœdera mutæ defensionis cum gentilibus illicita fuerunt. Sic Abrahamus armis juvit Sodomæos Gen. XIV, 14. sequi. Ita & Hassomonæi fœdus hujusmodi iniierunt cum Romanis & Spartanis. Vid. 1. Maccab. XIV. & XV. Quamvis enim hi libri non sint canonici: habent tamen auctoritatem historicam, docentque Hassomonæos, tanquam legis peritos hujusmodi fœdera in se non putasse illicita.

Y 2 Obji-

Objiciunt loca 2. Paral. XIX, 3. XXV, 7. ubi increpatur Josaphatus, Rex pius, quod foedus inierit cum Rege Israelitarum, contra Syros. Item 2. Paral. XX, 37. ubi itidem increpatur Josaphatus, quod foedus commerciorum causa fecerit cum Achazo, rege Israelitarum idololatra. Videtur ergo Deus plane hæc foedera improbare.

Sed resp. 1.) non increpatur ipsum foedus, sed Josaphati levitas & pertinacia. Deus enim per Micham prædixerat, bellum illud male cessurum, & tamen Josaphat in foedere persistebat.

2.) Israelitarum idololatrarum eadem erat ratio ac gentium Palæstinarum inter Israelitas viventium. Familiaris enim cum illis consuetudo facile pellicere potuisset fideles ad similem impietatem. Ubi ergo eadem est ratio, ibi eadem legis dispositio.

3.) Sæpe non tam foedera a Deo reprehenduntur, quam animi consilium, quo hæc foedera inita sunt. Sæpe enim ea inibant Israelitæ ex diffidentia erga Deum, eoque pertinet exemplum Asæ regis, 1. Paral. XVI, 12.

Quis autem ignorat ob hujusmodi pravam intentionem actus in se licitos vitari? Exempla habemus 2. Sam. XXIV, de Davide censum agente, & 2. Reg. XX, 13. de fiducia in Ægyptum posita.

4.) Denique Israelitis non opus fuit foederibus, si essent probi ob promissiones speciales victoriæ. Deut. XVIII, 7. Ergo plerumque aut inibantur ab Israelitis pravis & ido-

idololatria pollutis, tunc fœdera hujusmodi Deo placere non poterant, quia nihil, quod fit ab impiis Deo placet: aut inibantur a probis quidem, sed Deo disidentibus, nec sic Deo placebant.

Ut paucis dicamus: fœdera cum infidelibus non in se erant illicita, sed facile mala fiebant, & Deo displicebant pro ratione circumstantiarum.

§. 10.

Pergimus ad scripturam N. T. & quaerimus, an ei adversentur fœdera cum infidelibus? Id merito negant Grotius.

1) Quia Evangelium etiam hostium charitatem per modum præcepti inculcat. Matth. V, 43. sequ.

Quamvis enim salva manere debeat graduum differentia, adeoque æquissimum sit, ut plus amoris præstemus fratribus quam aliis: omnibus tamen Christianus debet amorem. Quod eleganter ita eloquitur Paullus Apostolus: *Benefacite unicuiqueque, maxime tamen inquilinis fidei.*

2) Nec Christus inhibuit convictionem & conversationem cum infidelibus. Potius & ipse & Apostoli frequentissime inter gentiles & Judæos versati, cum illis edebant, biberunt, &c.

Objici possent loca 2. Thess. I, 15. 2. Cor. VI, 14. ubi omne commercium cum hæreticis & religionis desertoribus videtur prohiberi.

Sed hæc prohibent 1) conversationem totalem, qua corrumpi possent fideles, & ad eosdem errores abripi. 2) Prohibent

conversationem hæreticorum ob scandalum, quod inde capere possent fideles. Multa autem in se licita mala sunt, si scandalum metuitur fratrum.

Objici etiam porro posset, non probari in S. S. imperia infidelium sponte inita; nec connubia cum infidelibus inita. Sed resp. 1) improbari illa non tanquam illicita, (alias enim nec retinere Christianus posset conjugem infidelem, nec parere salva conscientia posset regi infideli, quod absurdum,) sed tanquam minus bona. Si enim electio nobis est libera, qualis in conjugio, quis non male verterit homini fidei, conjugem infidelem tot fidelibus sine ratione præferenti? 2) Improbatur eadem ob eventum, qui sequi potest, tristissimum. Facile enim femina blanditiis muliebribus maritum ad errores suos pelliciet, uti contingit Salamoni: facile maritus infidelis uxorem natura simpliciore imperio maritali vel auctoritate territam ad suas partes protrahet.

§. II.

Satis ergo demonstratum a Grotio, foedera hujusmodi in se haud esse illicita. Posse tamen fieri mala pro circumstantiarum qualitate, idem demonstrat. Nam

1) possunt mala fieri, si nimia commixtio contagium infirmis adferat. Hinc diximus Deum omnem familiaritatem cum Palæstinæ gentibus prohibuisse.

2) Possunt mala fieri, si foederibus hujusmodi potentia infidelium maximum capiat incrementum, ut deinde communem

caus-

cauſſam eo facilius opprimant. Sic enim occasionem ſuppeditamus ruinæ religionis. Obiter tamen moneo, perverſam hic eſſe explicationem dicti Matth. VI, 33. quod non de externa propagatione Evangelii, ſed de interna cura ſalutis agit.

n. 3.

Et inde concludit Grotius, optandum eſſe, ne fœdera cum infidelibus contra Chriſtianos inita nimis frequentia ſint. Nôs huic voto ſubſcribimus, obſervato diſcrimine inter fœdera belli & commerciorum cauſſa inita. Hæc enim non tam periculofa ſunt fidei ac illa.

§. 12.

Illud vix ferendum, quod Grotius §. inſequenti Pontificiorum dogmati ſubſcribit, omnes Chriſtianos conjungere debere arma adverſus infideles, & peccare principes in conſcientia, qui id prætermittant. Hoc enim ipſum principium eſt, quo a ſæculo XI. Pontifices homines ad ſuſcipiendas expeditiones Hieroſolymitanas excitabant. Grotii argumenta ſunt

1) quia omnes Chriſtiani ſunt membra unius corporis, & hinc etiam reliquorum membrorum dolores & mala perſentire debeant 1. Cor. XII, 18. 26. Sed reſp. Chriſtiani qua Chriſtiani non pugnant armis carnalibus. Qua imperantes pugnant; ſed tunc id non juſte fit, niſi permittat J. N. Jus nat. autem non permittit bellum ob ſolam adverſæ partis infidelitatem.

2. Eſſe hanc cauſſam communem. Reſp. aut infideles bellum excitant eo conſilio, ut Chriſtianos eradicent, tunc cauſſa eſt

communis. Aut ex politicis rationibus bellum susceptum, tunc non dici potest causa communis, nisi per accidens.

Hinc distinguendum inter bella defensiva & offensiva. Offensiva injusta sunt, 1) si suscipiantur sine causa contra infideles, tantum quia infideles sunt. Hinc plerumque expeditiones cruciatae, quas vocant, fuere injustissimae, nec justius est bellum Hispanorum contra Americanos. 2) Si suscipiantur contra praevia pacta & foedera. Triste exemplum vidit Hungaria in Ludovico, ultimo rege Hungariae.

Si defensivum bellum gerendum, tunc justam causam habent, qui oppressis Christianis adstant, eosque in ordinem cogunt, & hujusmodi foedus laudabile est: sed non sunt injusti, qui id non faciunt, quum & in foederibus pangendis populi & reip. salus sit lex suprema. Legi meretur BUDDI Exercitatio eruditissima de *expositionibus sacris.*

S. 13.

n. 1.

Sequitur nova quaestio: Si plures nobis sint foederati, iique inter se bellum gerant, utri opem ferre teneamur?

Hic 1) tenendum non foedus nos obligare ad ferendam opem, sed causae justitiam. Semper enim foedera intelligenda sunt cum tacita conditione: feremus opem, si injuste quis te adgrediatur, vel si juste alium adgrederis. Ubi ergo unus ex foederatis nostris bellum injustum gerit, ibi ei opem ferre teneamur, cujus causa est justissima,

Exci.

Excipitur tamen caſus, ſi alteri promiſſum, ne alteri mittantur auxilia, tunc neutri poteſt opem ferre, id quod hodie vocant Neutralitatem. Sic Venetiæ & Dux Lotharingiæ ſuperiore bello nec Gallorum nec imperatoris partibus accedebant, quia utriſque foedere obſtricti promiſerant, ſe non miſſuros auxilia.

2) Si utriuſque partis cauſſa injuſta vel certe dubia ſit, neutri opem ferre tenemur, ſed tunc nos offerre poſſumus tanquam mediatores, & ſponſores pacis, (guarandeurs) id eſt poſſumus modo hujus, modo illius ruinam evitare, ut pax, neutro ad incitas redacto eo facilius coaleſcat. n. 2.

Laudanda ea in re reſp. noſtra, quæ ſuperiore ſæculo inter Suecos & Danos ita ſe geſſit mediam, ut modo Danis contra Suevos aſſeſſet, modo Suecis contra Danos, prout huic vel illi parti interitus imminebat. Non enim aderant tanquam reſp. foederata, ſed tanquam ſponſor pacis, eo conſilio, ut utramque partem ad pacem redderet proclivior.

3) Si uterque foederatus bellum cum tertio gerit, tunc utrique auxilia ferri poſſunt, ſive militibus ſubmiſſis, ſive pecunia. Sic Britanni & Batavi & Cæſari & Regi Luſit. copias ſubmittebant. n. 3.

4) Rarior eſt caſus, quem tangit Grotius, quod foederatus utrique foederato præſentiam ſuam promiſit. Quum enim præſentia ſit individua, nec pluribus ſimul commodari poſſit: quæri tunc poſſet, utri foederatorum ipſe præſens aſſeſſe tepeatur?

Et respondet Grotius, tunc potiorems esse causam foederati antiquioris. Priori enim foederato jam jus quæsitum erat, quum novum foedus iniretur.

n. 4.

Addenda tamen exceptio, nisi posterius foedus simul sit conjunctum cum translatione domini. Nam tunc posterius solet priori pacto anteferri, quia priori satisfieri potest præstito interesse. Et hinc ratio videtur 1) cur venditio posterior, sequuta traditione priori præferatur, 2) cur venditio tollat priorem locationem secundum vulgare: *Koop brackl. Huz.*

Sed si vera fateri velimus, hæc ex jure civ. sunt. Ipse enim Grotius supra accurate docuit, dominium etiam sine traditione nuda contrahentium voluntate transferri. Id si verum, posterioris contrahentis non melior causa est, quam prioris.

§. 14.

Quæritur porro, an foedus in tempus initum tacite censeatur renovatum?

Resp. minime 1) quia natura omnium pactorum in diem initorum hæc est, ut lapsu diei expirent. 2) Quia circumstantiæ interea ita mutari potuerunt, ut foederati nostri intersit potius foedus finiri, quam continuari. Exemplum jam videmus in Helvetiis, ubi finito Gallorum foedere cum Evangelicis civitatibus nihil præstant Galli, nisi foedus revocetur.

§. 15.

Finitur etiam foedus akerius perfidia. Nam ea foederis natura est, quæ pacti.

Utrum-

Utrumque tacitam habet conditionem: præstabo, si tu præstiteris.

Sed notandum 1) locum esse huic juri, si alteri prius aliquid præstandum sit. Hinc facta pace Badensi, quum & Rex restitutionem Brisaci & Friburgi, & Imperator Electori Bavariz restitutionem promississet: hic dicebat, se restitutum, si prius restituisset Gallus: hic idem repetebat. Neuter erat perfidus, quia neutri pax priori restitutionem injungebat.

2) Perfidiam liberare partem innocentem, non perfidum. Nam ita fructum caperet malitiæ suæ. Id & in pactis obtinet. e. g. Si divortium fit ob adulterium, solet parti innocenti permitti novum connubium, non autem adultero, quia hunc perfidia sua a nexu non liberavit.

§. 16.

Sequitur tertia pars capituli de SPONSIONIBUS. Quid sit sponsio, jam in prima parte diximus. Hic tantum binæ expediendæ erunt quæstiones.

n. 1.

1) Si sponsio reprobatur a rep. in quid teneantur sponsores? an ad id quod interest, an ad restitutionem causæ in statum priorem, an ad dedendum corpus?

Prima sententia videtur ex jure civili defendi posse. Nam mandatarius, qui fines mandati transiit, tenetur ad id quod interest.

Atera æquissima videtur. Qui enim cum sponsoribus pactus est, non aliud damnum incurrit, quam quod jam res non amplius sit in priore statu. Si ergo in eum statum reducatur, ipsi satisfactum videtur.

Tertia sententia ex jure faciali, Romanorum est, & 2) exemplis illustribus firmata, sponfione nempe Caudia & Numanina, de quibus supra.

Grotius distincte hanc quaestionem solvit, & hinc 1) probat summum imperantem hujusmodi sponfione non teneri. Id manifestum, quia nemo obligatur facto alterius, nisi vel mandatum adfit, vel utiliter gestum sit negotium. Hic utrumque obligationis fundamentum abest.

Inde colligit, 2) populum nec ad id quod interest, nec ad restitutionem rei in pristinum statum teneri. Non ad prius, quia non laesit alios, quibuscum nunquam pactus est populus. Nec ad posterius, quia sibi imputare debent, qui occasionem rei bene gerendae ex manibus dimiserunt.

n. 3. 4

3) Nec exercitum teneri ex hac sponfione, 1) quia nec ipse contraxit, nec mandatum contrahendi dedit. Si enim id factum esset, omnino tenerentur. 2) Quia sibi debent imputare, qui sponforum tantum fidem sequuti sunt.

Reliquum est, 4) ut corpora & bona debeantur sponforum, & corpora quidem 1) si pra se tulerunt, quod publico nomine promittant, tunc enim manifestus est dolus, 2) si bona non sufficiant resarciendo damno.

Unde quum Romani hoc modo & sponfores & bona dederent, recte monet Grotius, aequius esse, ut primum bona dedantur, hisque non sufficientibus corpus.

4

§. 17.

n. 1. Quæstio II. An obliget sponfio summum im-

imperantem ex notitia & silentio? Alias enim vulgaris regula est, cum qui tacet, consentire videri.

Resp. distinguendum esse, an pure facta sit sponsio, an sub conditione, si rata haberetur a summa potestate.

Posteriore casu nullam obligationem ex sponsione nasci, palam est. Suspensus enim est pacti effectus a ratihabitione imperantis: eam vel expresse fieri oportet verbis, vel tacite factis: adeoque nudum silentium non sufficit.

Si pure factum, tunc denuo distinguendum, utrum solum silentium tenuerit imperans, an factum accesserit, ex quo ratihabitio colligi possit. E. g. si sponsio facta sit, ut naves tradantur, & imperans ante ratihabitionem expressam naves quasdam acceperit.

Fundamentum est, quia qui una in re pactum probat, id totum videtur probare.

Ad factum autem hic referri nequit non factum. Eoque pertinet elegans exemplum ex Polybio & Livio adductum. Asdrubal promiserat, Carthaginenses Iberum non transituros. Carthaginenses postea negabant eam sponsionem, suo injussu initam ratam esse. Objiciebant Romani, eos tacite ratam habuisse, quia Iberum non transierint. Carthaginenses respondebant, nullam fuisse occasionem. Et id recte. Ex non facto nulla inferri potest ratihabitio, quia nihil positivi hic adest, ex quo voluntas ratihabendi posset colligi.

Posset & questio subjungi, an duces, & mili-

milites injussu summi Imperantis possint pactionem cum hoste inire expediendæ salutis suæ causâ, uti sæpe fit in obsessio- nibus urbium? Sed quia hæc quæstio ad ea, quæ in bello licita sint, pertinet, hinc de ea acturi sumus libro ultimo.

C A P U T XVI.

De Interpretatione.

§. I.

p. 1. 2.

Doctrina de interpretatione veluti vaga ac incertæ sedis est. Theologi eam sibi vindicant sub titulo *Theologia exegetica*. Clericus eam refert ad Criticam. Grotius primus ad J. N. retulit, eumque postea sequuti sunt Puffendorsius, Thomasius, & alii. Propria tamen hujus doctrinæ sedes est in Logica.

Quæritur itaque, cur Grotius hanc doctrinam ad J. N. referat? & cur hoc potissimum loco eam pertractet? Ratio est, quia hætenus actum de promissis. Jam de illis sæpe nascuntur dubia, quomodo intelligenda sint. Non enim ad verba solum, sed præcipue ad sensum promittentis respiciendum est. Quis vero fuerit sensus, id ex regulis interpretationis est judicandum. Dicitur non potest, quanta sit hujus doctrinæ utilitas in publicis negotiis. E. g. Ferdinandus Catholicus foedus inierat cum Rege Galliarum de dividendo regno Neapolitano. Quum Gallis assignaretur Campania alia-

atque provinciarum, statim hic oriebatur, antiquane Campaniarum significatio locum habere debeat, an nova? Opus E. erat interpretatione.

Recte autem notat Grotius sub finem n. 2. interpretationem nisi signis, signa autem esse duorum generum, verba & conjecturas: E. g. Si dubium oritur, quid significant verba Caroli V. Idem, quod optat Rex Franciarum, & ego volo: id ex conjecturis repetendum. Sin queratur, quid significant verba: Salvo capite abito. Id ex verbis judicandum.

Verba iterum vel simplicia sunt, vel complexa sive conjuncta. Vel enim in vocibus simplicibus latet obscuritas. e. g. Titio lego penum: vel in integris phrasibus & propositionibus. e. g. Quod optat Rex Franciarum, & ego volo.

Constat ergo caput duobus partibus. Nam 1) agitur de verbis tam simplicibus §. 2. 3. tam conjunctis §. 4. 16. 2) De conjecturis §. 20. ad fin.

§. 2.

Fundamentum omnis verborum interpretationis est proprietas significationis. Qui enim nobiscum loquitur, vult ut verba eam in nobis excitent ideam, quam ipse habet. Ergo rem debet eloqui vocabulis propriis, adeoque valet regula: Verba tam diu accipienda sunt in sensu proprio & nativo, donec absurdum inde non sequitur. e. g. Si quis dixerit regem hunc esse tyrannum & barbarum, vel si virgo promiserit juveni per litteras, se eum confici

amore amplexuram? nemo remete per tyrannum intelliget Regem, per barbarum cum, qui Græcus non sit, per amorem charitatem Christianam. Nam verba accipienda sunt in sensu proprio, quamdiu non sequitur absurdum.

Ast id notandum, si de proprietate vocis quaeritur, non esse respiciendum 1) ad etymologiam, quia illa sapissime fallit, e. g. schola ab otio dicta: nec 2) ad analogiam, quia & hæc fallit, e. g. perire significat interire, ergo deperire, valde interire. Nec 3) ad usum veterem, quia significatio vocum mutari potest, ut doceant vocabula, tyrannus, fur, Sophista, sed ad solum usum, quem penes & arbitrium est, & vis, & norma loquendi. Hinc facile evanescent cavillationes. E. g. Rex Turcarum promittebat præsidio Negropon-tano, se milites salvos capitibus obire passurum, sed illos medios dissecari iussit. Attila promittebat se sanguinem in urbe non futurum, civesque ejus partim cremabat, partim diffodiebat. Carolus V. promittebat Philippo Hassiæ Landgravio se illum dimissurum sine perpetuo carcere, (ita enim Gronvellanus callide in salvo conductu scripserat ohne ewige Gefängnis, pro ohne einige Gefängnis,) & postea multorum annorum carcere illum macerabat.

§. 3.

In specie quoque de artium vocabulis notanda regula: Artium vocabula intelligenda sunt ex sensu ejus artis peritorum.

Hinc inter Ferdinandum Catholicum & Re-

Regem Galliz, quæ Campania sit, optime decidere potuissent Geographi, quid classis sit, optime docebunt navarchæ: quid exercitus, ex duce bellico discemus. Horum ex usu interpretanda sunt vocabula.

Addenda tamen exceptio, modo qui loquitur præsumatur artis terminos habuisse perfectos. Sic alio tempore dixi, Jacobum Bohemiam, quem alii pro heretico, alii pro philosopho Teutonico venditant, sæpe uti vocabulis latinis, ut essentia, qualitas, scientia, sed cum sutor esset, iis adfingebat sensum pro lubitu. Ita memini rustico nobilem extorsisse transactionem, cujus instrumento advocatus latinam subjiceret clausulam: renuncio omnibus exceptionibus læsionis enormis & enormissimæ, quod merus causa, doli mali, &c. Rusticus rescindi transactionem petebat. Nobilis negabat id fieri posse, quia omnibus exceptionibus renunciaverit. Verba clara esse, & se merito provocare ad Juratorum usum. Sed respondebat rusticus, se latina non intelligere, adeoque nec scire quid verba illa velint. Et vicit rusticus.

§. 4.

Aliquando etiam conjecturis opus est in ipsis verbis, 1) si sint ambigua; sive ambiguitas sit in uno vocabulo, quod dialectici homonymiam vocant, sive in integra phrasi, quod amphiboliam adpellant, e. g. Servum legavit, potest intelligi servum misit, & servum testamento reliquit, homonymia latet in voce legavit. Ast si dicitur: Quod optat Rex Galliz, & ego volo,

velo, tunc, amphibolia latet in tota phrasi
seologia.

2) Si verba in speciem sibi repugnent.
e. g. si quis in testamento scripserit: Titio
& Sempronio, ædes meas lego. Quam par-
tem Titius habebit, eam Sempronio, &
quæ huic obtinget, eam Titio do, lego.
Fundamentum, cur conjecturis tunc locus
sit, est præsumptio pro homine sanæ men-
tis, quod non videatur sibi contradicere.
Hinc cessat hæc præsumptio

1) si pacta, testamenta, scripta, quæ
sibi contradicere videntur, sint diversorum
temporum. Possent enim homines & prin-
cipia & voluntatem suam mutare.

2) Si scriptores meditationi non sine
adsueti. Hos enim sibi non posse non ali-
quando contradicere, palam est. Sic mul-
tæ sunt contradictiones in Talmude, in
scriptis fanaticorum, &c.

3) Si scriptum ex variis libris diverso-
rum auctorum sit compilatum, e. g. Cor-
pus juris. Inde ergo decidenda quæstio:
an in jure nostro sint antinomix? Wiffen-
bachius eas ubique sectatur. Strauchius
quidquid potius concedendum putat, quam
quod dentur antinomix. Neuter recte.
Non præsumendæ ubique antinomix, quia
Tribonianus & collegæ nec emotæ men-
tis, nec stupidi fuerunt: aut nec nullas
dari suspicandum, quum corpus juris ex
libris diversorum auctorum, diversis tem-
poribus florentium, diversis sectis addicto-
rum, a diversis personis compilatum.

n. 2.

Addit auctor observationem, quod non

sur-

nenquam conjecturae se sponte ingerant, & tam sint verosimiles, ut pro veris haberi possint. Ex vocantur *ex scripto* & *sensitiva*. Sic e. g. si Titio legatur 1000. & 1000 sint in orbe Titii, mihi ignoti, unus autem frater, vel familiaris ejusdem nominis facile se suggerit conjectura, quod de hoc senserim.

Aliae conjecturae se non sponte insinuant, aequae hinc certis locis vel fontibus opus est, quarum 3. sunt, materia, §. 5. effectus, §. 6. & conjuncta, §. 7. & 8.

§. 5.

Materia est objectum, de quo verba loquuntur. Ei enim consentanea esse debent, quaecumque de illo dicuntur. Unde logicis est regula: *salta sunt subiecta, quatinus per se miscuntur esse a suis predicatis, & contra*. Jam videbimus exempla.

1.) Grocius quam plurima adfert, nos primum explicabimus, eique adficiemus aliud. Pacti sunt hostes inducias per 30. dies. Alter interdiu abstinet ob omni ex de: sed noctu hostes incautos opprimit, castella intercipit, pagos exspoliat & incendit. Quæritur, naturales dies intelligendi sunt an civiles 24. horarum? Responsum quia agitur de induciis, induciae autem nullae essent, si non liceret ab armis quiescere, res ipsa suadet, intelligendas esse dies civiles.

2.) Addo exemplum Philippi Hassi, quod supra memoravi. Disputabatur inter Landgravium & Granvellanum, utrum in salvo conductu, quem vocant, legandum sit.

fit, sine ulla captivitate, (ohne einige Gefängnis) an sine aeterna captivitate, (ohne ewige Gefängnis?) Ex materia substrata palam est, priorem interpretationem solam genuinam esse. Quis enim salvum conductum petit, ne perpetuo carcere maceretur, ac non potius, ut plane non captivus sit?

§. 6.

Effectus est, qui ex verbis sequitur. Quum ergo nemo censeatur velle, ut quod loquitur vel scribit, nullum fortiatum effectum: recte interpretes regulam tenent: Verba ita interpretanda sunt, ut effectum fortiantur.

Elegans est exemplum Brusidæ, quod ex Thucidide refert Grotius, qui insidens agro Thebano cum exercitu, accepta pecunia promittebat, se agro Boeotiorum excessurum, ac deinde negabat, agrum quem exercitu suo occupavit, Thebandum esse. Quis quæso pecuniam dat hosti, ut provinciam retineat?

Sic & absurdum, si verba testamenti: Quam partem Titius habebit, Sempronio lego, & quam hic capiet, Titio; ita interpretari quis vellet quod neuter rem habere debeat, quis enim ideo condidit testamentum, ut nullum effectum habeat?

§. 7.

Tertius locus conjecturarum est conjunctorum. Hæc vel sunt conjuncta origine, vel loco. Conjuncta origine sunt, quæ ex eadem origine, eademque voluntate sunt, & alios quoque vocantur loca parallela. Unde regula: Verba unius loci obscuriora interpretanda sunt ex loco altero clariore.

Sic

Sic e. g. quando in S. S. uno loco dicitur: *baptizabit vos Christus igne*, id facile explicabitur ex altero parallelo: *baptizabit vos Spiritu sancto*.

Sic saepe quod in testamento obscurum est, explanari potest ex codicillis & contra. Saepe lex codicis lucem infert legi pandectarum, &c.

§ 8.

Coniuncta loco sunt duo: 1) ratione verborum, & 2) antecedentia & consequentia. De posterioribus notanda regula: verba non interpretanda sunt extra contextum, sed consideratis antecedentibus & consequentibus. De priore: Lex ita interpretanda, prout ejus rationi consentaneum est, vel: Ubi eadem ratio, ibi eadem juris dispositio.

Sic e. g. quum in Art. 4. Rysvicensi verba obscura sint, quod religio in provinciis restituta relinqui debeat in statu pristino: absurde Pontificii id pro se interpretantur, quum antecedentia doceant, pro fundamento positam fuisse pacem Westphalicam.

Sic si lex: Nemo frumentum exportato, interpretanda: ex ratione legis palam est, prohiberi etiam exportationem farinae.

Recte tamen Grotius monet, distinguendam mentem a ratione, vel quod perinde est, praetextum a vera causa, quae legislatorem movit, e. g. Scio Principem lege prohibuisse calceos ligneos, sub praetextu, quod pedibus inimici sint: sed vera ratio erat, quia rustici ita non solvebant vectigal, quod solvitur ob calceos coriaceos.

Sequuntur quædam observationes, de verborum significatione, & quidem 1) voces modo laxius, modo strictius accipi, quas significationes probe observare debeat interpres. Sic e. g. heres in jure civili accipitur laxius, eoque vocabulo & masculi & femine, descendentes, adscendentes & collaterales denotantur. Sed in jure feudali strictior obinet significatio. Non enim femine sunt heredes feudales, nec ex masculis agnatis omnes, sed qui a primo acquirente descendunt.

2) Altera observatio pertinet ad odiosa & favorabilia, de quibus vulgo suggerantur regulæ: *Favorabilia late, odiosa strictè sunt interpretanda*. Grotius præterea tertium genus addit mediæ & mixtorum, & de illis habet regulam: *Mixta pro magnitudine boni aut malitiam modo late, modo strictè interpretanda*. E. g. si aliquis condemnatur ad crucifragium, in dubio id intelligitur de mitiore genere supplicii, quo cervix primum rota contunditur, non de atrociori, quo tibiæ primum franguntur, deinde brachia, &c. Est enim crucifragium res odiosa.

Si Princeps concessit privilegium ob bene merita, id interpretandum laxius, est enim favorabile.

Denique si Princeps pacis causa pactum vel transactionem cum rebellibus inicit, ea modo laxius, modo strictius explicanda, prout vel majus vel minus bonum est, quod

quod inde nascitur, major vel minor mutatio, quæ hoc pacto facta est.

Ita quidem veteres omnes, & post Grotium etiam Puffendorfius. Sed D. Thomafius primus has regulas destruxit singulari dissertatione, scripta contra Vincentium Placcium, quam & jurisprudentiæ divini inferuit. Nimirum observaverat Vir acutissimus, neminem adhuc definitionem accuratam dedisse odiosorum & favorabilium. Ipse Grotius in hoc §. descriptiones dat fatis ineptas, e. g. *Favorabilia sunt, quæ aequalitatem in se habent, & tamen eo referunt beneficia Principis, & quæ communem spectant utilitatem, & tamen poenæ etiam sunt res odiosæ.* Sic etiam odiosa Grotio sunt, *quæ partem alteram tantum aut plus altera gravant, (ergo beneficia Principum erunt onerosa) quæ poenam in se continent, (ergo poena non spectat communem utilitatem) quæ altus faciunt irrisos, & quæ de prioribus aliquid immutant, (E. testamentum posterius erit odiosum.)*

Immo ne possunt quidem definitiones accuratiores dici. Nam favorabile & odiosum sunt ideæ relatæ. Hinc diverso respectu modo favorabilis est res, modo odiosa, e. g. dos est favorabilis respectu generi, odiosa ratione socii: poena odiosa est ratione rei damnati, favorabilis ratione reip. Quum ergo cessent favorabilia & odiosa, cessant etiam mixta.

Ergo regulæ sunt nullius momenti. Sed verum tamen est, inquis, poenales leges & sententias esse strictæ interpretationis.

Resp.

Resp. 1.) id non semper fit. Nam si poenam lex irrogat exportantibus frumentum, eandem etiam irrogare censetur exportantibus farinam. 2.) Si vel maxime id concedimus, quod aliquando leges poenales sint strictae interpretationis: id tamen ex alia fit ratione, quia sc. humanitas jubet in poenis semper inclinare in mitiorem partem, non quod poenae sint odiosae, sed quod quantum fieri potest, judicem deceat abesse a crudelitate & truculentia.

§. 11.

Ita 3.) apud Rom. magna erat differentia inter actus b. f. & stricti juris. Illos latius, hos strictius interpretabantur, e. g. ex contractibus b. f. etiam usurae adjudicabantur, licet non promissae. Queritur itaque, an id ex jure N. & G. fit?

Negat Grotius, & recte. Nam totum hoc discrimen non ex natura horum contractuum fuit, sed ex subtilitate formulae jurisprudentiae Romanae.

Sed putat rem usum habere, si hodie actibus quibusdam certa forma praescripta sit legibus civilibus: e. g. ut traditio fiat effectuatione, ut in Geldria. Tunc enim in dubio eam semper requiri, & actui inesse censerent. Sin actus per se sit indefinitus, veluti donatio, tunc benignius procedendum, & simpliciter promissorum fidem exigendam. Vera haec quidem: sed nec ista ex J. N. verum ex J. C. sunt.

§. 12.

His praemissis jam facile patet, quid senten-

sentiendum sit de regulis a Grotio hoc §. suppeditatis. Prima est:

I. In non odiosis verba sumenda sunt secundum totam proprietatem usus vulgaris. Exempli loco esse possunt, quæ ipse Grotius adfert, ut masculinum genus commune notet . . e. g. Mei heredes in dubio notant utrumque sexum. Ita in oratione pro Cæcina eleganter interpretatur verba edicti: *Unde tu dejectus es*. Reus enim non dejecerat Cæcinam, sed illum prohibuerat suum adire. Sed utrumque exemplum & favorabile est & odiosum. Mei heredes habento, est favorabile, mei heredes solvunto, est odiosum. Et tamen utroque casu sexus uterque intelligitur. Causa Cæcinæ favorabilis erat ratione Cæcinæ restituendi, aut odiosa ratione deicientis. Et tamen utriusque interitu eundem locum habet edicti interpretatio.

II. In favorabilibus, si is qui loquitur jus intelligat, aut peritorum juris consilio utatur, verba laxius sumenda, ut etiam includant significationem artis. Sed sic revera res favorabilis sit odiosa ratione ejus qui jus novit, & is poenam fert scientiæ suæ. e. g. Donat aliquis in aliam Provinciam migraturus alii penum, & pro populari usu intelligit, quæ sibi supersint in cella percuaria, ut carnes, pernas, poma & similia. Alter autem dicit, tu juris peritus es. Hinc mihi etiam debes ligna, carbones. Quid stolidius? Et hinc ipse Grotius addit limitationem, quæ totam fere regulam destruit sub finem §.

Hein. de Jure Belli, &c. Z III. In

n. 3.

III. In odiosis etiam sermo figuratus aliquando admittitur, quo onus videtur. Exemplum Grotii est: foederatus promittit auxilia, non debet ea mittere, nisi alterius impendiis. Sed 1) quid hic figurati sermonis? 2) decisio ne quidem vera est. Nam ex circumstantiis judicandum erit, quis impendia ferre debeat, e. g. si potens impotenti; Gallus Helvetiis promittat 30000. milites impendiis Helvetiorum, onus id erit magis impotentiori reip. quam auxilium.

§. 13.

n. 1.

Sequitur quaestio illustris: an in foederibus sociorum nomine veniant ii tantum, qui tunc sunt, an qui & in posterum in societatem nostram admittuntur? Occasionem huic quaestioni dedit foedus inter Rom. & Carthagenenses. Finito enim bello punico, pax & hac conditione inibatur. *Veriusque populi socii ab utroque populo erant*. Hannibal postea Saguntinos vexabat, & demum urbem funditus delebat. Querebatur, an foedus a Carthagenensibus fuerit violatum? Carthagenenses negabant, quia Saguntini eo tempore non fuerint socii P. R. Romani contendebant, intelligi etiam socios futuros.

Quid Grotius? negat Saguntinos foedere comprehendi, ex ea ratione 1) quia hic agatur de abrumpendo foedere, quae res sit odiosa; 2) quia sic Carthagenensibus adimatur libertas hostes armis persequendi, id quod denuo odiosum.

Sed haec decisio nihil est. Nam 1) & odio-

odiosa & favorabilis res est, de qua agitur, odiosa Carthaginensibus, favorabilis Saguntinis & sociis Rom. 2) Qui sociis suis prospectum cupit, procul dubio id facit in futurum, non in præteritum. E. & futuros procul dubio foederatos intelligebant paciscentes. 3) Non est odiosum Carthagin. armis persequendi Saguntinos libertatem adimi. Habent enim jus conquerendi injurias apud Rom. & si hi justitiam negassent, tunc possent jure suo uti.

Quum vero semel Grotius vulgarem amplexus sit regulam, quærit: an non nefas fuerit Romanis, socios Saguntinos defendere?

§. 14.

Nova quaestione regulas suas de favorabili & odioso illustrat Grotius. Quærit, si foedere inæquali convenerit, ut foederatus altero inconsulto bellum gerere nequeat, an id late de omnibello, an stricte de offensivo, quod vocant, intelligendum sit? n. 2. 3.

Resp. de offensivo tantum. Foedus enim inquit, hoc odiosum est, quia id inæqualitatem continet, & libertatem alterius partis nimium coarctat: odiosa vero stricte interpretanda.

Ipsa decisio vera, sed ratio decidendi, ut jam sæpe monuimus, inepta est. Vera ratio est, quia ex ipsis verbis patet, bellum defensivum intelligi non posse, quia alias absurdum inde sequeretur, ut voluerint Romani foederatos cogere, ut a quovis impune possint extirpari. Verba autem ita intelligenda, ne absurdum inde sequatur.

Sequitur novum exemplum. Finitis bellis Punicis primo & secundo foedera admodum inæqualia inire tenebantur Carthaginenses: sed tantum illis expresse servabatur libertas, id est, ut hodie loquimur la souveraineté: non erant subditi Romæ, sed foederati inæquales. Ast quum Cato in senatu Romanis, nulla injuria provocatis, suavisset, ut Carthaginem funditus exstingerent: mittebantur legati, qui Carthaginensibus hanc conditionem ferrent, ut in alium locum mediterraneum migrarent, ibique novam urbem conderent. Hi pacem se accurate servasse clamabant, Romanos autem sibi injuriam facere, qui tale quid jubeant eos, quibus libertatem diserte confirmassent. Respondebant Romani, se libertatem civibus, non moenibus & domibus promississe. APPIAN. in Punicis. Queritur itaque, an foedus ita recte interpretati sint Romani?

Negant omnes & rectè: Non quod pactum hoc tanquam odiosum strictæ fuerit interpretationis, sed quod hoc fluat ex ipsa natura libertatis & *αὐτονομίας*. Verum est eam competere civibus, non domibus & moenibus: sed cives tamen dici non possunt liberi & *αὐτονομοί*, qui ab alio cogi possunt ad migrandum loco, & sedes alio transferendas. Æque absurda ergo erat hæc interpretatio, ac si quis promitteret vitam, & dicat deinde, vitam animæ, non corpori competere, adeoque fas esse corpus destruere.

§. 16.

Pergit Grotius ad famosam quæstionem de pactis realibus & personalibus. Ita non dicuntur pacta ratione originis, quasi ex jure in re sint, nam ita omnia pacta & contractus sunt personalia, sed ratione effectus. Ex quibusdam pactis heredes etiam obligantur, & heredes etiam jus nantiscuntur: aliorum effectus ad heredes non transit. Illa dicuntur realia, e. g. emptio venditio, hæc personalia, e. g. pactum sponsalium. Quum ergo sæpe nasci soleat controversia, reale an personale sit pactum: certæ in promptu esse debent regulæ, unde id dijudicandum.

Reg. 1. Pacta cum populis liberis inita sunt realia, ratio, quia ipsum subjectum est immortale & perpetuum. Manet idem corpus, etiamsi magistratus immo & forma mutetur subinde. Hinc etsi ex libera rep. fiat monarchia: salvum tamen est foedus, quia idem corpus manet. Quemadmodum enim ideo foedus non expirat, quia hoc triennio alii sunt Ordinum delegati, quam superiore, & quia ex Ordinibus illustribus, qui ante 100. annos republ. representabant, hodie nullus superest; ita nec expiraret, si loco ordinum princeps præficeretur.

Exceptio tamen est, si foedus expresse cum in finem initum, ut rep. libertas contra monarchiam defendatur. Hinc expiraret foedus, si civitas Helvetica vellet principem creare.

Reg. 2. Pacta cum monarchis inita sunt

realia, si vel in perpetuum, vel ita iniis, ut expresse heredum fiat mentio, vel heres ita succedat, ut teneatur præstare factum defuncti. Absurde ergo Persis negabat foedus cum Philippo initum ad se pertinere, quum & in perpetuum initum esset, & Perses esset Philippi filius & heres.

Immo temporarium foedus est reale, si tempore nondum elapso moriatur paciscens. Ita enim expressa est paciscentis voluntas, ut & successor obligetur, quoad tempus elapsum sit. Hinc quum Leopoldus Imp. cum Turcis iniisset inducias 20. annorum: peccasset Josephus, si tempore illo nondum elapso bellum movisset.

n. 2.

Reg. 3. Grotii hæc est: In dubio foedera favorabilia perpetua & realia, odiosa personalia intelliguntur.

Sed quænam sunt foedera favorabilia & odiosa? Favorabilia, inquit, sunt foedera pacis, commerciorum, vel defensionis mutue causâ iniata: non autem offensiva, quæ vocant, ea odiosa habentur.

Sed resp. æque favorabile est vindicare injurias republ. illatas, quam se defendere, & pax ex altera parte aliquando æque odiosa est, ac bellum offensivum.

Dicendum ergo, in dubio foedera omnia præsumi realia, nisi vel personæ industria electa sit, vel causâ, ob quam foedus initum cessavit. e. g. Si foederati reliqui uni imperium militare ob insignem belli peritiam detulerint, vel in mortuo foederato resp. lædens læsæ satisfaciât ex asse.

n. 4. 5.

Sed objicitur, societates morte finire, adeo

ut

ut. si focii se obligarint pro heredibus, hi tamen non teneantur inviti in societate manere. Cur ergo cogantur respublicæ?

Resp. 1) regula illa de societate est ex jure mere civili. 2) Ratio ejus, quod socius focii industriam elegerit, non quadrat rebusp. qui foederati potentiam elegerit. censentur.

Objicit BODINUS, *de rep. lib. 5. c. ult.* foedera jurejurando firmantur. Jusjurandum personam non adgreditur, E. nec foedus.

Resp. nulla consequentia. Jusjurandum obligationem non producit, (nam & injurati foederati obligarentur ex nudo promisso,) sed firmiorem reddit. Hinc recte Grotius: Potest juramenti obligatio personam tantum obstringere, & ipsa promissio obligare heredem.

§. 17.

Reg. 4. Rex ex foedere tenetur & jus retinet, etiam regno expulsus. Ratio est, quia Rex non solum est vocabulum facti, sed & juris. Rex erat Ludovicus Pius etiam regno injuste privatus. Ergo & omnia, quæ tanquam Rex egit, rata manent.

Hinc e. g. Carolus II. Rex Britt. regno ejectus non poterat bellum movere iis, quibuscum pater foedus inierat. Et contra qui patri defensionem promiserant, iam & pro filio bellum suscipere tenebantur. Sed hæc quidem in scholis vera sunt. Mundus aliter sentit. Principibus regno privatis idem accidit, quod plebeiis:

Donec eris felix multos numerabis amicos,

Tempora si fuerint nubila, solus eris..

Reg. 5. *Fœdus, cum antecessore initum non transit ad successorem injustum. Sic Cromvvello nullum jus erat ex fœderibus cum Carolo I. ejusque antecessoribus initis. Rationes sunt duæ, 1) quia fœdus initum cum principibus, tales non sunt invasores, sed tyranni: possessionem habent, non jus.*

2) *Quia nemo potest duobus hostibus simul uno eodemque fœdere obstringi. Atqui fœdus cum justis antecessoribus initum etiam ad successores injuste regno ejectos transire §. 17. demonstratum est: ergo non potest transire ad successores injustos. Absurdum e. g. fuisset, si Belgæ ex fœdere cum Elisabetha & Jacobo I. inito obstricti fuissent & Carolo II. & Cromvvello.*

§. 19.

Subjungit Grotius quæstionem Chrysippi notissimam: si quis ei qui prior ad metam pervenerit præmium promiserit, & uterque eodem momento eo perveniat, utrum præmium nulli an alterutri, an utrique debeat?

Neutrum accipere injustum est, nam sic frustra laborem, ad quem sine præmio non obstricti erant, suscepissent. Alterutri illud dari, æque injustum, quam sine in pari causa. Utrique dari non potest, quia non duo, sed unum præmium promissum. Nemo autem tenetur plus præstare, quam promisit.

Sed resp. superest quartum, ut uterque acci-

accipiat, sed unum illud præmium, quod promissum. Id est, inter se illud dividunt æqua lance, non quia favorabilia sunt virtutum præmia, quam rationem allegat Grotius, sed quia supra diximus, ita interpretanda esse verba, ut effectum habeant.

§. 20.

Hactenus ergo satis destruximus regulam de favorabilibus & odiosis, ostendimusque, posse plerasque decisiones, quas ex hoc fundamento petit Grotius, ex aliis regulis hermeneuticis desumi: jam pergitur ad partem capituli posteriorem, & quia hactenus ostensum, quomodo ex ipsis verbis petenda sit interpretatio: jam videbimus, quando ex sola conjectura desumenda sit, quamvis ex verbis immediate hic sensus non fluat?

n. 2.

Secundum has conjecturas interpretatio dividitur in extendentem & coarctantem, vel, ut alii loquuntur, in extensivam & restrictivam. Extensiva est, quando textus vel pactum profertur ad casum, qui verbis ipsis non continetur. e. g. Septimum præceptum est: *Ne adulterium committas*, an ideo licet stuprum committere? Octavum: *Ne furtum committas*: licetne ergo defraudare alterum? Restrictiva, quando casus eximitur a lege vel pacto, quem verba videntur comprehendere. E. g. Qui sanguinem hominis fudit, ejus sanguis fundetur: an & chirurgi venam secantis?

An ergo id licet prohibita? an in cujusque arbitrio positum, utrum extensiva an

Z 5 restri-

restrictiva interpretatione uti malit? Minime, sed certo opus est fundamento, quod non aliud est, quam ratio legis vel pacti.

n. 2.

Nascitur inde regula: Quoties ratio legis vel pacti unica latius patet, quam verba, toties locus est interpretationi extensiva. Ratio enim est finis, quem legislator vel paciscens intendit. Et media debent esse proportionata. E. ita interpretanda, ut finem hunc adsequatur. e. g. Nemo sine laterna noctu prodeat in publicum. Prodeunt laterna instructi, sed Vulcanum in cornu non gerunt, an incidunt in legem? Nemo frumentum exportato ad hostes. Civis exportat farinam, an impune id faciet?

n. 3.

Sed ipse auctor jam illustra quaedam exempla adfert. Lacedaemonii, ceu ex Nep. in Themistocle patet. Athenienses prohibebant muris cingere urbem: procul dubio ex pacto, siquidem alias jus nullum muniendi habuissent. Quid si Themistocles novum muniendi modum per aggeres propositum habuisset, an eo salvo pacto potuisset uti? Minime.

Condidit aliquis testamentum, & Mævium substituit postumo si moriatur. Postea ne nascitur quidem: an Mævius heres erit? Omnino, quia ratio disponendi fuit, quod Mævium vellet heredem esse, si suus non exstaret.

n. 4.

Supra jam habuimus casum, quod Caecina apprehensus possessionem prohibebatur praedis adire, & quod quum interdicto, unde vi uteretur, disputatum fuerit, an ei locus sit, quum verba interdicti haec

sint:

Quæritur: Unde tu dejectus es. Cæcina autem non fuerat dejectus, sed non admissus.

Resp. omnino locum esse interdicto, quia prætoris ratio & finis fuit prohibere omnem vim, quo quis suo injuste privatur.

Athenis lex erat, patrem testari non posse invicis liberis. Pyrrhus filia invita non testamentum condiderat, sed adoptaverat, quæstio erat, an in legem incidere? idque recte adfirmat Isæus, quia legislatoris ratio fuit prohibere, ne liberi injuste exheredes essent.

§. 21.

Eodem pertinet quæstio *GALLI lib. 1. c. 13.* An mandatarius mandatum possit adimplere per æquipollens? E. g. iussit aliquis, ut pro se fidejubeam, ego mandavi creditori, ut crederet. Mandavit quis, ut actionem instituerem suo nomine ad rem consequendam. Ego sine actione rem redigo, ut res tradatur, an ratum habere debet dominus?

Resp. Respicendum esse ad rationem mandati, si mandans finem suum consequitur etiam per æquipollens, rem ratam habere tenetur. Sin aliud probabiliter intendit, locum non habet interpretatio extensiva. In exemplis allatis finis mandantis prioris fuit, mutuum accipere, hunc finem adsequitur, si fidejubeam si mandem: posterioris finis erat, rem consequi, eam consequitur, si actione utar, si ultro possessor reddat.

Ast si finis & ratio sit diversa: tunc aliud statuendum. e. g. Mandavi ut mihi

2 6 quis

quis emat Puffendorium, mandatarius Gro-
tium emit.

§. 22.

Jam ad interpretationem restrictivam.
Ei locus est vel ob defectum voluntatis
§. 22. 25. vel ob repugnantiam casus cum
voluntate §. 26. seq.

De priore Reg. 1. est: Si ex interpreta-
tione litterali sequeretur absurdum, tunc
utendum interpretatione restrictiva. Nemo
enim legem ferens vel paciscens præsumi-
tur absurda velle, alias enim non esset
sanæ mentis, adeoque nec legislator esse,
nec pacisci posset, &c. Qui feram in silva
Principis occiderit, per triennium ad ope-
ras publicas condemnatur. Hæc lex si por-
rigeretur ad eum, qui lupum vel aprum se
adgredientem occidit, esset absurda. Ergo
opus interpretatione restrictiva.

§. 23.

Reg. 2. Quoties verba latius patent, quam
ratio diserte expressa, toties restrictiva opus
est interpretatione. Quia hætenus sæpe
turbæ factæ, nemo post XI. horam ædi-
bus suis egreditur, qui egreditur, multa-
bitur 100. florenis. Egressus aliquis est,
ut medicum vocaret ad ægrotum, non
multabitur, quia verba laxiora sunt ra-
tione adjecta.

§. 24.

Reg. 3. Quoties aliunde constat de ratione
legislatoris vel paciscētis, toties secundum
illum lex interpretanda restrictive. e. g.
Rex Prussiæ inhibuit edicto peregrinationes
Gallicanas. Fidis regis fuit impedire, quo
mi.

Finis pecunia ex Germania in Galliam frustra & sine fructu inferretur. Quis Bruficus a Principe extero mittitur in Galliam sumptibus Principis: an in legem incidit?

§. 25.

Reg. 4. Ubi non actus, sed potentia prohibita, ibi locum non habet restrictio. e. g. Pactum Romani inierant cum Carthaginensibus, ne hi ultra certum promontorium classem ducere possent. Finis procul dubio fuit, ne bellum maritimum Romanis imparatis nasceretur. Jam fingamus Carthaginenses non nocendi animo, sed exercendæ turbæ nauticæ causa classem eduxisse, an contra pactum egisse censendi erunt? Omnino: ipsa enim potentia illis adempta, non solus actus, vel quod magis perspicuum. Voluerant Romani paciscentes non solum bellum maritimum, sed & ejus periculum & suspicionem hoc pacto excludere.

Quærit Grotius, an promissa habeant in se tacitam conditionem, si res maneant, quo sunt loco? Jcti pragmatici id vocant conditionem tacitam vel clausulam rebus stantibus, de qua elegans & erudita existat dissertatio Jcti eximii HENR. COCCLI.

Negat id Grotius, nisi apertissime pateat, statum illum unicam fuisse causam promittendi. Recte. Ergo distinguendum erit, an mutatio status rerum pertineat ad essentiam rei, de qua pactum initum, an non. Priori casu promissum ob illam est irritum, posteriore minime. E. g. Virgo cui juvenis matrimonium promiserat, morbo reddita est tam deformis, ut jam ab ea plane abhorreat.

pa-

pañtum sponsalitiu: ergo nullum. Contra si puella ista incendio facta fuerit pauperior, salva erunt sponsalia.

§. 26.

n. 1.

Alterum interpretationis restr. fundamentum est repugnantia casus emergentis cum voluntate. Voluntas vero colligitur aut ex naturali ratione. §. 26. 27. aut ex aliis signis §. 28. sequ. Naturalis ratio dicitur æqualitas, quæ est correctio ejus, in quo lex deficit ob universalitatem. Sic lex mori jubebat filium Manlii Cos. absente patre castris egressum, verba enim legis universalìa erant: sed æquitas id debisset corrigere ob circumstantias.

Ergo æquitas maxime differt a dispensatione vel indulgentia. 1) Illa & judici observanda, hæc a solo imperante conceditur, 2) illa nititur jure, hæc gratia. 3) Illa legem interpretatur, hæc ejus effectum suspendit.

n. 2.

Quia autem datur etiam æquitas cerebrina, notandæ sunt regulæ certæ, ex certis desumptæ indiciis.

n. 2.

Reg. 1. Quoties si verbis inhærendum esset, aliquid fieret contra naturalia & divina præcepta, toties æquitas jubet adhiberi interpretationem restrictivam. Lex jubet depositum reddere: si furioso gladium redderem, ut alteri mortem intentaret, fieret aliquid contra legem divinam. E. non reddendus.

§. 27.

n. 3.

Reg. 2. Si ex literalì interpretatione non quidem illiciti quid, sed tamen aliquid grave atque intollerabile sequitur, æquitas jubet adhiberi interpretationem restrictivam,

Ra-

Ratio est, quia quum natura humana a rebus hujusmodi gravibus & intolerabilibus abhorreat, non præsумitur aliquis se obligasse ad gravia & intolerabilia a se non præsúsa. E. g. conductor in se recipit casus fortuitos. Ædes terræ motu corruunt, fruges a locustis depascuntur, non censetur de his insolitis cogitasse.

Inde hoc conjectarium elicit Grotius, non usus quoque veram esse doctrinam Ciceronis, quod non sint servanda promissa iis, quibus promiseris inutilia.

Æquitas enim locum habet, si casus eum voluntate repugnat. Volui autem ego promittere, voluit alter promissum accipere; adeoque nihil est, quod paciscen- tium voluntati repugnet. Objicitur, at promissum inutile alteri esse. Resp. 1) id dijudicare non debet promittens, sed alter cui promissum est. Deinde 2) si vel maxime inutile sit, non statim est damnosum, uti superiore casu, quo gladius depositus furioso erat reddendus.

Et ita facile intelligitur locus SENECÆ de benef. l. 4. c. 38. ab auctore allatus. Nam pleraque exempla a Seneca allata pertinent ad regulam 1. vel 2.

§. 28.

Diximus §. 26. n. 1. voluntatem colligi vel ex naturali ratione, quæ dicitur æqui- tas, vel ex aliis signis. De priore dictum, jam de his quoque agendum.

Horum signorum certissimum est collisio verborum, qualis hic non intelligitur con- tradictoria per se, qualis est in antinomis,

in pactis contrariis, sed per accidens, & ex circumstantiis, si casus incidat, ut duæ leges vel duo pacta in se non pugnantia simul servari non possint. E. g. Dicit lex, *sabbatum esse sanctificandum*: dicit, *defensionem non omittendam*. Hæc non sunt contradictoria. Sed casus incidere potest, ubi alterutra lex violanda. e. g. quum Pompejus Hierosolymam obsideret.

Quæritur itaque, quæ tunc lex, quod pactum alteri sit præferendum? Grotius itaque certas regulas & hic commendat.

§. 29.

n. 1.

1) Reg. 1. Lex permissiva cedit præceptivæ. Ratio clara. Præceptiva libertatem restringit; permissiva libertatem indulget. Ex præceptiva jus nascitur legislatori: ex permissiva jus nascitur mihi. Ergo circa hanc possum juri meo renunciare: circa illam non possum jus legislatoris violare. E. g.

Reg. 2. Lex quæ certum tempus præscribit, præfertur ei, quæ generatim aliquid præcipit. e. g. Dies sabbathi celebrandus, laborandum. Ratio est, quia sic utrumque fieri potest.

Exceptus tamen est casus, si observata prior lege occasio alteram servandi elaboretur. e. g. Christus ipse permittit, ut sabbatho a sinus è fovea extrahatur, ut ægroti curentur, &c.

Reg. 3. Lex vel pactio vetans vincit jubentem. Leges enim negativæ obligant semper, leges affirmativæ tantum data occasione. Lex est, *ne furtum committe*; lex quoque, *da elemosynas*. An potest quis furari, ut elemosynas dare possit? Minime.

Reg. 4.

Reg. 4. Specialis lex vel pactio generali præfertur. e. g. Honora parentes, lex est specialis. Aliorum commoda promove, generalis. Quis dubitet, quin parentum major habenda sit ratio, quam aliorum?

Reg. 5. Lex pœnalis vincit imperfectam (dicitur autem lex imperfecta, quæ pœnam adjunctam non habet, vid. ULP. *Fragm. tit. 1.*) Item lex quæ majorem pœnam irrogat, vincit eam, quæ minorem minatur. Pœna enim est malum physicum, quia est passio. Ex duobus malis physicis est minus eligendum. Exemplum habemus in N. 115. Si quis parentem detulerit vel accusarit, potest exheredari: sed non potest, si detulerit filius patrem ob crimen perduellionis, quia in hoc delicto & silentium supremo supplicio punitur.

Reg. 6. Lex vel pactio posterior vincit priorem. Lex enim & pactio posterior priorem tollit.

Addit Auctor Reg. 7. Pactum juratum præferendum injurato. Sed id perspicue falsum. Juramentum enim novam obligationem non producit. Immo esset hoc medium omnia pacta eludendi, si juratum injurato promiscue præferendum esset. e. g. Titius promisit primum matrimonium Mæviæ sine juramento, postea Sempronix jurato. An posteriora sponsalia præferenda? Sic semper licebit priora eludere, &c.

Dicendum ergo, in dubio posterius pactum tollere prius, si inter eosdem initum sit, prius vincere posterius, si inter personas diversas, sive jurata sive injurata sint.

Ra-

Ratio est, quia ex priore pacto alteri jus quaesitum est, quod ipsi auferri posteriore pacto cum alio inito nequit.

§. 30.

Subjungit auctor aliquot quaestiones leviores, velut 1) an in dubio contractus perfectus sit, antequam scriptura fuerit confecta?

Resp. Auctor, contractum subsistere sine scriptura, adeoque hanc ad ejus essentiam non pertinere. Et id verum.

Sed addenda limitatio, modo consuetudo non inoleverit plane contraria, Sic e. g. in Germania nulla fit emtio venditio rerum immobilium, sine instrumento judiciali, inter resp. & principes nullum foedus initur, sine instrumento. Hoc semel recepto, omnino praesumitur pactum nondum perfectum, antequam scriptura confecta & tradita sit, quod inter principes vocatur *permutatio instrumentorum*.

§. 31.

2) An contractus gentium, quantum licet, interpretandi sint ex jure Romano? Id recte negatur. Non vivimus tempore Bartoli & Baldi, qui ex jure Rom. probare conabantur, Imperatorem Germ. Rom. esse dominum mundi. Jus Rom. obligat privatos, quatenus receptum, non principes. Obligant eos, qui vivunt in eadem rep. non qui in statu naturali.

§. 32.

3) An accipientis verba potius attendenda sint, an offerentis? Resp. aut alter absolute acceptat, quod promissum, aut cum restrictione. Si prius, quaestioni non est locus, quia

quis consentiant pacificentes in unum placitum. Posteriore casu non potest respici ad verba acceptantis, nisi offerens consenserit. E. g. offero tibi 100. tu acceptas. Offero centum, alter dicit, se mille desiderare. Hinc ex oblatione mea nec centum nec mille debeo, nisi in posterius consentiam. Non centum debeo, quia alter non acceptavit, nec mille, quia non promisi. Ergo nihil debeo.

C A P U T XVII.

De Damno per injuriam dato, & obligatione qua inde oritur.

§. I.

Egimus haecenus de obligationibus. Obligationes nascuntur aut ex pactione, aut ex delicto, aut immediate ex lege. e. g. quod promisi, id debeo ex pacto. Si dampnum dedi, id resarcire teneor ex delicto. Denique quod pater liberis debet alimenta, id nec ex pacto, nec ex delicto, sed immediate ex lege est. Hucusque de pactionibus actum, jam de delictis.

Delictum vel maleficium Grotius definit culpam omnem, sive in faciendo, sive in non faciendo pugnantem cum eo, quod aut homines communiter, aut pro ratione certae qualitatis facere debent. Sed magis perspicue defini potest, quod sit factum illicitum adversus legem dolo vel culpa commissum. Dicimus *factum*, quod vocabulum & non

& non factum comprehendit: Dicimus *illicitum adversus legem admissum*. Dantur enim etiam illicita adversus honestatem vel decorum admissa, e. g. immodestia, avaritia, superbia, sed ea non sunt delicta, quamvis vitia sint. Addimus *dolo vel culpa*. Si dolose adversus legem agitur, est delictum verum: sin culpa, quasi delictum. Tale delictum etiam est damnum injuria datum, de quo hoc capite dicimus, §. 2. §. 5. qui illud dent §. 6. II. quomodo resarciendum §. 12. fin.

§. 2.

n. 1.

Primo quaeritur, quid sit *damnum*? Recte observat Grotius, id a demendo dictum esse. Quoties ergo dicitur aliquid de eo, quod nostrum est, toties inferitur damnum.

Nostrum aliquid dicitur vel natura, e. g. vita, sanitas, membra, pudicitia, fama; vel facto & instituto humano, e. g. bona, jura. Qui alterorum ex his surripit, demit, corrumpit, is damnum nobis facit.

n. 2.

Quum autem & jura reserantur ad ea, quae nostra sunt: aliqua autem jura nobis nascuntur ex justo, quae supra Grotius c. I. l. I. vocavit *facultatem*: alia ex honesto tantum & decore, quae Grotio dicuntur *apertum*: quaeritur, quanam hic intelligantur, dum & imminutionem jurium damnum esse dicimus? Et recte respondet Grotius sola jura ex rege jura profecta. Hinc qui furatur, qui vulnerat, qui vim infert, is dat damnum, non qui stipem petens nihil impetrat, nec qui ignem petens repulsam patitur.

Ratio est, quia jura imperfecta revera

no.

nostra non sunt aliter, nisi quatenus alter velit: dependet eorum præstatio ab alieno arbitrio. E. g. debitum exigere possum, nec in debitoris arbitrio est, an id præstare velit: ergo hoc jus revera meum est. Contra pauper stipem petit, sed non nisi ea conditione, si alter dare velit. Quod vero ab alterius arbitrio pendet, revera non nostrum est. Ergo nec damnum datur, si hujusmodi imperfecta jura nobis denegantur.

§. 3.

Observat tamen Grotius, aliquando concurrere aptitudinem & facultatem, seu, quod perinde est, jus imperfectum & perfectum: id est, quod ex altera parte est jus imperfectum, id ex altera parte & alterius persona perfectum est. Id toties fit, quoties lex præceptiva poenalis accesserit. Lex enim sæpe ex officiis imperfectis facit perfecta. e. g. Jus imperfectum est, petere honores. Hinc si repulsam feram, damnum invocare nequeo, quamvis ad hoc officium aptissimus videar. Ergo ex mea persona hoc jus est imperfectum. Contra magistratus, qui eligunt lege præceptiva tenentur: Ergo ex eorum persona est obligatio perfecta.

Sæpe etiam fit, ut accipere sit juris imperfecti, petere juris perfecti, adeoque non is damnum det, qui rem petitam denegat, sed qui petere prohibet. e. g. Romæ plures sæpe Candidati petebant honores. Qui repulsam tulerant, conqueri de damno sibi dato non poterant. At si quis civem honestum prohibuisset honores petere, is omnino damnum dedisset injuria.

§. 4.

Quum autem nostra sit primo res principalis, deinde ejusdem accessoria, nempe fructus: quaeritur, an & ad illos damnnum se porrigat? Idque recte affirmat Grotius. Fructus enim rei nostrae aequè jure perfecto nostri sunt, ac ipsa res principalis. Ergo qui eos nobis intercipit, aequè id quod nostrum est deminuit, ac qui rem principalem corrumpit. e. g. qui agrum sibi retinet, fructus, quos ex eo agro percipere dominus potuisset, intercipit, adeoque dedit damnnum.

Quia tamen nec nos fructus rei nostrae percepissent sine impensis quibusdam: nos autem non lucrum captare, sed damnum vitare debeamus: hinc sequitur, ut fructuum restitutionem petere non aliter possimus, ac deductis expensis.

Quaeritur, an & spes hic in censum veniat? Resp. non omne, quod speramus, nostrum est, & recte Justinianus noster: Saepe de facultatibus suis amplius, quam in iis est, sperant homines. Ergo distinguendum erit inter spem effectus ordinarii & extraordinarii. Illius omnino habetur ratio in aestimando damno: hujus non habetur. Deinde & spes effectus ordinarii vel proxima est, vel remotior. Illa magis in censum venit quam haec. E. g. qui sementem fecit sperat messem, haec spes est effectus ordinarii. Ergo qui fruges immaturos corrumpit, tenetur damnnum resarcire. At omnes qui navigant in Indiam, lucrum spe-

sperant & divitias. Hic extraordinarius navigationis effectus est. Fingamus portum navem in Indiam profectam non procul a portu a pirata interceptam: mercatorem autem petere lucrum immensum, quod ex hac navigatione speravit: vix ejus ratio habebitur, quia spes hæc admodum remota erat. Fingamus contra, navem ex India reversam immensas divitias attulisse, & non procul a portu interceptam: hic erat spes lucri potiundi proxima. Ergo ejus ratio omnino habebitur a judice.

§. 6.

Secunda pars capituli inquit: quinam damnatum dedisse, & ex eo ad restitutionem obligari dicantur? Causæ, seu ex philosophia notum, sunt vel physicae, vel morales. Physicae sunt, quæ ad effectum concurrunt motu physico, e. g. membra sua applicando ad furtum aliquod producendum, e. g. fur qui ipse rem alienam subtrahit. Causæ morales dicuntur, quæ mente tantum, non motu physico ad effectum concurrunt, e. g. ii quorum ope & consilio furtum factum. Prioribus obligari, nemo dubitat: jam de posterioribus queritur.

Hi concurrunt aut faciendo, aut non faciendo, e. g. furibus opem tulerunt, faciendo concurrunt, qui sciverunt, alterum furtum facturum, idque non impediverunt, quum possent ac deberent, non faciendo concurrunt.

Faciendo alii primario, alii secundo obligantur ad resarciendum damnatum. De illis regula est: Qui jubet, nec consensum requi-

requisitum adhibet, vel adjuvat, vel receptum dicit, vel qui alio modo de crimine participat, ex damno dato primario tenetur. e. g. assassinator, qui sicarios conducit, pater, qui jubet filium furari, occidere, latronum & furum socii, &c.

§. 7.

De hac regula II. est: Qui consilium dat vel laudat, & offentatur, secundo tenetur. Consilium enim non est obligatorium.

Sed de hac regula notandum 1.) eam pertinere non ad consilium generale, sed speciale, quod simul circumstantias præmonstrat. Qui generale suggerit, poena quidem dignus est, sed ad resarciendum damnum non tenetur e. g. qui alii suadet ut furetur, non præmonstrato loco, ubi furtum commode committi possit.

2.) Laudem præcedere debere novum factum, non sequi. Ita enim ad factum non concurrat. Inde ergo adparet, quid sentiendum de Æsopi facto, qui lapide a puero percussus, puerum laudavit & assensum dedit, spondens alium plus daturum.

§. 8.

Non faciendo iterum aut primario quis concurrat, aut secundo. De illis observanda Reg. III. Qui prohibere jure perfecto debet & potest, idque non facit, merito ad resarciendum damnum tenetur. e. g. pater, prædagogus, &c.

Unde id non pertinet ad eum, qui jure perfecto non tenetur. e. g. vicinus videt fures ingredi in vicini ædes, nec clamat. Inhumanus est, sed damnum non resarcit.

§. 9.

§. 9.

De his tenenda reg. IV. Qui non dissuadet, aut reticet, is secundo tenetur.

Sed hic denuo respicitur ad obligationem perfectam. Nam e. gr. concionator aulicus, consilarii, ministri primario jure perfecto obligantur dissuadere Principi facta illicita, aut non pedissequi, subditi, &c.

Ita & jure perfecto non teneor alterum delinquentem deferre vel accusare: aut in crimine majestatis unusquisque tenetur, ubi & silentium punitur.

§. 10.

Quamvis itaque certum sit, etiam causam moralem teneri ad restitutionem domini: regulæ tamen hætenus allatæ admittunt limitationem, modo causa moralis vere momentum attulerit ad effectum hunc producendum. Hinc non tenentur

1) qui tantum occasionem dederunt inscii, nisi magna concurrat negligentia. E. gr. pater iter instituit, filia interea stuprum patitur, patre inscio & nolente. Si tamen sine custode reliquerit filiam juvenulam & lascivam, excusari nequit. Elegans exemplum est in Lege Mosaica, quod qui planum tectum fecerint in ædibus suis, idque non tinxerint clathris, & aliquis inde cadat, reus esse debeat.

2) qui calcem addidere currentibus, id est, non obscure probarunt facinus, quod committere alter certo decreverit exempl. grat. Titius audit, Mævium vulnerare

Hein. de Jure Belli, &c. A a de-

decrevisse Sempronium, id factum probat. Hic sane poena dignus: sed non tenetur ad restitutionem, quia id fecisset Mævius, etiamsi consensus Titii non accessisset.

§. 11.

Quamvis etiam causa moralis æque obligata sit, ac physica: non tamen illa eodem modo tenetur semper: sed inter reos ratione restitutionis certus ordo observatur. Nam

1) si reus in alterius potestate sit, is, cujus Imperio facinus admissum est, tenetur, e. g. pater, dominus, &c.

2) Deinde causa physica, ita, ut si non habet in ære, luat in corpore. Hinc

3) reliqui, qui consilium dederunt, laudarunt, non prohibuerunt, &c.

Singuli tenentur in solidum, inquit A. & uno solvente reliqui liberantur, (quod in poena secus se habet.) Sed id tantum verum est de actibus individuis, ubi non constat, quantum quisque ad effectum contulerit: si autem dividuum est factum, quisque tenetur pro rata. E. g. tres Titium aggressi, unus vulnus infixit in capite, alter in brachio, tertius tantum percussit baculo. Si de solstro quaestio est, singuli pro rata tenentur.

§. 12.

Sequitur tertia pars de modo resarciendi damnum. Ubi 1) quaeritur, utrum quis tantum de effectu delicti proximo, an etiam de remotiore teneatur? Resp. de utroque. Nam qui deliquit, utriusque effectus causa est. Philosophi quidam vocant causam

Iam sine qua non. Exempla bina attulit Grotius, privatum alterum, alterum publicum. Quidam vicini platanum incenderat, ex ea domus arserat. Etiam hoc damnnum tenebatur resarcire. Ita & Ariarthes exitum Melamni obstruxerat, ut regionem faceret insulam. Sed inundatione magna Galatiæ & Phrygiæ pars periit. Tenebatur Galatis & Phrygibus ad restitutionem.

Exceptionem tamen patitur regula, si actus in se non illicitus est, sed permissus. Tunc enim qui jure suo utitur, nemini facit injuriam. e. g. Qui fontem in suo fodit, non tenetur vicino, licet venam aquæ vicini inciderit.

§. 13.

Exemplo porro homicidii id declarat A. Homicida occiso vitam reddere nequit nec ea recipit æstimationem. Sed tamen tenetur ad resarcienda damna, quæ inde ad defuncti familiam redundarunt. Hinc solvit impensas in curationem factas, solvit alimenta familiæ, impensas funeris.

Sed alimentorum hodie raro habetur ratio. In Saxonia solvitur pro illis agnatis defuncti pecunia, quæ vocatur *Wergeldum*, estque 40. florenorum.

§. 14.

Ad quid tenetur, qui non occidit sed mutilavit, vel vulneravit? Resp. ex eodem fundamento §. 12. explicato, teneri cum ad omne damnnum cui occasionem dedit. Hinc & ipse solvit impensas curationis,

restituit id, quod lucrari potuisset, nisi ex vulnere decubuisset.

Quia etsi in posterum ob mutilationem alimentis carere debet vulneratus, horum quoque habetur ratio.

§. 15.

Ad quid tenetur adulter? Resp. A. eum
1) indemnem præstare maritum ab alenda prole, 2) eundem liberis reliquis teneri ad resarciendum damnum, quod patiantur ob concursum prolis adulterinæ ad hereditatem.

Sed Grotius hic non satis accurate sequutus est LESSIUM, Jesuitam. Decisio enim hæc absona est. Aut constat prolem esse adulterinam, e. g. si maritus per aliquot annos absens fuerit, aut dubium est, utrum ex patre an ex adultero suscepta sit. Priore casu maritus alienæ proli nec alimenta debet, nec hereditatem: posteriore casu non tenetur adulter prolem alere, pro qua militat præsumptio, non esse legitimam.

Certius est, stupratorem aut dotare debere mulierem, aut ducere, quin & ad præstanda alimenta obstrictum esse, quia hæc in re damnum intulit stupratæ.

§. 16.

Quid fur præstat? Rem cum accessione, restituit damnum, & præstat lucrum cessans.

Nescio autem cur Grotius cum Lessio existimet, furem, si res perierit, debere æstimationem non infimam, nec summam, sed mediam. Id enim locum habet in con-

tra-

tractibus, si res apud alterum perierit sola culpa. Ast hic de delicto quaeritur, quod favorem non meretur, adeoque iustissimum est, ut ex fundamento §. 12. omne damnum, adeoque & summam aestimationem praestet.

§. 17. 18.

Pergit auctor ad dolum & vim. Quid praestat, qui dolo aut vi promissioni dedit causam? Resp. aut jam praestitum est, quod hoc modo promissum, aut nondum praestitum. Priore casu reddi oportet cum fructibus: posteriore promittens restituendus in integrum, & ab obligatione absolvendus. Plus enim damni non datum est.

Exceptio tamen est, si quis ipse causam dedit, cur vim pateretur. Tunc enim vis non est injusta ex. gr. si debitor morosus causam dedit magistratui, illum cogendi.

§. 19.

II. Quum & bellum jure gentium pro vi injusta habeatur: quaeritur, an & hic alter alteri teneantur ad resarcienda damna, si appareat eum bellum injustum gessisse.

Resp. Justitia belli vel interna est, quae ex causa judicatur. Justa enim belli causa facit justum bellum, vel externa, quae ex personis & modo judicatur. Tunc Principes & resp. gerunt bellum justum, privati, subditi, latrones, injustum. Justitia interna occultior est: externa in oculos incurrit.

Quia ergo de occultis difficulter judicatur, & neutra pars fateri solet, se bellum injustum gessisse: hinc respicitur tantum ad justitiam externam, adeoque regula est: Qui bellum justum gerit, (in sensu posteriore) is alteri non tenetur ad damna resarcienda: Qui injustum, tenetur, ut rebelles, piratæ &c.

§. 20.

¶. I. 2.

III. Qu, an & imperantes teneantur ex damno per subditos dato? e. g. si Principis cujusdam subditi latrocinia egerint.

Resp. distinguendum, an imperantes & magistratus ea media adhibeant, quibus uti solemus ad hæc impedienda. Tunc non tenetur. Secus si latronibus & piratis parcant, eosque non diligenter persequantur.

IV. An tunc imperantes teneantur, si tempore belli codicillos dederunt privatis, ut hostium naves intercipient, hi vero amicorum, vel sociorum naves adgressi sint?

Resp. tenentur ad puniendos noxios. Sin aufugerint ad aliud non tenentur. Sin aufugerint bona eorum noxæ dantur. Sufficit enim, quod mandatum plane contrarium dederint.

Id quod Grotius illustrat exemplo militiae terrestris, quæ si injuste Ducum damnnum dedit, non obligat Duces.

Objicitur, ast usos esse rectores opera malorum hominum, & ex ea causa patremfam. ex facto servorum & ancillarum teneri. Resp. In familia facilius fieri posse

posse selectum hominum, quam in exercitu vel nautico vel terrestri, ubi insignis multitudo requiritur.

§. 21.

Quæritur, an ex J. N. sit noxæ datio servi vel pecudis? Pufendorf. affirmat: Grotius rectius negat, eamque ex jure civili oriri observat. Dominus enim cum causa sit, natura ad nihil tenetur, pecus quoque quum delinquere nequeat, ad restitutionem adigi potest. Sed legislatores eam actionem dederunt, ne plane indemnes essent læsi.

§. 22.

V. Ultima quæstio est, quomodo refarcienda damna honori vel æstimationi illata? Sane existimatio & fama sunt res inæstimabiles, & hinc sufficere videtur, ut alter puniatur. Sed recte resp. Grotius, in omni delicto concurrere vitiositatem actus, & damnum datum: illam poena; hoc restitutione expiari. Ergo non sufficit puniri, qui injuriam intulit, sed & restitutionem debet. Ea consistit,

1) in culpæ confessione & declaratione honoris vel testimonio innocentia.

2) In æstimatione pecuniaria, si eam instituere velit actor. Quamvis enim existimatio non sit in commercio, sufficit tamen, quod alter adseveret, se malle carere tanta pecuniæ summa, quam hanc ignominiam pati.

3) Immo si injuria damnum illi abud

intulerit, id quoque refarciendum, e. g. si in Germania opifici injuriam passo a collegis exercitium interdicator opificii.

C A P U T XVIII.

De Legationum Jure.

§. I.

Sæpe monuimus, A. nostrum magnam differentiam statuere inter J. N. & J. G. quorum illud ex ratione, hoc positivum esse statuit. Ad jus G. etiam refert jus legationum & jus sepulturæ, de quibus agitur duobus capitibus sequentibus. Quia enim hæcenus ostendit, quid J. N. nobis debeat: docere etiam voluit, quid debeat ex jure G. Jam sæpe monuimus, non dari jus G. a jure naturali diversum, & hinc etiam hæc ratio ordinis & connexionis cessat: tamen sequendus est Auctor, dicendumque hoc capite de jure legationum.

Quæritur autem primo, an jus legationum ex J. G. sit? Adfirmat A. & provocat suo more ad veterum quorundam testimonia, qui legatorum sanctimoniam ad J. G. referunt. Sed facile demonstratur, legatorum jura ex ipso jure nat. esse.

Juris nat. est, unumquemque posse negotium per alium explicare: ergo & idem jus competit reip. & ejus rectoribus.

Juris

Juris nat. est belligerantes pacem facere, idque quum fieri non possit sine internunciis, internuncii autem futuri non sint sine inviolabilitate. E. jus nat. jubet legatos esse inviolabiles.

Nihil ergo hic positivum est, præter ritus quosdam & privilegia, in legatis recipiendis, dimittendisque observari solita. Sed ritus non pertinent ad jus, sed ad decorum, unde & mutari possunt pro gentium arbitrio.

Videbimus 1) Jus mittendi recipiendique legatos, §. 2. 3. 2) Inviolabilitatem eorum. §. 4. fin.

§. 2.

Quæritur itaque quod ad priorem partem n. 1. attinet, quis habeat jus legatos mittendi? Resp. is, qui capax est summi imperii.

Fluit id enim ex ipsa definitione, Legatus est persona missa ad remp. vel Principem exterum, ut negotia principis vel reip. suæ expediat. Hæc vero definitio non quadrat aliis, nisi vel a Principe vel a rep. missis ad alium Principem vel remp.

Solent quidem & alias publico nomine quidam mitti, vel a Principe seu republ. ad subditos, vel a subditis ad summos imp. seu remp. sed 1) hi nomine ab illis differunt, nam priores dicuntur *Commissarii*, posteriores *delegati* vel *deputati*. 2) Differunt & re ipsa. Nam illis ex jure N. debetur inviolabilitas: his non semper debetur. 3) JCorum controversiæ deciduntur ex J. N. horum ex J. C. nempe ex *sic. ff. de legation.*

n. 2. Pro capitibus summi Imp. habentur etiam foederati inaequales. Foederati enim, licet praerogativam agnoscant alterius reip. tamen sunt liberae societates, quamdiu non sunt subditi. Hinc e. g. Valerii & Grifones recte mittunt legatos quamvis sint foederati Helvetiorum inaequales. Et Carthaginenses olim jure legationum gaudebant quamvis iniquissimum foedus illis Romani extorsissent. Idem hodie dicendum de Aegiriensibus, Tunetanis, Tripolitanis.

Aliud dicendum de regibus victis & exitis regno. Hi enim ad victores legatos non mittunt, nisi data fide publica. Exemplum Persei ipse Grotius adducit.

n. 3. Idem obtinet in bello civili. Tunc enim neutra pars bellum gerens est societas libera, adeoque nec jus legationum habet, sive cives inter se bellum gerant, sive cum Principe.

Attamen id exceptionem patitur 1) ratione tertii, si causa sit dubia. Sic e. gr. quum Belgae foederati ab Hispanis defecissent, ordines legatos mittebant ad Henricum IV. Regem Franciae, qui paullo ante pacem cum Hispanis inierat. Legatus Hispanicus caelum & terram movebat Parisiis, ne rebellium, ut vocabat, internuntii jure legationis tuerentur. Sed Henricus IV. recte resp. ratione Gallorum Belgas esse societatem liberam, nec Hispanum sibi leges praescribere posse, quorum legatos admittere debeat.

2) Ex necessitate. Bellum enim civile debet pace demum finire. Ea coalescere
ne-

nequit, nisi ope legatorum. Ergo admit-
tendi & eorum internuncii, qui bellum
civile gerunt, data fide publica, & salvo
utriusque jure. Sic Cæsar Hungarorum sub
Ragozzio rebellantium legatos salvo jure
suo, & data fide publica admisit.

§. 3.

Quæstio altera est, de admittendis le- n. 1.
gatis, an omnes teneantur legatos extra-
neorum principum vel rerump. admittere?
Sunt qui generatim dicunt, admittendos
esse legatos promiscue. Alii cum Grotio
rectius distinguunt.

Promiscue omnes non admittendos esse
vel inde patet, quia ex decoro tantum
fuit hæc obligatio. Nam e. g. decorum
requirit, ut amicum me salutaturum ad-
mittam: sed si tamen vel nolim vel non
possim eundem admittere, non ideo inju-
stus sum. Ita & de legatis ex decoro fuit
regula: Legati admittendi, nec temere
rejiciendi sunt.

Sed si ob justam causam nolim vel non
possim admittere, eo ipso peccasse non di-
cor contra justitiam. Sunt autem justæ
causæ rejiciendi legatos vel ob personas
mittentes, vel ob personas missas, vel ob
causam, propter quam mittuntur.

1) Ob personas mittentes cessat hoc n. 2.
officium, si Princeps vel resp. mittens le-
gatos hostili in nos animo sit. Hosti enim
nihil debemus officii, qua hosti. Hinc si
hostis pacis causa mittit legatos, hi non
gaudent inviolabilitate, nisi data fuerit
fides publica. Et, si nolimus, eos amplius

nobiscum manere, statim possumus remittere. Exemplum luculentum est in historia Belgica. Albertus Austriacus rogabat ordines, ut legati sui reciperentur, conditiones pacis oblaturi. Ordines diu negabant: denique data fide publica, Hagam proficiscebatur Spinola & alii. Quum adpareret, legatos non pacem velle, sed corrumpere conari reip. ministros, jusserunt eos intra breve tempus domum redire.

2) Ob personas missas. De pace tractabatur Coloniae. Imperator promiserat, se Galli legatos suscepturum. Mittebat Rex Galliae Furstenbergium, Principem rebellem & transfugam. Imperator illum captum Viennam abduci jubebat. Et sane non teneor quemcumque admittere, sed eum, qui mihi non suspectus sit.

3) Ob causam, propter quam mittuntur, e. g. si adpareat, legatos vel speculandi causa adesse, vel turbas concitare velle in rep. vel aliquid ambire, quod praestari nequeat. Hinc a protestantibus non admittuntur Nuncii Pontificis.

S. 4.

n. 1. Sequitur jam altera pars de legatorum inviolabilitate. Ea inviolabilitas partim ad personas legatorum, partim ad eorum bona pertineret comites.

1) Quod ad personas attinet, de iis maxime disceptant DD. quia id jus ex J. G. explicare conantur, id est, ex jure a jure nat. diverso, cujus tamen nulla fundamenta certa sunt.

Videbimus ergo 1) ipsam dissensum DD.

DD. 2) Quomodo Grotius illud componat.
3) Quid ex veris ac genuinis J. N. Principiis de hac quaestione sentiendum sit?

DD. quidam 1) inviolabilitatem legatorum restringunt ad vim injustam, e. g. ut spoliari, vel injuriis adfici nequeant. Et sic nihil præcipuum habent legati præ aliis hominibus in republ. nostra viventibus.

2) Alii vim etiam justam negant inferri posse legatis, nisi ubi jus G. violent, e. g. conjurationes & rebellionem in refovendo.

3) Alii generatim contra omnem vim muniunt legatorum personas.

2) Quid ergo Grotius? Dicit quaestionem difficilem esse, quæ in partem utramque disputari posset. Pro prima & secunda sententia pugnare, quod delicta non debeant manere impunita. Pro tertia, quod legationum utilitas hunc favorem mereatur, ut personæ legatorum sint inviolabiles. Ergo nihil superesse ait, quam ut videamus, in quam inviolabilitatem legatorum gentes consenserint, idque non ex exemplis, sed tum ex sapientum judiciis, tum per conjecturas esse judicandum.

Enimvero 1) si tam incertum hoc jus est, & de eo in utramque partem potest disputari: J. G. dici potest obscurissimum, quum tamen & barbaris gentibus liquido constare debeat, ad quid obligentur.

2) Ut exempla non probant jus G. ita nec sapientum judicia. Per sapientes enim Grotius intelligit eruditos.

tos

tos ipsos dissentire, jam n. r. hujus §. vidimus.

3) Per conjecturas probare jus, perinde est ac dicere jus esse incertum. Ergo nemo punietur, qui legatos violavit.

n. 3. Videbimus tamen sapientum judicia, quibus utitur.

Aterum est LIVII, Lib. II. cap. 2. ubi Tarquinii legatis conjurationem in urbe foventibus pepercisse dicuntur Romani, adcoque plus valuisse jus G. quam legatorum improbitas.

2) SALLUSTIUS de bello Jug. refert Bomilcarem, qui Jugurthæ legatos comitatus erat, reum factum, magis ex æquo bonoque, id est, magis bono & utili exemplo) quam jure gentium.

Exinde sequitur, ut sapientes existimarent, legatos non violandos, etiamsi peccasse censeantur. Sed respondebunt alii, 1) sapientum judicia non facere jus. 2) a Livii & Sallustii auctoritate ad consensum omnium sapientum non valere argumentum.

n. 4.

Jam ad conjecturas. 1) Inviolabilitas legatorum, inquit Grotius, est privilegium. Privilegium aliquid tribuere debet præter jus commune. At nihil tribueret, si vis tantum injusta abesse a legatis juberetur, (ea enim abesse debet ab omnibus hominibus.) Ergo & vis justa ab iis abesse debet.

2) Ubi duo mala sunt reip. ibi eligendum est minus. Jam malum quidem est delictum impune committi, sed multo pejus violare legatorum personas, quarum causa
bet-

bellum excitari facillime posset. E. minus malum eligendum.

3) Si concederetur vis justa contra legatos, nunquam defuturus esset pretextus legatos violandi, quum plerumque consilia reip. nostræ adversa ex officio agitent.

4) Legatus repræsentat personam imperantis & reip. a quibus mittitur. Ergo non esse in repub. nostra fingitur, quamvis in ea sit. Ergo nec ob delicta puniendus.

Ergo inde colligit Grotius 1.) vim justam abesse debere a legatis, æque ac injustam. 2.) Delicta eorum levia dissimulanda esse, 3.) ob graviora sinibus exesse juberi legatos, 4.) ob atrocissima ad eum, qui misit, mittendos esse.

Observat porro Grotius, hanc quoque legem admittere exceptionem: 1.) necessitatis, quæ plane non habet legem. Id est si conjuratio gliscat, & extremum inde periculum immineat reip. non quidem violari possunt legati, sed tamen custodiri, interrogari, immo & litteræ eorum intercipi. Exemplum legatorum Tarquini adduxit Grotius. Addi possunt alia. Sic Cicerone legatos Allobrogum in via publica intercipi & Romam reduci jussit, quia litteras Catilinæ ad Allobrogos ferebant, ex quibus tota conjuratio patefcere possit. Recentissimum exemplum est Goëzi in Belgio, & legati Svecici in Britannia custoditorum.

2) Grotius recte addit, admittendam quo-

quoque esse 2) exceptionem hostilitatis. Contra hostem enim omnia licita sunt. Hinc si hostilia moliantur legatus, e. g. urbem vel portum nostrum intercipere audeat, tunc & occidi poterit, non tanquam legatus, sed tanquam hostis.

Ita ergo Grotius thesin suam probat per conjecturas. Sed clarius probari potest ex ipsis principiis J. Nat. Nam 1) socialitas requirit, ut inter gentes pax vel restituantur vel conservetur. Id fieri non potest sine internunciis. Hi munere suo fungi non possent, nisi essent inviolabiles. E. sunt inviolabiles. 2) Qui legatum recipit, is recipit personam, quæ representat principem, vel remp. exteram. Atqui Principem exterum in rep. nostra peccantem non puniremus, nisi hostilia moliantur. E. nec legatum. 3) Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Legatis nostris nihil mali intendi volumus. E. nec id aliorum legatis debemus intendere, Ita sane res clara, & nec judiciis sapientum, nec conjecturis opus est.

§. 5.

n. 1. Sed jam porro quaeritur, quem legatorum inviolabilitas obliget? Recte resp. Grotius, eum, ad quem legati mittuntur. Hi enim dum legatos recipiunt, tacite iis promississe censentur inviolabilitatem.

Inde ergo consequitur, ut ratione tertii non sint inviolabiles. Hinc si e. g. legatus Gallicanus per remp. nostram iter faciens in Britanniam, delictum committeret, procul dubio posset puniri, quia ratione reip
no-

nostræ non est legatus, nec eum tanquam legatum unquam recepimus.

Aliud si non deliquerint. Tunc ut alii n. 2.
viatores libero per territorium nostrum transitu merito fruuntur. Inde ergo iustis controversia inter Carolum V. & Franciscum I. Regem Franciæ decidi potest. Franciscus I. mittebat legatos ad Turcas, qui foedus contra Carolum V. cum iis inirent. Hi legati per Ducatum Mediolanensem tendentes Venetias, jussu Caroli V. intereipiebantur. Franciscus I. jus gent. violatum querebatur. Minime vero. Nam ratione Caroli V. ad quem legati missi non fuerant, ne erant quidem legati. Carolus nec fidem dederat legatis hostis per fines suos transeuntibus. Non poterat ipsi vitio verti, quod legatos pro hostibus tractaret qui foedus adversus se cum Turcis inire moliebantur.

§. 6.

Quæritur porro, an & hostis legatos ad se missos præstare debeat inviolabiles. Resp. distinguendum esse inter legatos sollemnes & caduceatores. Legationem hostium sollemnem admittere non tenemur. Semel tamen admissa inviolabilis est, ob ea quæ §. 5. diximus.

Caduceatores utrinque inviolabiles sunt ex regula J. N. quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Sunt autem caduceatores internuntii nullo caractere instructi, quos dux ad ducem mittit, induciarum, vel redimendorum captivorum causa. Cui muneri moribus gentium Europæarum
ple-

plerumque adhibentur buccinatores & tympanotribæ, quibus æque religiose præstatur inviolabilitas ac legis sollempnibus.

§. 7.

Quæstio nova est: an legatus occidi, vel male tractari possit jure talionis? Id merito negatur. Pacta sunt servanda. Hostis noster legatum violavit, cui fidem dederat. Turpiter egit & contra jus gentium. Nos jam fidem damus hostis legato ad nos misso. Æque turpiter & contra jus G. facimus, si violamus. Huic enim legato fidem dedimus, nec ab ea obligatione nos liberat res cum alio acta.

Aliud dicendum, si violatione legati hostilis nostrum liberare possemus. e. g. Legatus noster mancipatus est carceri. Nos hostilem legatum itidem mancipamus carceri, donec noster vinculis solvatur.

§. 8.

a. 1. Pergit auctor II. ad legatorum comites & res, & quærit an & hæc fruantur privilegio? Id recte affirmatur. Nam 1) accessorium sequitur suum principale. 2) Æque violatur legatus, si personæ ejus, ac si familiæ & rebus eisdem vis inferatur. 3) Dum legatus repræsentat Principem suum: jurisdictio quoque illi relinquenda in familiam & res suas.

a. 2. Sed quousque se ea jurisdictio legati exerceat, id ex moribus judicandum. Hinc nata controversia inter Regem Galliæ & Papam, qui jus asyli (*die Quartier-Srenbois*) Romæ tollere cupiebat. Et sane injuriam sibi fieri frustra querebatur Lovoois

Le-

Legatus Gallicanus. Nam inviolabilitas legatorum consistere potest, etiamsi jus asyli non concedatur facinorosis in ædibus legatorum.

Ita & indecorum hodie plerisque habetur gentibus, legatis concedere jurisdictionem criminalem in familiam, & meminisse rem fuisse graviter tractatam, quum legatus Russus Hafniæ in Damia pedissequum securi cædi in atrio ædium suarum iussisset.

§. 2.

Quæstio illustis est, an bona legato- rum arresto, quod vocant constringi possint ob æs alienum? Tale quid legato Russo in Britannia, Svecico Berolini contigisse meminimus.

Id rectius negatur, quia inviolabilitatem se etiam ad res legatorum porrigere diximus, §. 1. immo & ad vim justam.

§. 4.

Objicitur, ita occasionem datum iri legatis contrahendi æs alienum, & defraudandi cives nostros. Sed resp. 1) cives nostri cauti esse debent, ne aliter quam Græca fide, & præsentem pecunia legatis vendant, ut privatos exigant fidejussores, privata pignora &c. 2) Si æs alienum contractum initio interpellandi legati, deinde eorum Principes, si ne sic quidem satisfiat, tunc repressaliis locus est.

§. 10.

Objiciunt ita neminem fore, qui cum legatis contrahere velit. Resp. 1) id non verendum esse, quia & regibus ipsis non desina

defint creditores. 2) Nec interesse nostra, si enim fidem non reperit legatus, emet pecunia parata. 3) Gentes quasdam iis jus non dixisse, qui fidem alterius sequuti sint. Quod eleganti digressionem Grotius probat n. 2. hujus §. qui totus perlegi meretur.

§. II.

Postremo queritur, quam satisfactionem debeant, qui legatos violant? Resp. quam exigere resp. a rep. solet, id est justa hæc est belli causa, quod alter jus gentium violavit. Hujus rei multa exempla sunt. Prægnantissimum existat 2. Sam. X. ubi David bello internecino extinxisse dicitur Ammonitas, qui legatos suos violarant, quum alioquin Deus prohibuerit Ammonitis fieri injuriam.

C A P U T XIX.

De Jure Sepulture.

§. I.

PRæter jus legationum ex jure G. etiam jus sepulture derivat Grotius, de quo videbimus

n. 1.

- 1) An sit juris Gentium? §. 1.
- 2) Cur sepeliendi ritus inventus? §. 2.
- 3) Quibus sepultura debeatur? §. 3. ad fin.

Primum queritur, an sit juris gentium sepultura? Adfirmat Grotius, idque primum probat.

I. Te-

I. Testimoniis Dionis, Chrysoſtomi, Senecæ, Hebræorum, Iſidori Peluſiotæ, Æliani & aliorum, quæ non ſine adparatu accumulavit Grotius.

Sed 1) testimonia & judicia ſapientum non faciunt jus, & 2) ne conſentiunt quidem. Hebræi enim, Iſidorus, Ælianus, Euripides, non juri G. ſed juri nat. tribuunt morem ſepeliendi mortuos.

II. Ex iis veterum locis, in quibus hoc jus Diis adſcribitur, tamquam inventori-^{n. 2.} bus. Quo præcipue pertinet locus Sophoclis elegantiffimus. Jam Diis adſcribere ſolent poetæ, quæ ex jure gentium ſunt, e. gr. jus legationum. E. & jus ſepulturæ eſt juris gentium.

Mirum argumentum. Gentiles omnium fere rerum origines ad Deos referebant. Agriculturam invenit Ceres, oleam Apollo, vinum Bacchus, an & hæc dicemus juris gentium?

III. Argumentum ex fabula ducit Grotius^{n. 3.}, quam prolixè recenſet verbis Iſocratis. Adraſtus quum antea non ſepeliſſet mortuos cum Thebanis committens prælium ad interneccionem cæſus eſt, viditque intererantos ordines hoſtium ducere. Hinc jus ſepulturæ ſuis petens, non obtinuit, donec Theſeo demonſtravit, id juris gentium & divini eſſe. Ex quo patet Theſea & Iſocratem etiam hoc jus pro jure gentium habuiſſe.

Reſp. 1) Fabula hæc, ipſo fatente Iſocrate, a poetis eſt.

Pictoribus atque poetis
Quid-

Quidlibet audendi semper fuit æquã potestas.

2) Non statim est juris G. quod tale videtur Isocrati & aliis, qui sæpe ignorant, quid sit jus gentium. 3) Et quomodo aliquid simul est juris gentium & divini?

4. IV. Denique inde patet, quod veteres huic officio nomen virtutum tribuunt. E. gr. Cicero vocat humanitatem & mansuetudinem, Val. Max. misericordiam & religionem, Quintilianus misericordiam & humanitatem &c.

Resp. 1) Est humanitas mortuos sepelire, ne vivis sint abominationi & tædio. 2) Judicia hæc gentilium singularem habent rationem. Nam existimabant, non posse quiescere manes, sed tristes oberrare, nisi corpus sepeliatur. Qua de re multa notavit JAC. GUTMERIUS *de jure manium*. Ergo inde non sequitur, morem sepeliendi esse juris gentium.

Quid ergo dicendum? Resp. questio duplex est: 1) An e medio hominum viventium removendi mortui? Idque unusquisque adfirmabit ob periculum societati humanæ imminens ex mortuorum foetore, putredine, & inde sequutura infectione æris. Et hæctenus id officium est juris naturæ, unde omnia derivanda, quæ societati humanæ conducunt. 2) Altera questio est, an præcise sepelienda sint cadavera? Et hic respondemus: nihil hac de re nec jus nat. nec J. G. statuere. Hinc & olim pleræque gentes etiam humanissimæ.

mæ, cremare malebant cadavera, quam sepelire. Apud Christianos tamen id receptum, ut sepeliantur, non c. J. N. & G. sed partim imitatione Ebræorum, quibus hic mos placebat, partim quia ipse Deus probasse videtur sepeliendi ritum verbis notissimis: Terra es, & in terram reverteris, contra improbavit ritum cremandi mortuos in regibus Israelis ad gentilismum prolapsis.

§. 2.

Altera jam sequitur quæstio, cur eum ritum adinvenerint veteres? Rationes var^{a. 1.}ie recensentur a Grotio.

1) Moschion vetus poeta hanc reddit rationem, quod cyclopes vel gigantes olim soliti sint cadavera mortua devorare. Quorum feritati hunc bolum subtraxerint, dum ea sepelierint.

Sed hæc ratio non admodum probabilis: 1) de gigantibus enim plura mentiuntur veteres, quam comperta tradunt. 2) Gigantes si tanto adpetitu in hæc fercula ferebantur, facile ea potuissent terra eruere, & devorare. Rectius itaque homines consulissent cadaveribus, si ea cremassent.

Si quæras, unde hanc originem hominum sciverint gentiles? respondeo, per traditionem, cujus luculenta exstant vestigia apud EUSEBIUM in *preparatione evangelica*, in quo libro ex instituto hujusmodi sententias & traditiones gentilium collegit Eusebius, quæ consentanea sunt religioni Christianæ.

3) Chri-

n. 3. 3) Christiani tertiam reddunt rationem: spem resurrectionis. Quum enim eam sperent credantque Christiani, non in cineres redigent suorum corpora, sed ea tanquam pretiosum thesaurum recondunt & deponunt, ut spem suam declarent resurrectionis. Notetur locus elegantissimus Prudentii.

n. 4. 5. 4) Accedunt & aliæ rationes. Inprimis huc pertinere Grotio videtur præstantia & dignitas hominis præ reliquis animalibus. Ea enim facile movere potuit veteres, ut nollent cadavera mortuorum objicere feris, volucribus, bestiis aliis, sed sepelire. Sane hanc rationem reddunt *QUINTILIANUS declamator. 6.* & *VIRGILIUS*. Quibus Grotius addit, quod Deus Jer. XXII. tanquam poenam impiis minetur, quod sepulturam non sint habituri, sed esca futuri avium.

Sed & hæc ratio non magni momenti est. Nam 1) non deterius est comedi a volucribus & feris, quam a vermibus. 2) Utrumque facilius prohiberi posset per combustionem cadaverum. 3) Comminatio prophetica non tam ob consequens est terribilis, quam ob antecedens. Nam defectus sepulturæ & cadaver objectum feris bestiis & volucribus est indicium mortis cruentæ & violentæ.

n. 6. Inde ergo concludit Grotius, adeo esse officium boni viri, sepelire mortuos, ut veteres 1) id non hominibus, sed humanitati tribuant. 2) Ut nec inimicis dene-ganda sit sepultura. Prius non magni ponderis

deris est. Quod enim humanitati tribuitur, id & hominibus tribuitur. Alterum verum est, sed ex alia ratione, quia cadavera mortuorum non amplius sunt obiectum iræ & ultionis. Quis non rideret hominem ligneam statuam verberantem? Et quid stultius est, quam irasci mortuis? Notum est diciturum regis, cui superbum hostis mausoleum ostendebatur, quique suadentibus amicis, ut illud deiceret, respondit: utinam vero omnes hostes mei sub hujusmodi mausoleis quiescerent!

§. 3.

Hinc facile deciditur quæstio, an & hostibus publicis debeat sepultura? Id adfirmat Grotius, idque suo more & testimoniis & exemplis probat. Sic n. 1. accumulatur testimonia Appiani, Taciti, Dionis Chrysostomi, & aliorum. Sed ratio paullo ante allegata sufficit. Esset enim hæc ira stolidæ & invidiæ plus quam canina, mortuis hostibus irasci, iisque invidere sepulturam, qua nihil minus & minore sumtu præstari potest.

Tamen & hic observandum, quod paullo ante diximus, pleraque hæc gentilium testimonia fluxisse ex falsa & erronea eorum opinione, quod insepultorum manes quiescere non possint.

Idem Grotius illustrat exemplis Herculis, Alexandri, Hannibalis, Pompeji & aliorum, qui hostibus etiam bello occisis hoc officium præstiterunt.

Et ne sola exempla ex gentilismo præferre videatur, addit, apud Hebræos etiam

Hien. de Jure Belli, &c. Bb Pon-

Pontificem maximum, qui tamen nullum funus alias curare, nec mortuum tangere poterat, Lev. XXI, 1. sepelire debuisse cadaver, quod insepultum reperisset. Immo Christiani vel vasa ecclesie vendi permittebantur, ut alerentur pauperes & sepelirentur mortui. AMBROS. *de offic. lib. 2. c. 28.*

n. 4.

Sed ut vera fateamur, 1) hæc exempla ad rem non pertinent. Quæstio enim non est de officio sepeliendi mortuos, sed de sepeliendis hostibus publicis.) Exemplis facile alia exempla opponuntur. Unde omnis argumentatio a simili & exemplo anceps est & periculosa. Refert AENEAS SYLVIVS de Barbara, uxore libidinosissima Sigismundi Imperatoris, quod mortuo marito ministri ipsi suaserint viduitatem perpetuam, addiderintque, sic eam imitaturam columbellas, quæ viduæ mori soleant, illa autem responderit, & quidni potius imitarer pasferculos? Sic similia & exempla nihil probant, quia semper opponi possunt contraria.

Observat hoc ipse Grotius. Fatetur, existare exempla in contrarium, sed addit, ea communi hominum judicio damnari. Id facile concedo, modo etiam concedatur, exemplis jus non probari.

§. 4.

n. 1.

Hactenus de hostibus: jam de facinorosis quaeritur, an & his sepultura debeat?

Haud obscure adfirmat Grotius, idque probat ex lege divina, Num. XXV, 4. Deut. XXI, 23. 2. Sam. XXI, 26. quæ Deus jusserit & ligno suspensos sub vesperam sepeliri. Id quod tam religiose

ob-

observatum novimus a Judæis, ut nec servatori nostro, quem summo odio persequerentur, sepulturam inviderint.

Idem probat ex legibus civilibus *L. 1. C. de cadav. pun. L. 3. C. eod. L. 2. C. de religiof.*

Objici posset praxis. Nam nemo ignorat, cadavera sæpe & olim & nunc in furca exponi, vel in rota & patibulo in publico conspectu relinqui solita. Sed disputari posse, an id laudabile sit. Contra laudatos fuisse ait, qui corpora punitorum sepeliverint. Objici porro posset, Davidem tamen non dubitasse caput Goliathi circumferre & ostentui servare. Sed respondet, id factum fuisse alienigenæ, gentili, Dei contemtori & inimico.

Hæc Grotius. Quid vero de tota controversia sentiendum? Omnino existimandum non absurdum esse, cadavera punitorum ostentui exponere. Nam 1) cadaveri mortuo non fit hoc ipso injuria, quia mortuum est. 2) Nec hoc fit in poenam, quia mortuus nihil patitur, quum tamen poena debeat esse malum passionis. 3) Sed hoc exigit finis poenarum & salus reip. Nam supplicia sumuntur a facinorosis, ut alii deterreantur, ne simile quid committant. Quum vero paucissimi homines supplicium sumi videant, nec quotidie sumantur: quid absurdum, si cadavera publice exposita admonere jubeantur pratercuntes, in reip. non impunita manere scelera?

Ad argumenta Grotii facile respondeatur. 1) Lex divina singularem habet rationem, ne polluat terra. Illa autem quæ

de pollutionibus hominum & terræ dicuntur in lege Mosaica, cærimonalia sunt, adeoque nos non magis obligant, quam quæ de animalibus puris & impuris dicuntur.

2) Ex legibus civilibus nec J. N. nec G. probatur.

3) Exemplum Davidis omnino repugnat doctrinæ Grotii. Nam si verum est facinorosos esse sepeliendos, secundum jus G. verissimum quoque erit, sepeliri debuisse caput Goliathi. Jus G. enim & N. inter fideles & alienigenas non distinguit.

Rectissime ergo dixeris humanius quidem esse, & clementius, cadavera facinorosorum sepeliri, nec tamen peccare legiflatores qui ea publice in furea, rota, patibulo exponi jubent, si id ad deterrendos alios a simili facinore utile videatur.

§. 5.

n. 1.

Regulæ hic de sepeliendis mortuis jam Grotius addit exceptionem, quæritque, an & iis, qui sibi ipsis manus intulere, sepultura debeat?

Observat hic Grotius 1) ipsos Hebræos his sepulturam negasse, idque probat ex JOSEPHO de bello Jud. Lib. 2. cap. 25.

2) hanc poenam esse rationi consentaneam, quia alias irrogari non possit iis, qui mortem pro supplicio non habuerint.

3) Similia instituta aliarum gentium existare, quæ eos, qui se occiderint, sepeliri voluerint.

Sed & hic aberrare videtur Grotius, dum hæc instituta ad poenam refert. An puniri possunt mortui, qui nihil sentiunt, nihil patiun-

patluntur? Annon satis gravem poenam subierunt, qui se ipsos occiderunt, & præterea æterni supplicii periculum adjerunt? Ergo potius dicendum, posse salva iustitia horum cadavera insepulta relinqui, ut aliis terrori sint, ne simili modo in propria viscera sæviant.

Ea occasione disputat Grotius, an J. N. liceat, se ipsum occidere? id merito negatur, quamvis id auctor non indoctus singulari libro, quem *Βιοδατατον* inscripsit, probare voluerit, & in se ipso paullo post triste experimentum cœperit. Nam

1) vitam non a nobis habemus, sed a Deo. Ergo non nostra est, adeoque nec potestati nostræ subjecta.

2) recta ratio nobis inculcat conservationem nostri. Ergo prohibet destructionem.

3) Lex divina naturalis æque ac positiva jubet nos amare proximum, tanquam nos ipsos. Ergo & nos amare debemus tanquam proximum. Atqui proximum occidere nefas est. E. & nos ipsos.

4) Mors voluntaria semper proficiscitur ex impatientia, desperatione, incredulitate, adeoque effectus horum vitiorum non melior esse potest, quam causa.

5) Denique ea stultitia nulla est major. Quænam enim stultitia est, ne moriari mori? inquit eleganter Martialis.

Illustrat hoc Grotius eleganti observatione, quod Hebræi mortem vocarint *ἀπολυσις*, dimissionem. Uti & Simeon Luc. II. dicit: *Nunc dimittis servum tuum in pace.* Cur ita locuti sunt Hebræi? Ut ostenderent,

mortem a Deo expectandam, nec ex statione discedendum prius, quam a summo Imperatore, Deo, avocemur & dimittamur.

n. 4. Sed Hebræi tamen unum casum excipiunt, quo defendi posse existimant *αὐτεχρησίαν*, si videat homo, vitam suam dedecori fore Deo. Hoc colore enim defendunt mortem voluntariam Samsonis & Saulis. Addit Grotius exemplum Razis 2. Macc. XIX, 37. & Christianorum quorundam, quorum meminit Augustinus, manus sibi inferentium, ne tormentis additi Christum abnegarent.

Sed nescio an hæc exceptio facile defendi possit. 1) Samsonis exemplum est typicum. Ita rem disposuit providentia divina, ut Samson morte sua mortem Christi adumbraret. Ex typicis vero regulæ morales desumi non possunt. An quis regulam moralem petat ex fratre Jacobi fratris benedictionem dolose intercipiente &

2) Saulis & Christianorum illorum exempla admodum ambigua sunt, nec certum an laudanda. Id vero certum hos quoque, qui manus sibi conserunt, quia vitam suam dedecori fore existimant, Deo, incredulos & desperabundos esse, nec fiduciam in Deo collocare, qui facile etiam ex ignominia nostra gloriam suam amplificare potest.

n. 5. Hætenus de propiicidis, quibus sepultura ex institutis multarum gentium negatur. Eiusdem generis exceptio est altera. Nam nec sacrilegio sepeliri patiebantur

Græ-

Græci, ceu ex *DION. SIC. Lib. 16.* probat Grotius. Id quod ipse Grotius non improbat.

Inde vero contra ipsum Grotium argumentamur: quod si injustum non est, insepultos relinqui proprecidas & sacrilegos, nec injustum sit, insepultos exponi facinorosos alios.

§. 6.

Vidimus itaque, quæ obligationes ex Grotii sententia e jure G. descendant, nempe jura legationum & sepulturæ. Hujus generis & alia quædam esse ait, veluti usucapionem, successiones ab intestato, contractus. Sed rectius dixisset, pleraque hæc ex jure nat. esse. Juris nat. sunt contractus & successiones ab intestato. Juris quoque nat. est, ut qui longo tempore rem suam neglexit, & pro derelicta habuit, dominio suo excidat.

Objicit Grotius, tamen hæc juris naturæ sint, tamen accipere firmitatem ex lege humana.

Sed resp. id verum esse, sed non de jure gentium, verum de legibus civilibus, quæ in usucapione tempus legitimum; in contractibus formam & modum contrahendi; in successione ab intestato gradus definire solent. Unde & hæc omnia admodum varia esse solent apud gentes diversas.

CAPUT XX.

De Poenis.

§. I.

n. 1.

Sæpius monuimus Lib. 2. hujus operis agi de causis belli justificis, quarum tres statuit Grotius: 1) defensionem, 2) exactionem ejus quod nobis debetur, & 3) pœnam. Vid. Lib. 2. c. 1. §. 2. Quum ergo prolixè hæctenus egerimus de defensione, nec non de eo quod nostrum est, vel nobis debetur, eaque occasione de variis acquirendi modis, variisque titulis disseruerimus: proximum est, ut jam tertiam quoque belli causam expendamus, quam præter Grotium, vix quisquam DD. juris nat. admittit. Nobis jam agendum 1) de natura pœnarum. §. 1, 17.

2) an omnes actiones vitiosæ puniendæ. §. 18, 27.

3) quomodo pœnæ æstimandæ. §. 28, 37.

4) de bello in pœnam indicto. §. 38. ad fin.

I. Naturam pœnarum primo sistit definitio, ex qua deinde variæ quæstiones solvantur. Grotio pœna est malum passionis, quod infligitur ob malum actionis. Sed si hæc definitio admittatur, nihil discriminis erit inter pœnam & vindictam privatam. Sane & hæc est malum passionis, quod infligitur ob malum actionis. Et tamen inter hanc & illam multum interest. Nam pœna est li-

est licita, vindicta privata prohibita: qui illam non infligit injustus aliquando est, qui hanc repetit, semper injustus & poena dignus est.

Quare si definitioni Grotii addideris verba: a superiore; tunc illa recte se habebit omnino. Dicimus esse

1) malum passionis. Atqui aliquando poenæ loco injungitur actio, e. g. operæ publicæ, onus remos ducendi. Resp. tunc eæ actiones non sunt poena, sed passio illa vel modestia, quam inde reus sentit.

2) Malum, quod infligatur ob malum actionis. Ergo ubi quis malum sentit sine prævio reatu: id poenæ nomen haud meretur. Huc pertinent, qui ob mutilationem a sacerdotio arcebantur.

3) Malum infligendum a superiore. Alias enim, ut diximus, esset vindicta privata. Posset objici, Deum tamen unicuique Judo permisisse, ut supplicium sumere posset ab idololatra: & hodie privatis licere occidere fures nocturnos, aggressores, latrones, &c. Sed resp. 1. Jus puniendi superior demandare potest privato, e. g. apud nos carnicifici: potuit ergo Deus etiam privatis mandare executionem poenæ idololatris irrogatæ. Inde vero non sequitur, ut par in parem habeat jus puniendi, etiam sine speciali hac superioris permissione. 2) Cædes furis, aggressoris, latronis proprie non est poena: (nam ea licita est etiam si e. g. aggressor furiosus sit, vel in periona erret,) sed defensio.

Ex hac ergo definitione fluit, poenam jure optimo infligi. Nam 1) malum passionis pro malo actionis, inflictum nihil

B. 2.

Bb 5 aliud

aliud est, quam jus talionis. Quid justius est, ut qui malum fecit, malum ferat?

2) Infigitur a superiore, cujus est omnem injuriam cohibere a subditis. Id fieri sine poena non posset. Si ergo justum est, magistratus injuriae arcendae causa institui: justissimum quoque omnino erit, eos punire noxios. Si enim finis justus est, justa quoque erunt media, sine quibus finis obtineri nequit.

n. 3.

Objici porro definitioni posset: Deum tamen aliquando punire sine praevia culpa. Castigat etiam pios, immo hos saepe magis vexat poena, quam impios. Ergo aut injuste tunc Deus agit, aut falsum est, poenam esse malum passionis, &c. Sed resp.

1) falsum esse, quod unquam Deus puniat sine culpa. Quis enim tam pius est, ut sine peccato sit? 2) culpam aliquando latere, sed eam non minus poena dignam, ac manifestam. 3) Differre castigationem & poenam. Nam illa & innocentibus irrogatur, ut cautius mercari discant: haec non nisi noxiis. E. g. furiosus qui damnum dedit, revera non peccavit. Et tamen castigari potest, ne in posterum simile damnum det, aut puniri nequit. Ita & Deus pios castigat, ut emendet, non punit, ut perdat.

§. 2.

n. 9.

Quaeritur primo, utrum ad justitiam explettricem, an ad attributricem pertineat poena? Justitia expletrix tribuit, quod jure perfecto debetur: attributrix quod imperfecto, ex regulis honesti & decori. Unde ergo poena nascitur?

Ple-

Plerique eam referunt ad justiciam attributricem ex duplici ratione, 1) quia in pœnis observetur proportio geometrica, id est, qui unum delictum commiserunt non eadem omnes pœna adficiuntur, sed majore alii, alii minore, pro ratione meriti. Jam vero Aristoteles justiciam distributivam vel attributricem vocat, ubi observatur proportio geometrica. 2) quod pœna a toto parti detur. Id recte intelligendum. Thomas de Aquino & alii Aristotelici dicunt, inter justiciam attributricem & explettricem hanc esse differentiam, quod in explettrice privatus agat cum privato: in attributrice resp. cum privato. Ergo pœnas pertinere putant ad attributricem: contractus ad explettricem.

Sed resp. Grotius 1) falsum esse, proportionem hanc esse geometricam, 2) falsum eam in sola locum habere justitia attributrice. Quotiescumque enim ad rem non ad personam respicitur, toties hæc proportio est arithmetica. Sic e. g. minus solvo mercatori pro panno viliori, plus pro subtiliore: quis dixerit hanc esse proportionem geometricam, quum non ad personam mercatoris, sed ad rem vel mercem respiciam? Hujusmodi proportio etiam a justitia explettrice observatur.

Ad 2) Falsum esse, quod justitia attributrix detur a toto parti, in eaque reip. res sit cum privato. Idem enim etiam in explettrice contingere potest. E. g. resp. potest cum privatis, publicanis contrahere. Hic res est toti cum parte, & tamen contractus

n. 2.

pertinent ad justitiam expletricem. Præterea falsum quoque est, in poenis semper rem esse toti cum parte, reip. cum privatis. Nam & privatus a privato jure poenam repetit, modo sit superior. Sic e. g. pater punit filium, pædagogus discipulum, dominus servum.

n. 3. 4. Quid ergo ad quæstionem ipsam respondendum? distinguendum esse inter punientem, & eum, qui poenam sustinet. Quod ad posteriorem attinet, ille obligatus est ad poenam jure perfecto, adeoque ex justitia expletrice, 1) quia jam superiore §. diximus, justissimam esse rationem, ut malum sentiat, qui malum fecit. 2) quia ipse reus peccando in poenam tacite consensus. Scit enim reus legem actum prohibere, scit eandem hoc vel illud supplicium minari. Dum ergo nihilominus peccat, tacite consensus in hanc poenam, adeoque justissime & jure perfecto ex consensu suo tenetur.

Ast puniens ad infligendam poenam obstrictus est ex justitia attribuerice. Ergo non injustus est, si poenam remittit, sed mitior æquo. Immo possunt esse justissimæ causæ poenam vel remittendi, vel minuendi, vel intendendi, prout personæ vel aliæ circumstantiæ id exigunt. Hæc nisi accurate observentur, facile in varios errores quis incidere posset.

§. 3.

n. 1. Jam quæritur secundo, quis habeat jus puniendi? Resp. auctor, hoc subjectum puniens a jure nat. non determinari. Naturæ

turæ quidem convenientissimum esse, ut fiat a superiore, sed tamen id non esse absolute necessarium.

Sed hic maxime errat Grotius. Nam 1) si naturæ conveniens est, superiorem sumere supplicium, qui fieri potest, ut jus nat. non determinet, cuinam jus puniendi sit? Jus nat. sane inculcat id, quod naturæ est conveniens. 2) certissimum est, neminem puniri nisi superiorem. Nam qui pœnas restituere & sancire potest, ei & jus est illas infligendi. Atqui prius potest solus superior. E & posterius.

Unde facile patet, quid sentiendum de observatione Grotii, quod nocens non possit punire nocentem. Hæc doctrina plane nullius momenti est. Fingamus rempubl. cujus rector omnibus vitiis cooperatus & contaminatus est: in ea sane repretunc nullum vitium, nullum delictum poterit puniri.

Ergo distinguendum inter justum & honestum. Ex regula justii jus puniendi habet superior, sive virtute sive vitiis sit conspicuus. Et hinc adulter conqueri non potest de facta sibi per pœnam injuria, si vel maxime princeps vel iudex ejusdem delicti suspectus sit.

Si autem quæritur, an honestum sit, eum qui punit, propria culpa redargui: omnino id adfirmandum. Non ergo peccat vitiosus magistratus, quod punit, sed peccat, dum ipse similia committit. Et ita intelligenda verba Servatoris & Pauli Apostoli a Grotio allegata.

§. 4.

Tertia quaestio est, quis sit finis poenarum? Hæc doctrina ideo necessaria est, quia ex fine deinde fluunt officia circa poenas observanda. Hic primum spurii fines removendi. Poenæ ergo finis non est.

I. Satisfactio justitiæ divinæ debita. Quod facile potest demonstrari. Nam 1) justitia Dei est infinita, adeoque per poenam finitam illi satisfieri nequit.

2) Si hic esset poenarum finis, injustum esset, ullam poenam remittere. Atqui omnes fatentur, aliquando clementiæ laudem mereri, qui poenas remittunt. Immo aliquando peccarent imperantes, si mala quædam poenis persequerentur, e. g. hæresin, vitia interna, ambitionem, avaritiam, &c.

n. 2. Objici posset, at Deum tamen poenas infligere, ut satisfaciat justitiæ suæ. Resp. distinguendum inter poenas temporales & æternas. Temporales Deus non eo fine infligit improbis, ut satisfaciat justitiæ suæ: (sic enim poenæ non possent esse temporales, sed potius æternæ esse deberent & infinitæ,) sed ut emendat homines. Ast æternarum poenarum omnino is finis est, ut satisfiat justitiæ suæ, quod prolixè probat Grotius.

Ast inde non sequitur, ut idem finis sit poenarum humanarum. Potius argumentamur: Solæ poenæ æternæ infinitæ satisfaciunt justitiæ divinæ. Homines non infligunt poenas æternas. E. nec poenæ humanæ satisfaciunt justitiæ divinæ, adeoque

que nec is finis esse potest poenarum humanarum.

Spurius quoque finis est II. sola ultio. Nam 1) omnia officia summi Imperantis debent respicere salutem reip. ad quam vero nihil facit ultio. 2) Inhumanum est, solo delinquentis dolore pascere velle animum.

Et hinc eleganter SENECA l. 2. de ira cap. 12. Exsequar, quia oportet, non quia dolet, & cap. 32. Ad vindictam veniendum, non quasi dulce sit vindicare, sed quasi utile.

§. 5.

In hoc §. ulterius illustrat Grotius, & imprimis objectionem removet. Nimirum veteres philosophi fere consentiunt, 1) nihil esse vindicta suavius. 2) Eam voluptatem oriri ex principio homini cum bestiis communi, adeoque non malam vel injustam esse posse. Varia veterum loca eo pertinentia colligit Grotius, tum hoc n. 1. tum in notis.

Sed facile resp. 1) non omne quod homini suave & jucundum est, ideo quoque bonum est & justum. 2) Nec quod ex principio homini cum bestiis communi nascitur, laudandum. Nam sic & scortatio, adulterium, aliaque hujus generis delicta carnis possent excusari. 3) Potius recta ratio docet, mentem debere affectibus dominari, inhumanumque esse indulgere vindictæ. 2) Hanc voluptatem rationi etiam ideo adversari, quia saepe fertur in res inanimatas, bestias, homines innocentes.

Ad-

n. 2.

Addit Grotius 5) hanc vindictæ cupiditatem non modo Christianos, sed & paganos doctores paulo cordatiores improbare: Paullus: *Ne ulciscimini vos ipsi, charissimi, sed locum date ira Dei.* Christus: *Diligite inimicos vestros, benedicite maledicentibus vobis, benefacite odio prosequentibus vos, precamini pro vos ladentibus.* Similia ex Seneca Maximo Tyrio, Plutarcho colligit Grotius. Ergo si quidam philosophi suavitatem vindictæ laudarunt, iis facile opponi possunt contraria meliorum suffragia.

n. 3.

6) Cupiditas vindictæ est iudicium animi exigui, & a ratione parum instructi. Nam a) ejusmodi homo adhuc adfectibus suis indulget, b) maxime in eo prædominatur temperamentum melancholico-sanguineum, quæ mixtura plerumque stultos facit homines.

Hinc videmus plebem vindictæ cupidiorum esse, quam viros politicos, immo & principes bene instructos, quorum plerumque symbolum est: *Qui nescit dissimulare, nescit imperare.* Consideretur locus elegantissimus Juvenalis.

Quis vero dixerit, ex voluptate non prudentissimorum hominum, sed stultorum judicandum esse, quid naturam humanam deceat?

n. 4.

Unde ex his rationibus recte colligit Grotius, finem spurium poenarum esse ultionem.

§. 6.

n. 1.

Videbimus jam de fine genuino poenarum. Observat Grotius Platonem in Georgia

gia & Taurum philosophum duos statuisse pœnarum species, alias enim infligi videri *emendationis causa*, ut si furtum primum ictu fustium vindicatur. Hac enim castigatione fur non perimitur, sed admonetur, ut in posterum cautius mercari discat, unde & hæc pœna eleganter in *L. 7. ff. de pœn.* vocatur fustium admonitio: alias *exempli causa*, e. g. si fur laqueo suffocatur, tunc enim fur non emendatur, sed perimitur: aliis tamen exemplo est, ne simile delictum admittant.

Addit Taurus tertiam speciem, nempe pœnam, quæ *τιμωρίας* vel *satisfactionis causa* infligitur, e. g. si is qui alteri injuriam verbalem intulit, damnatur ad palinodiam, ut omnem injuriam recantet, & se mentitum esse publice fateatur.

Unde colligit Grotius triplicem esse pœnarum finem: *τιμωρίας* vel *emendationem* *τιμωρίας* vel *satisfactionem*, & *κόλασιν*, seu *exemplum*, vel quod perinde est, in pœnis respici vel ad utilitatem peccantis, aut ad utilitatem læsi, aut ad utilitatem ipsius reip.

§. 7.

Primus ergo & præcipuus pœnarum finis est EMENDATIO. Nullum est enim medium emendandi homines improbos certius & efficacius, quam pœna. Id eleganter probat Grotius.

Omnis peccandi consuetudo frequentibus actibus peccandi contrahitur: frequentia ista actuum id operatur, ut peccatum dominetur voluntati, & mens ex peccato voluptatem percipiat. Ea voluptas vero non

non potest in mente extinguere, nisi contrario dolore, cujus memoria ita adficiat animum, ut quis malit voluptate carere, quam denuo istum dolorem subire. Dolor iste infligitur per poenam. E. poena est medium emendandi.

Sed distinguendum tamen inter emendationem moralem, & civilem. Illa ipsam mentem sanat, hæc tantum actus pravorum externos impedit. Illa ex poenis non speranda, hæc expectanda omnino.

n. 3. Quum ergo hic finis tam bonus & præclarus sit, quæritur, quis hujusmodi poenas possit irrogare? Et responderet, unumquemque id posse, modo paribus vitiis non teneatur. Sed id falsum esse, ipse paullo post agnoscit. Addit enim, castigationem quidem verbalem ab unoquoque fieri posse, non autem verbera vel alia remedia corporis afflictiva infligi nisi ab iis, quibus leges concedunt hanc facultatem castigandi.

Enimvero ita denuo prodit errorem Grotius, quod puniendi jus unicuique concedit. 1) Si id verum esset, liceret etiam unicuique peccantem verberibus aliisque modis coercere. 2) Si hoc iis conceditur tantum, quibus legibus id jus tribuunt, jus puniendi competit superioribus duntaxat, ut parentibus, præceptoribus, magistratibus. Accedit 3) quod verbalis castigatio proprie non est poena, quia non est malum passionis cum dolore conjunctum, sed dehortatio amica cum multa benevolentia reprobatione conjuncta.

Quæ-

Quærit autem Grotius: an poena *restitutiva* ad emendationem comparata etiam ad mortem porrigi possit? Id recte negat. Nam qui destruitur, & perimitur, is non emendatur; quia mortuo nulla est occasio malefacta virtutibus emendandi.

Eatenus tamen potest dici emendari damnatus ad mortem, quia satius habetur hominem inemendabilem non vivere, quam vivum novis quotidie sceleribus se polluere. Sic Christus ipse dixit, melius quibusdam esse, si nunquam fuissent nati. Marc. XIV, 21.

Quamvis vero hæc recte se habeant; id tamen intelligendum tantum est de hominibus inemendabilibus, de quibus Joannes 1. Epist. V, 16. dicit, *eos ad mortem peccare, & ne credendum quidem pro iis esse.* Quum vero charitas Christiana vix patiatur de cujusquam hominis emendatione desperare: hinc omnino rarissime hanc observationem locum habere ipse Grotius agnoscit.

§. 8.

Alter finis poenarum est SATISFACTIO, vel utilitas ejus, qui læsus est a peccante. Sed id recte intelligendum. Non enim ea satisfactio consistere debet in voluptate, ex peccantis dolore percepta, (hanc enim voluptatem inhumanam esse, jam supra demonstravimus:) sed in securitate, ut incertus esse possit læsus, sibi non eadem in posterum imminere. Id fit tripliciter,

1) Si tollatur, qui deliquit, vel supplicii extremo, vel damnatus ad vincula perpetua, vel in exsilium ejectus.

2) Si

2) Si vires nocendi ei auferantur, e.g. Si quis divitiis fretus, alios injuriis laceffit, & a magistratu multa graviore ad egestatem redigitur. Pertinet huc exemplum Lutatii Veratii apud GELL. Lib. 20. cap. 1.

3) Si malo suo dedoceatur delinquere. E.g. minister Ecclesie crebris objurgationibus debacchabatur in magistratum. Admonitus respondebat, id sui officii esse, nec ullo periculo se deterreri ab illo exsequendo. Magistratus ipsi transmisit rescriptum, si in posterum vel mentionem faceret magistratus objurgandi causa, se ei centum florenos de salario detracturum. Id quum semel & iterum fieret, statim coepit cautius mercari. Malo enim suo dedocebatur delinquere.

n. 2. - Iste poenarum finis itidem Grotio tam bonus videtur, ut ab unoquoque privato hujusmodi poena infligi possit: unde probat.

1) Id in statu naturali recte rationi haud repugnare. n. 2. 3.

2) Idem in statu civili esse abrogatum. n. 4.

3) Vestigia tamen quaedam juris antiqui etiamnum superesse. n. 5. 6.

I. Primam thesin Grotius demonstrat 1) hoc argumento, quod unicuique liceat jure nat. omnem vim & injuriam a se propulsare, adeoque & vindictam vel ultionem eo nomine sumere ab adversario. Id quod testimoniis Ciceronis & Mithridatis apud Justinum illustratur. Deinde idem probat suo more.

n. 3. 2) Ex consensu gentium. Apud Hebraeos Sam-

Samson ultionem spirabat adversus Philistæos, quia sibi fecerant injuriam. Apud Græcos Platæenses & Demosthenes profitentur, jus hoc esse commune, ut liceat ulcisci hostilia parantem. Ita & Carthaginenses, ita & Germani veteres ratiocinati sunt. Adeoque non dubitandum, quin ultio vel poena satisfactionis causa inflicta sit juris gentium.

Sed multa hic animadversionem merentur. Nam 1) ultio non est poena, sed medium, vel cogendi alterum ad pacem, vel illum viribus exuendi, ne nobis nocere possit. Hinc facile fatemur, in statu naturali ob quamcumque læsionem bellum suscipi posse, idque tamdiu continuari posse, donec alter vel damnum resarciverit, vel ad incitas redactus sit: verum quis dixerit, gentem tunc a gente puniri, nisi improprie loqui velimus? 2) Exemplum Samsonis nihil ad rem facit. Hic enim non vivebat in statu naturali, sed in statu civili, ejusque bella adversus Philistæos defendi non possent, nisi speciali Dei jussu & ductu Spiritus S. illa suscepisset. Ergo fatemur quidem in statu naturali, unumquemque in alterum hostilia parantem ulcisci posse, sed negamus hanc esse poenam, quæ semper conceptum superioritatis involvit.

II. Illud vero rectius observat Grotius, jus hoc ulciscendi privatis in statu civili fuisse ademptum. Nam 1) in statu naturali ideo ultio conceditur, quia desunt iudices, quorum auxilio homines utantur.

Atqui

n. 4.

Atqui hi non desunt in statu civili. 2) Quis sic nunquam tranquilla futura esset resp. sed vere bellum omnium in omnes nasceretur, si manu rem gerere possint privati. Et hinc videmus ultionem privatam omnem prohiberi, adeoque multo minus parem a pari pœnis adfici posse in statu civili. Ergo & hic semper pœna infligenda a superiore.

n. 5.

III. Ostendit Grotius, quasdam esse exceptiones, id est casibus nonnullis & privatos ultionem & pœnam sumere posse,

1) In locis, ubi iudicia sunt nulla, ut in mari. Hic unusquisque potest adversus piratas non modo se defendere, sed etiam injurias ulcisci, eos vita & rebus spoliare. Sic Jul. Cæsar adhuc privatus piratas cruci suffixit.

2) In extremo periculo, e. g. si me hostis in via publica gladio adgrediatur, meque in extremo periculo videam constitutum.

n. 6.

3) Quasdam leges adhuc plus indulgent. Sic apud Moschos unusquisque ultor sibi est, modo prius iudicem adierit. Apud Germanicæ originis gentes plerumque controversiæ singulari certamine fidebantur. Veteres Hebræi permittebant proximo occisi agnato, ut posset occidere homicidam ubicumque repertum, modo ne in asylo quodam habitaret. Simile quid apud veteres Græcos fuisse receptum, & Grotius hic probat, & multo prolixius FARRUS in *Antiquitatibus Homeris*.

Sed quamvis hæc omnia vera sint, tamen

men 1) & sic proprie non poena infligitur, sed vindicta sumitur, quas differre jam antea demonstravimus. 2) Hæc omnia fiunt per modum belli, non per modum iudicii, quo poenæ infligi solent. Hinc quamvis privato nautæ liceat piratas ulcisci, nescio tamen an poenam effugeret, si captos latrones vellet ad mortem condemnare, & supplicio privatim adficere, nisi id summi Imperantes expresse permittant. Unde Cæsaris factum non ab omnibus probatur. Debuisset enim captos offerre magistratui.

§. 9. 12.

Tertius fias est utilitas communis reip. vel exemplum. Ideo enim sæpe infliguntur suprema supplicia, 1) ut reliqui subditi æque ac peregrini videant, non impune in rep. nostra delinqui, 2) ut alii diro isto poenarum genere deterriti, sibi a simili infortunio caveant. Semper enim plebs magis sensu quam rationibus flectitur, & magis attendit huiusmodi tragediis admonita, quam si mille leges ferrentur. Et hinc facile redditur ratio, 1) cur non intra carceres, sed publice in omnium conspectu supplicium sumatur. 2) Cur corpora damnatorum in patibulis, rotis & furcis publico conspectui exponantur, quod supra probare non videbatur Grotius.

Has quoque poenas infligendi jus omnibus commune esse, adfirmare non dubitat Auctor in statu naturali, idque probat variis argumentis, 1) quia ex sententia Tullii, Horatii & Euripidis sapiens nemo pri-

privatus sit, sed semper magistratum velut gerat, 2) quia jure nat. fas sit, id quod noxium est, tollere. Sic licet occidere serpentes, leones, aliasque feras, quidni etiam homines improbos, a quibus nemo securior est, quam a serpentibus & leonibus?

Sed fatemur quidem posse in statu naturali homines noxios de medio tolli per modum belli sive offensivi, sive defensivi, non autem per modum poenae, quia in statu naturali nulla est Superioritas. Rationes Groti parum ad rem faciunt. Nam 1) sententia Ciceronis, Horatii, Euripidis, Stoica est. Hi dicere solebant, solum sapientem esse Regem, principem, magistratum, dominum, subditum, servum & omnia, non actu scilicet, sed potentia, quia in his omnibus sapienter personam suam representet. 2) Jure nat. fas est occidere noxia tamquam hostes, non tamquam peccantes, qui soli poenam merentur. Sic serpentes, feræ bestiae, furiosi non peccant, & tamen eos, si aliter periculum evadere non licet, recte occidimus etiamnum.

n. 4. Concedit tamen & hic auctor hoc jus hodie privatis in statu civili fuisse ademptum, 1) quia poena inquisitionem requirat, ad quam non omnes vel prudentia vel æquitate sufficiente instructi sunt, 2) quia æstimatio poenae magnam prudentiam & æquitatem requirat, quam non unusquisque præstabit. Addo 3) quia nulla est poena sine lege, nulla lex sine legislatore, nullus legislator, nisi qui superior, ergo & poena non potest exempli causa, nisi a superiore infligi.

Deni-

Denique vestigia quædam hujus juris etiamnum superesse docet. A. 1) in locis ubi judicum auxilium non est sperandum. De quo casu jam supra dictum. 2) In quibusdam in delicto deprehensis, e. g. jure Hebræo licebat privato occidere idololatram Judæum: jure Romano maritus recte occidebat adulterum domi suæ in delicto deprehensum. Resp. hæc ultio permittitur a lege, adeoque revera a superiore per privatas personas infligitur. 3) In castigatione domestica liberorum & servorum, quæ sæpe usque ad necem apud quasdam gentes pertingebat. Resp. Ergo tunc pœnæ infliguntur a superioribus, & permissu superiorum. Unde & parentibus dominisque non fit injuria, si eorum jus restringatur ad modicam coercionem, ceu hodie ubique gentium fieri animadvertimus.

§. 10.

Persuasit sibi hæcenus Grotius, pœnas posse ab unoquoque infligi jure nat. etiam a privato. Quam parum id probarit, ad singula ejus argumenta vidimus: jam vero parro quærit: an lex evangelica privatis & paribus indulgeat jus puniendi?

Et primo quidem recte adfirmat, pœnas a parentibus dominisque inflictas, modo intra æquitatem subsistant non repugnare evangelio. Sed hujus rei ratio facile ex ipsa definitione nostra petitur. Parentes enim & domini ratione liberorum & servorum sunt superiores, & tales quidem, quibus directio familiæ legibus permittitur.

Helm. de Jure Belli, &c. Cc Ergo

Ergo evangelium iis jus puniendi non magis adimere potuit, quam magistratibus.

n. 2.
3. 4.

Ast ultionem inter pares Evangelio prohiberi, ipse concedit Grotius. Idque demonstrat 1) a minore ad majus arguendo, quia ne quidem Lex Mosaica ultionem probet Levit. XIX, 17. Exod. XXIII, 4. 5. 2) dictis Christi, Matth. V, 44. seq. ubi tamen fallitur Grotius, quod ex præcepto Christi ne judicem quidem salva conscientia adiri posse existimat, quamvis eandem sententiam foveat TERTULLIANUS *lib. 4. adv. Marcionem*, cujus verba prolixè recensentur. Nam 1) Christus non tollit poenitentiam. 2) ita consistere non posset resp. si impune improbi possent probos vexare. Vexarent autem impune, si his non liceret adire judicem. 3) Ipsum evangelium judicum officium probat. vid. Rom. 13. Ast id frustraneum esset, si haud liceret ab iis auxilium implorare.

n. 5.

Ceterum ex hoc testimonio Tertulliani colligit Grotius 1) Christianis ultionem non fuisse permissam, 2) ne Hebræis quidem semper fuisse permissam. Nam ultionem putat esse duplicem, aliam sumi ex odio erga peccantem, aliam tantum in futurum cavere.

Priorem Hebræis fuisse prohibitam probat 1) ex Levit. XIX, 17. *Non adservabis odium adversus proximum.* 2) Ex testimonio Philonis, qui in legatione ad Cajum, quum Judæi ab Alexandrinis gravissimis essent vexati persecutionibus Imperatorem ita adloquebantur: Non delectamur o Domine.

mine ultione de inimico, nam ex sacris legibus didicimus hominum misereri. 4) A minore ad majus, quia ipsi gentiles hujus vindictæ inhumanitatem agnoscebant. Elegans locus Claudiani huc pertinens existat apud Claudianum.

Immo & ultio, quæ in futurum cavet, Christianis fuit prohibita, Hebræis autem, ut supra diximus, permixta. De Christianis res clara est ex Luc. XVII, 3. ubi jubemur adversariis remittere delicta. n. 6.
7.

De Hebræis contra aliud patet 1) ex lege talionis, oculus pro oculo, &c. quam tamen Grotius in usu fuisse dubitat. 2) Ex multa privato læso adplicanda, quæ æque apud Hebræos ac alias gentes erat recepta. 3) Ex divortio permixta, ob quodcumque fere delictum saltem gravius.

Ast quamvis ultionem omnem tam severe inhibuerit evangelium: aliud tamen de poenis demum concedit Grotius, has enim, prout a magistratu infliguntur, ne Christum quidem sustulisse fatetur. Nam 1) quid clarius est verbis Apostoli: *Magistratus gladium non frustra gerit. Est enim Dei minister & vindex ad puniendum maleficos.* 2) Christus nusquam tollit leges politicas. n. 8.

Sed quum hæc verissima sint, recte inde colligas, magnum esse discrimen inter poenam & ultionem, quas Grotius semper confundit. Illam enim Christus concessit, hanc prohibuit, illa nihil inhumani continet, hæc inhumana & crudelis est; &c.

n. 1. Jam objectiones removet Grotius. Sunt enim qui ne poenas quidem permitti in Evangelio existimant, idque inde probant.

1) Quia Dei exemplum sequendum sit etiam magistratibus. Atqui Deus multis ignoscit peccantibus, Solem suum oriri patitur super justis & injustis, pluit super pios & impios. Matth. V.

Respondet Grotius, misericordiam Dei tantum spectare ad peccata contra primam legem aut contra legem Mosis admissa ante notitiam Evangelii, non ad ea quæ postea committuntur. Quæ sane doctrina plane singularis est.

Nos potius ita respondemus 1) Deum tamen non semper ignoscere, E. & magistratum non semper ignoscere debere, 2) Deum ignoscere illis, quos prævidet ad frugem redituros, id vero tam facile discernere nequeunt magistratus & iudices, quippe non omniscii.

n. 2. Objiciunt 2) Deum veniam indulgere poenitentibus. Ergo & magistratus esse id facere. Resp. 1) Deus scit, qui veram agant poenitentiam: id ignorant homines. 2) Deus quidem poenitentibus certo remittit poenam sempiternam, sed non semper temporalem, ceu exemplo Davidis patet. Ergo & magistratus potest poenitentes punire,

§. 12.

n. 1. Objiciunt 3) saltim supplicia capitalia ita excusari non posse, quia spatium poenitentiae præcidatur. Sed resp. Id non præcidi

cidi a piis magistratibus, 1) quia non festinant supplicium irrogando, sed spatium indulgent, ministros ecclesie ad reum mittunt &c. 2) quia saepe magis serio agunt poenitentiam, qui jam mortem sibi imminere vident, quam quibus spes est vitae longioris, 3) quia si perseverat in contumacia reus, id sibi imputare debet, nec magis ejus rei culpa potest tribui magistratui, quam Deo, quum ne Dei quidem verbum omnes convertat.

- Objici 4) posset, poenis & suppliciis opus fuisse inter gentiles, non inter Christianos, quos magis pios esse deceat. Sed resp. Docet quidem Christianos pietas, sed inde non sequitur, ut omnes sint pii. Contrarium docet experientia. Ergo & que opus est poenis, ut tranquilla sit resp. n. 2.

Postremo tamen Grotius commendat magistratibus Christianis exemplum Sabaconis, Regis Aegyptiorum, qui supplicia capitalia in operas publicas mutaverit. n. 3.

Et omnino quidem laudabilis est clementia: sed nonnunquam clementia fit crudelitas, si ita parcat gladio imperans, ut inde occasionem arripiant homines delinquendi. Sane si fures sciant, imperantem non laqueo punire, sed ad operas publicas condemnare fures, actum erit de ejus subditis. Fures enim omnes spe vitae saltem servandae in ejus provincia quæstum facient. Exemplum vidimus in Germania in Episcopo Wirzburgensi, qui religionis causa omnes fures fustigatione tantum & operis publicis plectebat.

1. **Q**uestio quæ jam sequitur facilis est :

2. **A**n cessante uno ex finibus paullo ante explicatis, ipsa poena cesseret?

Adfirmat TAURUS philosophus apud Gellium : sed rectius negat Grotius. Requiritur enim, ut omnes fines cessent. Ergo si vel maxime per poenam non emendetur reus, si exemplum in eo statui nequeat, quod aliis admonitionis loco sit : sufficit tamen, si tertius finis supersit, nempe satisfactio, id est, ne simile quid in posterum possit committere.

In vita Friderici Wilhelmi Electoris apud Puffendorffium legimus equitem quemdam Prussum electori infensum ad Polonos se contulisse, & tot calumnias inter Polonos de electore tunc adhuc Polonorum vasallo sparsisse, ut & bellum constari inde facile potuisset. Elector dabat negotium legato suo Wasoviz viventi, ut hominem clam interceptum Regiomontum mitteret. Is illum domum sub spe reconciliationis pellexit, & plastro tecto impositum noctu abduci iussit. Homo postea latuit, existimantque plures eum gladio clam percussum. Fingamus id factum. Hic nec emendationis causa sumtum supplicium, nec exempli causa, (quia nemo vidit) an ideo injuste sumtum est? Neg. Reliquus enim erat tertius finis, nempe satisfactio, vel cautio, ne imposterum simile quid committeret.

§. 14.

Jam sequuntur aliquot consilia conscientiz suppeditata a Grotio.

Pri-

Brimum, non tutum esse homini Christiano privato poenam de improbo sumere, sive suæ sive publicæ utilitatis causa. Rationem supra dedit, quia omnis ultio prohibita a Christo in Evangelio.

Ex quo porro colligit, laudandos esse populos, qui navigantes mandato instruant persequendi piratas, sic enim fieri, ut eos non privatim sed publice persequantur.

Nos autem jam demonstravimus, non solum minus tutum, sed & plane illicitum, & juri nat. contrarium esse, privatim punire quemquam, nisi quis sit superior: non enim hanc esse poenam, sed ultionem.

§. 15.

Secundum, non tutum esse homini Christiano accusare quemquam capitibus, & hinc laudandos populos, qui accusatorem publicum, id est procuratorem generalem constituebant. Ratio Grotii est, 1.) ne quis aliquid faciat ad alienum sanguinem fundendum, nisi publico nomine. 2.) Quia concilium Eliberinum accusationes & delationes prohibuit.

Sed in eo minus religiosus videtur Grotius. Nam 1.) sanguinem humanum fundere in se non injustum est, sed sanguinem humanum fundere injuste. Alias nec Procurator generalis salva conscientia posset quidquam facere ad sanguinem fundendum. 2.) Non sequitur, quia poenam privatus infligere non potest, E. nec accusare potest. Poena enim requirit causæ cognitionem, quæ non est privati par, sed superioris. Accusatio autem integram causæ cogniti-

nem relinquit judici, nec cuiquam nocet, nisi crimen verum esse probetur. 3) Aut ergo accusare in se malum & injustum est, aut non est. Si prius, nec procurator accusare poterit. Sin posterius, & privatus salva conscientia accusabit. Hinc 4) nec in Hebræorum rep. divinitus instituta accusationes privatae exfulabant, ceu jam ab aliis ostensum est. 5) Concilia non sunt norma fidei & morum, & multa continent, a sane rationis principiis aliena. Qua de re diximus ad Procem. §. 51.

§. 16.

Non tutum esse, ambire munera publica, quæ ad sanguinem fundendum comparata sunt. Nimirum 1) quia Grotius existimat. sanguinem humanum fundere periculosum esse, 2) quia Christus Matth. VII, 1. minatur eodem modo Deum judicaturum de nobis, quo nos judicemus de aliis.

Sed, 1) si periculosum est, sanguinem humanum fundere, non sequitur, ut nemo hujusmodi munus ambire debeat, sed ut cauti esse debeant iudices de causa cognoscenda. 2) Sic & comminatio Christi nobis debet incitamento esse, ne injuste judicemus, non autem ut abhorreamus a munere iudicis. 3) Aut in se malum est, de capite judicare aut non est. Si prius, nec jussu reip. quis de capite judicare poterit: sin posterius, etiam ambire quis poterit munus hujusmodi, si se illi videat idoneum.

§. 17.

D. 1.

Quærit demum Grotius: anrum leges, quæ

quæ privatis faciunt facultatem interficiendi, vere interficientem excusent, an tantum tribuant impunitatem in foro humano? Exempla varia sunt, e. g. occidere licet furem nocturnum, marito adulterum domi suæ deprehensum, patri adulterum cum filia vel in genere vel in suis ædibus deprehensum.

Distinguit Grotius, utrum lex hujusmodi quid indulgeat ob solum dolorem, vel ultionis causa, an ob periculum imminens. Si prius: tunc posse omnino dici impunitatem tantum dare legem, non autem Ideo excusabilem esse hominem in foro conscientiæ.

Sin autem ob periculum imminens id fiat, omnino & in divino & in humano foro esse excusabilem, qui jure sibi concessio usus sit. Id quod etiam de bannitis dicendum. E. g. In Germania imperator status immorigeros declarat in bannum Imperii, (in die Acht ende Oper-Acht) ejus formula est: Vita corpus & fortuna ejus unicuique pateant. Hic si quis bannitum occiderit, omnino & in foro conscientiæ & inter homines excusatus est. R. 1. 2. 3.

Et ita recte sentit Grotius: Nam 1) jam supra diximus evangelium non probare ultionem. Hinc quamvis illa indulgeat lex, non plus tamen potest illa promittere, quam impunitatem.

2) Et jus nat. & evangelium concedit, ut adversus hostes & pericula nos defendamus, quia utrumque jubet ut nos amemus æque ac proximum. Ergo omnino

excusatur, qui furem, aggressorem, hostem, malit occidere, quam ab eo occidi.

3) Banniti sunt condemnari causa cognita. Eos salva conscientia occideret carnifex jussu imperantis. E. & idem Imperans civibus promiscue indulgere potest jus occidendi bannitos.

§. 18.

Hactenus prima pars capituli, de poenarum natura. Jam sequitur altera: an omnes & quinam actus vitiosi puniendi sint in republica?

Hic recte negat Grotius, omnia delicta in statu civili esse poenae obnoxia. Poena enim non infligitur, ut satisfiat justitiae divinae. Nam ipse satisfactionem exiget Deus futuro die judicii, sed emendationis, satisfactionis privatae & exempli causa. At non omnes actus vitiosi turbant remp. vel salutem publicam repugnant. Ergo nec omnes puniendi.

Inde ergo sequitur, ut poena exempti sint I. actus mere interni, si in externos non erumpant, e. g. ambitio, odium, ira, invidia. Nam 1) interna soli Deo cognita, 2) ea nihil pertinent ad remp. quae salva est, modo improbitas non in actum erumpat.

Notanda tamen limitatio, quod si semel internum vitium in actum externum erumpit, tunc & motus vel actus internus in aestimationem veniat, e. g. si quis occidit dolo, magis punitur, quam si homicidium sit culposum.

§. 19.

II. Poena eximuntur actus inevitabiles
natura-

naturæ humanæ, quo pertinent vitia ex temperamento hominis resultantia, e. g. voluptas, ambitio, avaritia. 1) Quamvis enim hæc vitia esse, nemo neget, sunt tamen vitia, quibusita patet natura humana, ut is humanum genus e medio tollere debeat, qui vellet omnino hæc vitia tollere. 2) Hæc vitia in se non turbant temp. Simulac vero turbant, omnino possunt puniri.

n. 2.

Quod autem Grotius dubitat, an hujusmodi vitia naturæ humanæ tam propria possint peccata dici, id omnes merito mirantur. Dicit quidem, peccatum esse, quod libera & spontanea voluntate committitur: hujusmodi autem vitia non esse spontanea, nec ex libera voluntate proficisci. Sed resp. negari definitionem. Peccatum definiente Apostolo est *avopia*, aberratio a lege. Quis vero negaverit, hæc vitia a lege aberrare? 2) libertas voluntatis eatenus salva est, quod possent homines hæc vitia deponere & emendari, modo oblati gratiæ mediis uti vellent. Id dum non faciunt libere & sponte, in vitiis perseverant.

§. 20.

III. Poena exenta sunt peccata, quæ non nocent societati humanæ vel reipubl. Sic e. g. grave vitium est invidia: quia tamen invidus plus sibi quam societati humanæ detrimenti infert, hinc omnino non punitur inter homines.

n. 1.

Ratio est 1) quia hic finis poenarum cessaret, 2) quia Deus & sapientissimus, & justissimus & potentissimus est, ad hæc vitia punienda.

IV. Etiam actus imperfectæ obligationis non pœnam admittunt. e. g. misericordia erga pauperes. Nam 1) hæc obligatio non producit actionem in foro, ut sæpe diximus, ergo nec pœnam admittit. 2) Hi actus proficiuntur ex honesto, ex decoro, id est ex virtute. Ad virtutem autem cogi nemo potest.

§. 2.

Unde facile deciditur quæstio: an datur actio ingrati? Disputat de ea *singulari dissertatione* BOECLERUS, & ex veteribus SENECA, L. 3. de benef. c. 7. Sed gratitudo manifesto est officium imperfectum, quod ex honestate, non ex justo nascitur. Ergo inde nec pœna datur nec actio, per num. 1. hujus §.

Dividi tamen potest in simplicem & prægnantem. Simplex est, quando benefactori quis non benefacit: prægnans quando eidem ægre facit. Prior non producit pœnam: posterior omnino pœnam non quidem producit, sed auget, quia quum nemini inferenda sit injuria, multo gravio-rem pœnam meretur, qui injuriam facit benefactori suo, & beneficia maleficiis remunerat.

§. 2r.

Quum ergo non omnia delicta pœnam mereri hactenus demonstratum sit: quaeritur porro, an & in iis delictis, quibus pœna constituta, veniæ locus sit, eamque aliquando indulgere possit summus imperans?

Negant Stoici, quorum paradoxum est, sapientem nemini ejus noscere, nemini dare veniam, de quo prolixè LIPSIUS
in

in *Philos. Stoica*. Nimirum ita ratiocinantur. Venia est debita poenae remissio, sapius, quod debet, non remittit. Sed recte observat Grotius poenam debere principem, sed delinquentem: si vero debitori remittitur, quod debet, nulla ipsi fit injuria.

Potest quis urgere, aut & sapientem principem poenam debere infligere, adeoque & ex ejus parte adesse obligationem, a qua recedere non possit. Resp. non obligari principem nisi ex lege poenali: legem poenalem a principe dependere certum est. E. & eandem tollere, multamque magis contra illam aliquando veniam dare potest.

§. 23.

Id jam porro probat Grotius, & quidem licere principi veniam dare tam ante legem poenalem latam, tam post illam.

I. Ante legem quidem certum est delinquentem puniri posse, si delictum novum adversus temp. admittat, quia 1) sic locus est finibus poenarum, nempe satisfactioni & exemplo. 2) quia naturaliter, qui deliquit (contra temp.) in eo statu est, ut puniri possit. Unde & Romani, cum Malleus Glaucia primum admisisset parricidium, nec ulla adhuc lex poenalis de parricidio exstaret, cum poena acerbior adfecerunt.

Sed quemadmodum ante legem poenalem delictum puniri potest, ita & certis concurrentibus circumstantiis poena potest remitti. e. g. 1) si delictum sit paucissimis cognitum, nec intersit reip. illud palam

palam fieri. 2) si plura existent delinquentis merita, quam ut leve delictum & fraudi esse debeat; 3) si jam sequuta sit satisfactio, 4) magnum imminet societati periculum ex poena. Sic Deus ipsi Caino pepercit, quum nondum lata esset lex de occidendo homicida, tantum ne Habel & Caino extinctis amplificatio humani generis impediretur.

- n. 2. Accedit quod clementia non minus laude digna quam iustitia. Clementia enim ex charitate emanat, & iure stricto statutum est adversus improbos. Quod ergo in contractibus, testamentis &c. est æquitas, id in poenis est clementia. Utraque respicit ad circumstantias, iisque aliquando permovetur, ut ignoscat.

§. 23.

Id quum ne Stoici quidem negare queant: tamen concedere non audeat, sapientem ignoscere, sed eum tantum parcere dicunt. Sed quid quæso est parcere delinquenti, quam ignoscere? Habemus itaque hic exemplum, quo probatur, quod jam dudum Stoicis vitio verterunt veteres, nempe eorum controversias magis in vocabulis hære, quam in rebus ipsis, adeoque non nisi *λογωμαχίας* esse.

§. 24.

- n. 1. Sed quid lata jam lege pœnali? an & tunc veniæ locus est? Resp. omnino, & quidem 1) ex illo principio: Nemo sibi ipsi potest legem dicere, quia nemo est sui ipsius superior. Ergo & princeps subditis quidem leges fert, non
autem

autem sibi, adeoque & a lege sua impunè & licite recedit.

Rem paullulum mitigat Grotius. Nam dicit, principem considerari posse, vel ut partem civitatis, vel ut repræsentantem totum civitatis corpus. Priore sensu illum legibus obligari, posteriori minime. Sed non opus est ea distinctione. Princeps qua pars civitatis non legibus obligatur: (cives enim ei leges præscribere nequeunt) sed pactis. Unde tenetur quidem legibus fundamentalibus, sed ea nihil aliud sunt, quam pacta. Quæ civitatem repræsentans est auctor legis. Lex vero non auctori præscribitur, sed subditis. Ergo & hos solos obligat.

1.) Idem inde probatur, quod legislator totam legem tollere potest. Jam si totam legis obligationem tollere potest, potest & eam pro parte tollere, id est adversus legem ignoscere. Hinc plane politice Augustinus: Imperatori licet revocare sententiam, & reum mortis absolvere, & ipsi ignoscere, quia non est subiectus legibus, quia habet in potestate leges ferre.

Sed tamen, facile largimur Grotio, id non temere, nec sine justa ratione fieri debere. Ratio est, 1.) quia, uti legem sine justa & idonea ratione non fert legislator, ita nec ab eadem sine justa & idonea ratione discedere potest. 2.) Quia sic vilesceret lex, & 3.) multi alii spe impunitatis peccarent.

§. 25.

Sed quænam sunt justæ causæ ignoscendæ

scendi? Grotius ea dividit in intrinsecas & extrinsecas.

Intrinsecæ dicuntur, quæ ex ipso delicto resultant: extrinsecæ, quæ ex aliis circumstantiis extra hoc factum emergunt.

Intrinseca causa est, cum si non injusta, tamen dura est poena ad factum comparata, adeoque hæc causa non differt ab æquitate, e. g. si Manlius filium supplicio capitali adficit, quod castris injussu patris egressus esset.

§. 26.

Extrinsecæ causæ plures sunt, 1) merita delinquentis, & 2) spes futurorum meritorum. Sic Davides veniam concessit Joabo, homicidæ, quia unus sæpe ejus rem restituerat, & spes in eo maxima erat, tanquam in viro fortissimo & belli perito. Addit Grotius 3) ignorantiam, sed ea potius causa intrinseca est: Hinc facilius ignoscit princeps adolescenti, quam seni. Meliore jure addimus 4) multitudinem peccantium, & periculum inde ad remp. redundaturum. Sic ignotum in Germanico bello rusticis plerisque, qui arma adversus principes corripuerant: quis enim agros coluisset? Sic Agesilaus ignovit parti exercitus ad hostes deficere volenti. 5) Si delictum quidem in se sit detestabile, sed causa tamen delinquendi saltem probabilis. Ita rusticis illis rebellibus & id utilitati fuit, quod a nobilibus & clericis fuissent immani tyrannide oppressi, & ad desperationem adacti.

§. 27.

Ferd. Vasquius; Jctus doctissimus statuit,

tuit, eam causam sufficere ad indulgentiam veniam, de qua legislator consultus dicat, sibi eum casum in mente non fuisse, quum legem ferret. Quæritur itaque, an recte ita sentiat?

Negat Grotius, & quidem recte. Nam Vasquius manifesto confundit jus dispensandi & æquitatem, inter quæ maxima est differentia. Nam 1) jus dispensandi pertinet ad legis applicationem, æquitas ad ejusdem interpretationem. 2) Dispensatio est voluntaria, est enim in arbitrio legislatoris, an dispensare velit nec ne. Æquitas est necessaria, & hinc illa denegari nemini potest. 3) Dispensare est principis vel LLroris solius. Æquitatem & iudex observare tenetur 4) Illa non trahitur ad omnes similes casus: hæc ad omnes omnino pertinet.

§. 28.

Sequitur jam III. pars capitis, quæ disquirit de æstimatione poenarum. Ea autem duplici nititur fundamento 1) merito, ob quod poena infligitur. Nam prout illud majus minusve est, catenus & poena intenditur vel remittitur, e. g. parricida plus poenæ subit, quam homicida. Homicida acrius punitur, quam qui aliam injuriam realem intulit. Hic major poena dignus, quam qui verbalem injuriam intulit, &c.

Ex quo sequitur axioma: Neminem ultra meritum plectendum, adeoque omnino peccaret imperans, qui simplici homicidæ infligeret poenam parricidii, ulneranti poenam

pœnam homicidii , convicianti pœnam vulnerantis .

Alterum fundamentum est 1) utilitas , cujus causa pœna infligitur , prout illa major minorve est , eatenus ut pœnæ acriores esse solent , quamvis in se delictum non sit horrendum . e. g. Desertor laqueo punitur , quum desertio non sit tantum delictum , ac furtum , homicidium , sed quia tamen est frequentius inter milites , & reip. inde maximum immineret periculum , si impune posset milites a signis diffugere : hinc omnino utilitas reip. postulat , ut majore supplicio adficiantur desertores . Jam de merito agemus .

§. 29.

n. 1. Meritum est quantitas moralis facti , cui pœna proposita est . Jam factum non est substantia physica , quæ proprie admittit quantitatem : sed tamen quum factum non possit concipi sine circumstantiis , eæ efficiunt , ut illud modo magis , modo minus vitiosum videatur . Imprimis autem ad tres respici solet circumstantias .

1) ad causas , quæ impulerant delinquentem . §. 29.

2) ad causas , quæ eundem retrahere debuissent . §. 30.

3) ad personam ipsam , quæ deliquit . §. 31.

Inter causas impellentes maxime detestanda est 1) **DOLUS** , sua protervis , malitia maxima . Unde & hic semper pœnam auget aut minuit , prout ipse major aut minor est . Hinc proxima causa sunt . **AFFECTUS** , qui aliquando parum a dolo differunt & hinc pœnam augent , aliquando excu-

excusant, vel saltim poenam minuunt. Unde distincte procedendum.

Nimirum affectus sunt vel læti vel tristes. Illi oriuntur ex representatione boni, & consistunt in appetitu, ut lætitia, spes, hi ex representatione mali, & consistunt in aversatione, ut ira, metus, tristitia.

Tristes affectus pterumque poenam minuunt, modo justa causa fuerit hunc effectum concipiendi. Sic si quis mortis, carceris, doloris, vitandi causa injuste quid fecerit, procul dubio excusabilior erit, quam is qui ex proæressi, nulla urgente causa peccavit.

Illustrat id quibusdam locis Demosthenis, Polybii, Aristotelis & Porphyrii. Nobis autem sufficiet Aristoteles, quia simul traditionem hujus juris tradit. Nimirum que magis actio est voluntaria, eo magis imputatur. At magis voluntaria est actio, que nulla urgente causa suscipitur, quam que urgente ira, metu, dolore admittitur, quia hoc casu homo sui minus compos est, quam priore. Ergo omnino etiam prior magis imputatur, quam posterior.

Hæc de affectibus tristibus. Jam sequuntur læti, qui poenam semper augment, quia hujusmodi actio semper est voluntaria, immo eo magis voluntaria, quo majorem voluptatem mens ex hac actione percipit.

Diximus autem affectus lætos oriri ex representatione boni, non veri quidem, sed adparentis. Jam vera bona adparentia nobis blandiuntur vel sub specie honesti, vel sub specie utilis, vel sub specie jucundi.

Si

Si sub specie honesti, tunc nascitur ambitio; si sub specie utilis, avaritia, si sub specie jucundi, voluptas, quos tres appetitus primarios conjungi videmus 1. Jo. II, 16. Hinc si quis e. g. ex mera voluptate & lascivia alteri fecerit injuriam, vel ex ambitione & lucri cupiditate, omnino poena eo majore dignus est, quo facilius lætis his affectibus resistere potuisset.

§. 30.

n. 1. Deinde II. respiciendum ad causas, quæ retrahere debuissent, tales sunt

1) Injustitia, cujus tanta est turpitudine, & tam abhorrens a societate humanæ naturæ, ut omnino vel ipsum nomen unumquemque a delictis abstertere deberet. Unde axioma: Quo major est injustitia, eo majorem meretur poenam.

Major autem injustitia æstimatur 1) ex damno inde emergente, an reip. universæ, an pluribus, an paucis vel uni, an magis minusve nocitum? 2) Ex perfectione delicti, an consummatum fuerit nec ne? 3) Ex objecto, in quo damnum datum, veluti an vitæ, an familiæ, an rebus nostris nocitum.

n. 2. Id quod illustrat Grotius doctrina decalogi, ubi putat, gradatim a vitiis gravioribus descendi ad leviora. Sic incipit Deus a delictis adversus se commissis, præceptis quatuor primis, deinde in quinto præcepto pergit ad superiores, parentes, magistratus, in sexto ad vitam hominis, in septimo ad familiam, id est matrimonium, in octavo & nono ad res hominis, postremo

mo præcepto sequuntur delicta inconsummata, concupiscentia.

II. Causa contrahens esse deberet PIETAS, qua hic intelligimus naturalem obligationem iis debitam, a quibus dependemus, vel qui a nobis dependent. e. g. officia erga parentes, liberos, conjugum inter se. Quo major ergo est impietas delinquentis, eo graviores pœnas meretur. Sic omnino gravius punitur, qui patrem, matrem, filium, quam qui alium hominem occidit.

III. Accedit tertia causa diuturna indulgentia. Ea deberet delinquentibus incitamento esse ad pœnitentiam. Unde ipse Deus tam diu connivet, ut homines ad resipiscentiam impellat. Quod si ergo homines id nolint, sed contumaciter delinquendo pergant, tunc pœnam duplo majorem merentur, partim ob nova, partim ob superiora delicta. Sic e. g. veteranus latro gravius plectitur, quam qui semel latrocinando infeliciter artem fecit.

Quæri hic solet, an & vita anterior emendata ad pœnam imminuendam faciat? Recte Grotius monet distinguendum, 1) an totum vitæ genus immutatum sit & homo non gradu, sed præcipiti cursu a virtute desciverit, & ad vitia transcurrerit. Tunc nihil ipsi prodesse potest vita antea acta: immo tanto excusabilior est, ut ipse Deus inculcat Ezech. XVIII, 24. an 2) a virtute non desciverit, sed tamen ex infirmitate & consternatione animi deliquerit? Tunc omnino ad pœnam mitigandam hæc circumstantia prodest.

§. 31.

2. 1. Postremo III. respiciendum, ad personam peccantem: quæ eo magis vel minus punienda, quo magis minusve apta fuit ad causas avercentes considerandas. Hinc Grotius respiciendum esse monet

1) Ad temperamentum corporis. Sic e. g. Melancholicus facilius evitabit adulteria quam sanguineus. Sed ad hoc vix respicitur in praxi, quia 1) raro iudices id accurate discernere possunt, & 2) nullum temperamentum est tam pravum, quin virtute superari emendarique possit.

2) Ad ætatem: hinc adolescentes excusabilius sunt, quam senes, quia hi facilius considerant rem, quam adolescens æstu juvenili abreptus.

3) Ad sexum, quia femina minus censetur prudens ac masculus.

4) Ad educationem: nam ea neglecta homines facile obbrutescunt. Sed & in his omnibus parum momenti est, si malitia ætatem suppleat, si femina ultra sexum sapiat, si delictum ita sit comparatum, ut & male educatus, modo homo sit, satis scire possit, id esse prohibitum.

2. 2. Et hic 5) ad affectus tristes ejusque causas respiciendum. Nam 1) affectus sunt admodum naturales, 2) ii cooriuntur ex representatione maxime repentina mali, adeoque prius homo accenditur, quam accendi se animadvertat. 3) Semel inflammatus nescit fere, quid agat, & 4) raro tunc rationis tantum superest, ut imperare affectui possit. Hinc e. g. si juvenis alioquin probus

voluptate excesserit, facile poena minuetur.

Cessat tamen hæc causa, si ætas affectus suppressisse debebat. Hinc ridiculi sunt senum amores, & hinc eo magis puniendi, ridicula est juvenum avaritia, quam facile vincere possent.

§. 32.

Quæstio jam porro oritur, an poena semper debeat delicto esse proportionata? Id est an plus puniri possit, quam damnum dedit peccans? e. g. fur simplum abstulit, jure Romano in duplum vel quadruplum condemnatur, apud nos rem aufert, & ideo amittit rem, famam, immo & vitam; an hoc iniquum? Id recte negat Grotius. Nam

1) Ipse Deus, legislator perfectissimus, furtum quadruplo & quintuplo punivit in lege Mosaica.

2) Non punitur tantum damnum datum, sed & reatus, id est animus & consilium peccandi.

3) Omnes gentes hujusmodi poenas probarunt, adeoque ex hypothese Grotii inde colligi potest, esse juris gentium. De Romanis & Hebræis jam vidimus. Apud Græcos lege Attica fur ultra dupli condemnationem etiam per dies aliquot vinctus habebatur.

Sic & Indi ultra rationem vulnerantem vel mutilantem manu truncabant. Alia exempla passim prostant. Nos jam observamus

1) Huic juri etiam locum esse in delictis non consummatis, si magnus sit dolor.

Exem-

Exempla sunt Deut. XIX, 19. XXII, 19.
Exod. XXII, 9.

2) Cessare hanc observationem, si supplicium sit capitale. Nam ultra mortem plus poenae exigi nequit. Hinc homicidae qui vitam eripuit, vita eripitur, nihilque poenae ultra irrogatur.

3) Possesse tamen & hic locum habere augmentum supplicii ratione qualitatis, si insignis dolus accesserit, vel crudelitas & malitia horrenda. Hinc inventa supplicia dirissima, dissectio in 4. partes, utulatio candentibus forcipibus facta, contusio, vel crucifragium, &c.

§. 33.

Sed jam contrariam sententiam refellit Auctor, qua statuunt, semper proportionem accurate servandam inter delictum & poenam, & quidem harmonicam, uti vocat Jo. BODINUS de rep. lib. 6. c. ult. Idque probant inde, 1) quia multa non eadem irrogatur diviti & pauperi, 2) quia ubi ignominia adficitur vir honoratus, saepe in vili persona ad poenam corporis adstrictivam pervenitur.

Sed resp. hic non respicitur ad proportionem inter delictum & poenam, sed ad proportionem inter poenam & vires personae puniendae. Nam poena debet esse malum passionis. Passio non omnium eadem ex eadem re. Ergo facile quidem concedimus Bodino, observandam esse proportionem inter poenam & personam puniendam, sed nos hic loquimur de portione inter poenam & delictum.

§. 34.

§. 34.

Quæritur etiam, an non charitas suadeat poenam remittere delinquenti? Sed id merito negatur. Nam 1) charitas sine justitia injusta est, 2) charitas major vincere debet minorem. Atqui reip. & humano generi hanc charitatem debemus, ut curæ nobis sit ejus securitas, quæ sine poenis nulla foret. 3) Sæpe charitas delinquenti hoc modo exhibita ipsi potius damno quam utilitati foret. Eo pertinet historia Francisci I. Reg. Gall. qui quum comiti bis poenam homicidii remisisset, & jam tertium in idem delictum prolapsus capitis damnasset, reus dicebat, se supplicium tantum subire ob primum homicidium, ob duo reliqua supplicium jure ferre regem, qui si primum se capitis damnasset, reliqua illa delicta committi non potuisse.

§. 35.

Quæritur porro, an ob facilitatem peccandi poena possit augeri? Resp. omnino. 1) Finis enim poenarum est non modo emendatio & satisfactio, sed & exemplum ut alii deterreantur a delicto. Atqui eo magis deterrendi sunt homines, quo facilius possent delictum committere. 2) Ipse Deus hoc observavit in lege Hebræa Exod. XXII, 1. 9. Hinc gravissime punitur furtum equorum, armentorum, aratri, &c.

§. 36.

Proxima quæstio est, an ex clementia poenæ possint imminui? Et id nemo negaverit. Quum enim ex clementia poenæ

Hein. de Jure Belli, &c. Dd pla-

plane tolli queant, ut supra demonstratum, quidni & imminui?

Immo hoc facilius licet, quam prius non nisi ob causas urgentissimas fieri posse dixerimus. Nam interest reip. ut delicta puniantur, & hinc non modo facilis esse potest Princeps ad pœnas plane remittendas. Sed non interest reip. ut pœnæ cum maximo dolore delinquentium, conjunctæ sint. Quid enim utilitatis inde perveniet ad remp. si capitis damnatus non nisi tarde & inter mille cruciatus moriatur?

Hinc omnes laudant hanc clementiam, quæ in pœnarum mitigatione consistit. Meditatur magnus Germaniæ Jctus, Jo. PATRUS a LUDEWIG, Consiliarius Regis Intimus & Cancellarius Academ. Hallens. tractatum *de truculentia jurisprudentiæ criminalis*: Ubi ostendet, magis judices plerisque excessu, quam defectu, peccare.

§. 37.

Obsignat hanc tertiam partem Grotius variis observationibus, quas Hebræi & Romani inculcant: Sed addit, omnes has observationes se jam ad loca sua retulisse. Adeoque non opus est, ut his diutius immoremur.

§. 38.

Progredimur potius ad partem IV. & ultimam, ubi agitur de bello pœnæ causa suscepto. Existimat enim Grotius, gentem adversus gentem posse bellum suscipere, pœnæ causa, si quod delictum paullo gravius admisisset. Sic e.g. notum est, Gallos Protestantes crudeliter vexasse, & expulisse patria.

tria. Si quaestio oboriretur, an ideo reliqui Protestantes potuerint salvo jure bellum indicere Gallis, Grotius ex principiis suis respondisset, posse. Videbimus ergo rationes.

1) Quia historiae passim doceant, bella poenae causa suscepta. Sed resp. historiae docent, quod factum sit, non quod fieri debuerit.

2) Quia delicta gentium plerumque cum damno conjuncta sint vicinorum. Resp. tunc potest bellum geri ad damnum reparandum non in poenam. Ergo tunc est fallacia non causa ut causa.

Addit tamen Grotius cautionem, non esse bellum gerendum ob quaelibet, etiam minima delicta, sed ob gravissima tantum.

Nos autem existimamus cum recentioribus omnibus, bella plane suscipi non posse poenae causa. Nam 1) ut supra demonstravimus, poena semper infligitur a superiore, gens autem ratione gentis non est superior. 2) Pugnat hoc principium Grotii cum saniore politica. Omnis resp. est independens (souverain) ergo est *unus dominus*, id est, nemini tenetur factorum suorum rationem reddere, nisi quatenus alterius intersit. Atqui si possent externae resp. poenam repetere ob quodcumque gravius delictum, tunc non esset resp. *unus dominus*, adeoque nec independens, id quod absurdum. Praeclare haec argumenta exposuit & firmavit clar. BODINUS in *Annalis J. M. & G.* dissertatione de *expeditionibus cruciatis*, quae hic omnino conferenda.

Hinc facile patet, quid de quaestionibus

reliquis omnibus sentiendum sit, quas Grotius movet? Omnes sunt frustraneæ. Eas tamen paucis expendemus.

S. 39.

n. 1. **Quærit I.** An & ob delictum inchoatum, nec adhuc consummatum possit bellum suscipi? Nos sine ambagibus respondemus, non posse, quum ne quidem ob consummatum delictum licitum sit bellum.

Ast Grotius hoc aliquando concedit 1) voluntas modo ad externos actus processerit, possit puniri, e. g. si homicidium quis decrevit, & sclopetum explosit, nec tamen effectus sequutus est 2) Quia leges & consilia peccandi vindicent, 3) quia Romani Perseo bellum inferre decreverint, quia bellum pararet adversus Romanos.

Sed hæc nihili sunt. Nam 1) voluntas si ad actus externos processerit, punitur, sed a superiore, non ab æquali, 2) leges consilia vindicant, scilicet civiles, quæ gentes non obligant. 3) Romani bellum inferrebant Perseo non in pœnam, sed defensionis causa. Quis enim primum expectaret ictum, si videat, alterum in eo esse, ut nobis ictum infligat.

n. 2. 3. 4. **Concedit tamen Grotius non nisi graviora delicta inchoata locum pœnæ facere,** 1) quia in rep. ne omnia quidem consummata delicta puniantur, 2) quia lex Hebræa non nisi graviora delicta consummata puniat. Unde n. 4. concludit, non punienda esse delicta inchoata, nisi sint graviora, & jam eo processum, ut malum proxime immineat.

Sed

Sed quid opus erit cautione hac, ubi nondum demonstratum est, bellum poenæ causa posse suscipi?

§. 40.

Quærit 2) an bellum geri tantum possit ob delicta adversus rep. vel subditos nostros commissa, an ob alia quæcumque crimina? e. g. subditos proprios ob religionem persequendo, quod fecit Ludovicus XIV. Rex Galliarum.

Grotius utrumque concedit, & quidem ob has rationes plane futes, 1) quod imperantibus jus puniendi datum sit, non qua imperant, sed qua nemini parent. 2) Quod honestius sit aliorum, quam suas vindicare injurias.

Sed resp. 1) arg. falsum esse. A nemine enim imperantibus data est facultas puniendi, quam a rep. cui præsumunt, & quæ voluntatem suam in omnibus submitit imperanti. Ergo puniunt, quatenus imperant, nec aliis poenam infligere possunt, quam qui suam voluntatem voluntati eorum submitserunt.

2) Honestius est aliorum, quam suas vindicare injurias modo legitimo. Bellum autem poenæ causa susceptum modum legitimum esse, nondum demonstratum.

Ergo fatemur ob delicta adversus rep. vel subditos nostros admissa bella geri posse: Sed tunc non geruntur poenæ, verum potius luendi juris nostri causa. Negamus autem suscipi posse bellum ob alia delicta quæcumque.

Nec majoris momenti est arg. 3. quod n. 2,

Dd 3 ab

ab omnibus vetustis scriptoribus laudetur Hercules, qui orbem armis victricibus peragravit, ut eum a tyrannis liberaret, Antæo, Basilide, Diomede & similibus.

Resp. 1) factum ipsum est fabula. 2) Si verum illud ponamus, multa laudant veteres, quæ laudem non merentur, Quis veterum non laudavit factum Ulyssis Trojam contra fidem datam equo ligneo occupantis? Et tamen hæc inexcusabilis est perfidia.

3) Hercules non fuit Rex, non imperans, sed privatus, adeoque ne bellandi quidem jus habuit. Ergo ejus bella non magis laudanda, quam latronum, etsi per accidens etiam tyrannos aliquot oppresserit.

n. 3. 4) Per species quædam thesin suam illustrat Grotius, & ostendit recte bellum suscipi adversus eos, qui in parentes injusti sunt, in antropophagos, in piratas, etiam si nos non oppugnent. Hos enim esse belluis similes, idque illustrat testimoniis Aristotelis & Isocratis.

Sed resp. 1) Impietas in parentes delictum est, sed quod exteram rep. non magis tangit, quam adulteria aliaque delicta in aliena rep. admitta. Non possunt nobis hujusmodi homines vitio vertere, si ab eorum communione & societate abhorreamus. Sed ideo non possumus nobis jus puniendi sumere in aliena rep. 2) antropophagia est inhumanum quid, sed recte distinguit Puffend. num cadavera devorent, an hospites ad se adventantes. Si prius, nostra resp. inde non magis læditur, quam si devorent serpentes. De gestibus non est disputandum.

Siq

Sin hospites ad se profectos devorant, tunc bello illos persequimur oblationem, dum violarunt securitatem publicam. 3) Piratarum non sunt societates liberae, adeoque nec adversus illos proprie bellum geritur, sed quaeruntur ad supplicium, tanquam delinquentes privati, & quidem tales, qui vagi & fugitivi sunt; adeoque ab unaquaque rep. rapi possunt ad supplicium.

Denique 5) & doctrinam Innocentii PP. n. 4. probat, qui putat bello in poenam peti posse, qui in naturam delinquant c. quod super his X. de vot.

Sed 1) nonnulli Canonistae & Pontificii Scriptores, ut Victoria, Vasquius, Azorius, Molina contrariam opinionem tenent. 2) Inde sequitur id absurdum, ut ob omnia delicta decalogo verita possit bellum suscipi, quia omnia illa contra naturam sunt. Sic e. g. semper contra quosdam populos licebit bellum gerere, quia in eo Regno libidines nefandae admodum sunt frequentes, semper justum erit bellum contra alios, quia homicidia, & furta sunt frequentissima, & fere impune committuntur.

§. 41.

Jam cautiones quasdam subnectit Grotius, circa hujusmodi bella observandas. I. ne mores sumantur pro jure nat. adeoque non statim pro delictis contra naturam admissis accipiantur, quae tantum moribus plurimarum gentium repugnant. Hinc absurdum esset, bellum indici Tartaris, quod carne cruda vescantur, Indis, quod comburant cadavera &c. Cautio vera est,

Dd 4 sed

sed frustranea, quia ne ob vera quidem delicta licitum esse bellum agnoscimus, nisi nos istis delictis simus læsi.

§. 42.

II. Ne pro delictis habeamus, quæ magis sunt contra jus positivum divinum, quam contra naturale. Immo nec ea, de quibus adhuc lis est, an sint juri nat. contraria. Hinc absurdum esse fatetur, si quis Januensibus bellum inferat ob scœnebre malum, quod in ea rep. grassatur, Turcis ob polygamiam, &c.

Sed hæc quoque cautela frustranea, quia nec justum esset bellum, si delicta hæc juri nat. contraria esse concederentur.

§. 43.

n. 1. III. In ipso jure nat. discernenda esse manifesta a non manifestis. Nam

1) Aliqua ipsa sua natura sunt difficilioris indaginis, e. g. 1) quæ ex honesto fluunt & decore, quia supponenda hic principia physica & moralia, 2) quæ ad officia hypothetica pertinent, quia hic supponenda principia polita de natura domini, pretii, reipublicæ.

n. 2. 3. 2) Alia juris nat. officia difficilia sunt certis personis ob ruditatem, educationis defectus, e. g. barbaris.

Cum his mitius agendum putat Grotius, ita ut non statim ob neglecta officia J. N. minus manifesta homines rudes & barbari bello opprimi possint. Sed denuo cautela superflua, quia Grotius non probavit, vel
ob

ob manifestissima debita bellum jure suscipi posse.

S. 44.

Redit ad quæstiones, quarum 3) est, ^{n. 1.} an & ob delicta adversus Deum admitta, bello locus sit? Hic Covarruvias negativam recte defendit. Et Grotius contra primo refutare conatur Covarruviz argumenta. Deinde & suam sententiam proponere nititur.

1) Covarruvias dixerat, punitivam potestatem non esse sine jurisdictione. Sed resp. Grotius, hanc se sententiam jam antea rejecisse. Nos replicamus, rejecisse Grotium hanc sententiam, sed injuria, uti per totum caput demonstravimus.

2) Dixerat Covarruvias Principem tantum ἐπιστολήν accepisse in subditorum actiones, non in extraneorum. Resp. Grotius, id falsum esse. Quemadmodum enim Episcopi omnes universalis Ecclesiæ curam susceperint, ita & principibus singulis generalem pro humana societate curam incumbere. Nos replicamus. Aut concedit ergo Grotius, singulos Episcopos in universalem Ecclesiam habere potestatem directivam & punitivam, tunc habebimus plus, quam papatum: aut dicit Episcopis tantum jus curandi Ecclesiæ universalis salutem non directivam & punitivam potestatem competere. Et tunc simile quid etiam concedere debet de principibus, quod cura ipsi incumbat pro societate humana, sed non tamen ideo polleant potestate privativa extra temp. suam.

Dd 5

3) Dix.

n. 2.

3) Dix. Covarruvias, Deum sufficere vindicandis, quæ adversus se commissa sint. Resp. Grotius. Sufficere Deum etiam vindicandis injuriis adversus homines commissis. Et tamen neminem negare, has injurias esse puniendas. Nos replicamus. Distinguendos esse hos casus. Injuria hominibus illata non soli vindictæ divinæ relinqui potest, quia turbat societatem humanam. At delicta adversus Deum commissa, non semper turbant societatem humanam.

n. 3.

Objicit Grotius, religionem non solum considerari posse ut medium conciliandi sibi divinam gratiam, verum etiam, tanquam vinculum reip. Ergo delicta adversus Deum commissa sæpe turbare temp. Resp. Tunc aut turbant temp. exteram, & sic nostra non interest, nisi scedere illi reip. obstructi sumus. Aut turbatur resp. nostra, tunc poenæ locus est, quia adversus temp. nostram admissum est delictum.

n. 4. 5. 6.

Objicit porro religionem non solum esse vinculum reip. sed & totius societatis humanæ, adeoque & ob delicta adversus Deum commissa posse bellum geri adversus extraneos. Sed 1) religio est sententia in intellectu consistens. Intellectus non peccat, sed errat. Error non poenam, sed commiserationem meretur, non gladio, sed argumentis expugnatur.

2) Homines non semper vivunt secundum principia intellectus, sed secundum propensiones voluntatis. Hinc multi Christiani pessimis; multi alibi honestis moribus

bus præditi sunt. In rep. autem & societate humana sufficit, externa addit honestas & justitia.

S. 45.

Jam ergo hac occasione de religione generatim agit Grotius, & quidem de naturali, & omnibus hominibus communi, quam quatuor veluti articulis theoreticis constare censet:

I. Esse Deum, & quidem unum.

II. Deum non esse rem quamdam similem creaturis, sed ens aliquod sublimius, id est ens infinitum & perfectissimum.

III. A Deo curari res humanas. Nam alias perinde est, sive quis Deum neget, sive eundem otiosum esse fingat. Unde & Epicurus plerisque visus est Atheus, quia Deum sibi otiosum imaginatus est.

IV. Eundem Deum esse opificem hujus universi. Nam alias nullum esset principium dependentiæ, ex quo ad cultum & obsequium Deo præstandum obligaremur.

Eleganter observat Grotius, quatuor ista religionis naturalis capita totidem decalogi præceptis inculcari. n. 2.

1) Unitas Dei præcepto primo: *Non habebis Deos alienos præter me.*

2) Ejus natura inconspicua præcepto 2. *Ne facias tibi imaginem &c.*

3) Ejus providentiæ præcepto. 3. *Ne sumas nomen Dei in vanum.* Id frustra esset, nisi Deus curaret humana.

4) Creatio denique fundamentum est institutionis sabbathi.

n. 3. Hi sunt articuli religionis naturalis theoretici. Practici sunt, qui ex superioribus fluunt.

1) Si Deus est unus: sane ille honorandus est, Honorare enim est objecto tribuere prærogativam. Summam autem prærogativam meretur quod unum est, & sibi par nihil habet.

2) Si Deus est ens perfectissimum: erit sane amandus. Amor enim est appetitus, qui fertur in bonum. In quem ergo magis feratur, quam in bonum summum & perfectissimum?

3) Si curat res humanas: & timendus & in eo collocanda fiducia. Nam tunc & scit actiones nostras, ergo & non parcat peccatis. Scit calamitates piorum, ergo & preces eorum audiet. Prius timorem, posterior fiduciam excitabit.

4) Si Deus condidit universa: ab ipso dependemus. Ergo est superior noster, ergo jure nobis præscribit leges, adeoque & eidem merito obtemperamus.

n. 4. Hæc omnia ipsa recta ratio cognoscit, 1) inde, quia omnia in mundo sunt contingentia, nihil necessarium. Quod est contingens, non necessarium, illud extra se habet causam cur sit: E. extra mundum debet esse causa, cur sit. Illa causa quum nulla re determinetur, non potest non esse infinita, quumque omnia ad certum finem fecerit, intelligens, adeoque perfectissima. Ens infinitum, perfectissimum, intelligens est Deus. E. Deus est.

2) Addit Grotius argumentum a *omnibus* seu

seu communi omnium gentium persuasione desumptum : quia nulla sit gens tam barbara , quæ non Deum esse fateatur . Sed hoc argumentum non adeo firmum est . Nam & nulla fere gens olim fuit , quin crediderit plures Deos , & tamen is error fuit . Ergo hoc argumentum tantum adminiculans est .

§. 46.

Jam his præmissis querit , an propter religionem hanc violatam poena possit irrogari ? Distinguit Grotius inter notiones ipsas de Deo , & modum ab iis discedendi .

1) Notiones ipsæ vel clariores sunt vel evidentes , vel paullo obscuriores . Clariores sunt illæ de Dei existentia & providentia . Nam 1) has omnes etiam hebetiores agnoscunt , modo cogitare velint , quod existant , & cur existant ? 2) quia sunt principia omnis religionis , adeo ut sine his ne concipi quidem religio possit . 3) quia consentiunt philosophi , has notiones non posse a religione secludi .

4) Quia omnes gentes has veritates agnoverunt . Et hinc plura loca colligit veterum , qui has veritates & inde fluentem cultum divinum ad jus gentium retulerunt . Vid. L. 2. ff. de just. & jur.

II. Modus discedendi ita differt , ut alii primi has notiones deferant , & hujusmodi doctrinas tollant , alii eo errore abrepti postea in atheismo perseverent . Qui ergo primi has rationes clarissimas tollunt , illos puniri posse existimat .

1) Quia

1) Quia in culpa sint, dum ad veritatem evidentissimam cœcutiant,

2) quia societatem humanam violentè dum ejus vinculum tollant.

Sed in eo manifeste errat Grotius. Omnis pœna ponit delictum, omne delictum in voluntate, non in intellectu querendum: error, qui in intellectu tantum est pœnam in se non meretur, ut si quis cæcus non videt, non punitur.

§. 47.

Quod ad reliquas notiones de religione attinet: Illæ non æque claræ sunt ac istæ duæ. Quod inde videmus 1) quod plures populi qui Deum existere crediderunt, tamen plures Deos statuerunt. 2) Quod & sapientissimi philosophi pagani mundum sibi finxerint æternum. 3) quod Epicurus & alii providentiam negarint.

Hos ergo errores non statim pœnam mereri inde probat. 1) quod & sine illis quodammodo consistere possit religio. 2) Quia lex divina non omnes gentiles & idololatrias puniri jussit, sed tantum reductores. Deut. XIII. 16. Apostatas. Deut. XII, 23. 3) antropothyas, id est, qui sacrificia humana offerebant. Lev. XX, 2.

Objici possent Cananzi populi, quos ob idololatriam Deus funditus extirpari jussit. Sed respondet Grotius, 1) id factum esse ob imensa scelera, quibus idololatriam cumularint 2) non nisi post spatium pœnitentiæ longissimum concessum. Ego respondere malim, a facultate puniendi Deo competente non procedere

ar-

argumentum ad jus puniendi hominibus competens, de quo hic agitur. Deus omniscius est, & mentes hominum perspicit. Tale quid non sibi arrogabunt homines.

Deinde ut existimabat Grotius puniri posse, qui primæ religionis fundamenta tollunt: ita contra negat puniendos, qui ex ignorantia majores sequantur. Quod facile concedimus. Exceptionem tamen duplicem addit, dignos pœna esse

- 1) qui diabolos & vitia adorant,
- 2) qui sacrificiis humanis utuntur.

Et id concedo, nisi quod quoad cultum cacodæmonum vix credibile est ullum mortalem fore tam stupidum, ut eos adoret, si sciat esse cacodæmones. Unde plerumque gentiles eos potius pro Diis bonis habuerunt.

Hæstenus ergo cum Grotio facimus. Hi puniri possunt, sed a quo? a magistratu. Si quis vero ideo bellum indicere vellet genti: vix esset excusandus. Potius convertendi erunt. Nec laudandus Carolus M. qui Saxonibus bellum intulit.

§. 48.

Et hoc ipse Grotius recte agnoscit h. §. n. 2.
ubi querit, an bellum inferre fas sit iis populis, qui nolint suscipere religionem Christianam? Negat.

1) quia religio persuaderi non potest naturalibus argumentis. Possum quidem persuadere ethnico, Deum existere, Deum unum esse, & alia hujus generis capita
rel-

religionis naturalis : sed Christum esse filium Dei, eum mortuum pro peccatis hominum, resurrexisse, adscendisse in Cœlos, non est objectum demonstrationis, verum fidei. Fides vero est opus Dei. Ergo nemini irascendum, qui exors est divini istius doni.

n. 2. 2) Quia naturæ doctrinæ Christianæ repugnat coactio : Neminem Christus voluit vi & pœnis ad credendum adigi. Rom. VIII, 15. ubi exigit filialem, non fervilem spiritum. Jo. VI, 6. ubi Christus quærit : *an & vos vultis a me discere*. Luc. IX, 54. ubi increpat discipulos ignem cœlo devocaturus.

3) Quia hoc & patres agnoverint, Tertullianus, Athanasius, Chrysostomus : immo & Concilium Toleranum, cujus canon num. 1. hujus §. adducitur. Ubi tamen notanda Augustini fluctuatio, qui quum & ipse antea sanam doctrinam de non persequendis hæreticis & infidelibus defenderet : postea, quum Donatistas hostes habere cœpisset, in contraria cucurrit.

n. 3. Object solet a Pontificiis locus Luc. XIV, 29. *cogite intrare*. Sed 1) vox hæc in Evangelio sæpe notat instantiam rogantis, non coactionem violentam. 2) Ex contextu adparet, hanc solam significationem locum habere. Nam sermo est de convivio nuptiali, quis ad illud cogitur vi?

§. 49.

n. 1. 2. - Alia est quæstio, an bellum inferri possit gen-

gentibus Christianam religionem injuste persequentibus? Id adfirmat.

Quia in Christiana religione nihil est, quod repugnet statui sociali & civili, immo hæc doctrina & sancta est, & in moralibus rationi convenientior, quam omnes reliquæ religiones. Persequi veritatem delictum est. E. in pœnam potest bello vindicari.

Sed rem concedo. Rationem Grotii rejicio. Tunc enim caussa belli hujusmodi non est delictum, sed defensio.

§. 50.

Denique quæritur, an pœnam mereantur, qui in Deos suos licet falsos sunt irreverentes? 2. 1. 2.

Adfirmat Grotius, quia quantum in ipsis est, verum Deum offendunt, qualem esse putant Deos falsos suos. Unde æque pœna dignus, qui per falsos, quam, qui per verum Deum pejeravit, quemadmodum æque regicida est; qui pro rege, quem occidere voluit, summum ejus ministrum trucidavit, adeoque in persona erravit. Rem jam supra explicavimus, ubi de jurjurando & perjuriis actum.

C A P U T XXI.

De Communicatione pœnarum.

§. 1.

Hic primo omnium quæritur, quid sit pœnæ communicatio? Est actus justitiae,

tie, quo poena non solum delinquentes principales, sed & alios sequitur. Et hi iterum duorum generum sunt. Vel enim puniuntur qui delicti sunt participes, de quibus §. 1, 8. vel qui extra reatum sunt, §. 9. ad fin. Sed quum poena sit malum passionis ob malum actionis inflictum a superiore: consequens sane est, ut poena non possit infligi nisi iis, qui delicti sunt participes. Quare rectius dixeris: In communicatione poenarum vel ipsam poenam communicari si plures sint delicti participes, vel tantum damnum ex ista poena resultans. e. g. Si quis percussorem aere conduxit, uterque reus est, & hinc proprie punitur, si vero utrique sunt uxores & liberi, hi simul damnum ex isto maritorum & parentum supplicio sentiant, sed proprie non puniuntur, tanquam innocentes.

- n. 2. I. Jam quod ad priorem partem attinet, Auctor præmittit regulam: Poenas dat non solum causa delicti physica, e. g. percussor, sed & causa moralis, e. g. qui cum aere conduxit.

Causa physica est, quæ actu physico & corporali delictum perpetravit.

Causa moralis, quæ animo vel consensu concurret, e. g. jussu, consensum requisitum adhibendo, adjuvando, receptum dando &c. æque poenam ideo meretur, quia in imputatione facti tantum dispicitur, an quis sit actionis auctor. Auctor aliquis est non modo corpore sed & animo, quia quod quisque per alium fecit, illud ipse fecisse videtur.

Atta-

Attamen hic probe dispiciendum, 1) an vere sine ejus concursu actio non foret suscepta. Hinc non statim, qui laudavit, puniendus est.

2) An nudum & generale consilium datum, an jussus vel consilium speciales accesserit. Prius enim consilium non est obligatorium.

3) An si quis ob delictum non prohibitum punitur, perfecta adfuerit prohibendi vel impediendi obligatio. Hinc poena furti particeps non est, qui in vicinia furtum fieri vidit, nec prohibuit, quamvis ejusmodi vicinus sit inhumanus.

§. 2.

Hæc jam Grotius applicat ad questionem nobilissimam, an ob delictum privatorum communitas tota, vel ejusdem rectoris teneatur? n. 1.

Id negatur in thesi, 1) quia poena tenet suos auctores, non innocentes. 2) Quia unus vel alter civis non est tota civitas. 3) Quia nulla est civitas vel respublica, quæ ex meritis probis & virtute ornatis civibus constet, adeoque rectores civitatum tantam probitatem suorum civium præstare nequeunt.

Quare potius distinguendum, civitasne deliquerit, an cives? Priore tantum casu poena adficitur civitas ejusque rector, non posteriore. Quæritur autem, quando civitas deliquisse dicenda sit?

Resp. id fieri *pauca & recepta*. Hinc n. 2. 3.
1) requiritur patientia. Ea autem intelligi non potest

1) Si-

1) Sine scientia. Ergo prima regula est, qui magistratus scit, cives delictum meditari, idque non prohibet, iste ipse delinquit, adeoque & poenam meretur. Hinc Cicero Pisonem seditionis arguit, quod quum consul esset, sciret tribunos plebis turbas dare, iisque non resisteret.

Id non modo variis veterum testimoniis probat Grotius, sed & a pari, quia & jure privato pater ex delicto filii, dominus e delicto servi tenetur, si uterque sciverit hos delinquere, nec prohibuerit. Quanto magis tenebuntur rectores civitatis, quibus plus auctoritatis est & potentiae ad delicta civium coercenda?

2) Requiritur in rectoribus facultas prohibendi. Hinc non semper rectoribus civitatum delicta civium possunt imputari, si ipsis defuerit impediendi facultas. Nam alioquin nulla culpa esset in rectoribus, adeoque nec poena in eos caderet. Destitui autem hos saepe facultate prohibendi certissimum est. Casus sunt varii.

1) Si ut Tacitus ait delicto impar sit respublica. Sic e. g. Russiae Imp. quamvis severus, quamvis potentissimus, non tamen potuit per regnum suum tollere latrocinia. Injuriam itaque ei fecissent exteri, si ob homines suos in viis spoliatos bellum ipsi intulissent.

2) Si res per tumultum repentinum acta. Tunc plebs semel in furorem acta, nec rectorum civitatis, nec aliorum sana monita admittit, adeoque & poena non habet locum.

Hinc

Hinc facile patet, quomodo intelligenda sint illa? Sæpe luit populus poenas unius iniqui. Nempe 1) si unus aliquid egit consilio publico, 2) si reliqui sciverunt, & cum possent, non prohibuerunt, 3) si re peracta non puniunt. n. 5.

Hinc etiam liquet, an præsumatur scientia & puniendi facultas? Id ex circumstantiis judicandum. Scilicet considerandum, 1) an delictum fuerit diuturnum, an momentaneum, 2) utrum per tumultum repentinum, an a paucis susceptum, 3) utrum milites atque instrumenta resistendi in promptu fuerint nec ne. 4) An rectores civitatis indignationem suam prodiderint resistendo, dehortando, minando, puniendo, nec ne. n. 6.

§. 3.

Deinde 2) & receptu dato civitatum rectores delicti sunt participes. Hinc si illi piratis in portibus suis receptum dant nec eos puniunt, perinde est, ac si piraticam agerent: quia sic fiunt causa delicti moralis. n. 10.

Objici posset, 1) unumquemque civitatis rectorem posse veniam delinquentibus dare, pœnamque remittere. Hinc qui jure suo utitur, nemini facere injuriam. Ergo nec magistratui quidquam posse imputari, qui piratis receptum dederit, dummodo non jusserit delictum fieri.

Sed resp. distinguendum esse inter delicta in rep. & adversus extraneam rempub. vel adversus superiorem admitta. Priora casu n. 2.

casu si rectores civitatis jus aggratiandi exercent, jure suo utuntur, adeoque & homini faciunt injuriam.

Ast posteriore casu extraneæ reip. vel superiori jus questum est, jus nimirum satisfactionem pro damno dato, delictive perpetrato exigendi. Id vero ipsis invicis auferri nequit. Et hinc si auferunt, omnino delicti admissi ipsi sunt participes.

§. 4.

- n. 1. Hinc porro facile deciditur questio, ad quid reip. extraneæ obligentur rectores civitatis, si cives eorum adversus externos deliquerint?

Resp. Exteri, qui dampnum patiuntur, ipsi possunt punire cives nostros in suo territorio peccantes, si ibi deprehenduntur, quia delinquendo fiunt cives temporarii.

Si in remp. nostram se contulerunt; tunc non possunt actum jurisdictionis exercere exteri in territorio nostro; nec id sine confusione summa fieri poterit. Hinc ergo sequitur, ut aut ipsi debeamus supplicium sumere, aut reos dedere exteris.

- n. 2. Deditionem hanc esse juris gentium, variis exemplis demonstrat Grotius, veluti Israelitarum Jud. XX. Philistarum, Jud. XV. Lacedæmoniorum, Romanorum &c. Sed nihil opus est ista inductione. Nam potest ex ipsis principiis J. N. demonstrari. Extraneæ reip. quæ in nos deliquit, debemus satisfactionem, vel poenam ab his hominibus repetendam, qui deliquerunt.

Pœna

Pœna illis infligitur vel per nos vel per ipsos, qui læsi sunt. Si per nos, debemus punire: si per læsos, debemus dedere.

Quæritur autem, quem penes sit optio? n. 3. 4. 5.
Et recte respondet Grotius, penes rectores vel superiores delinquentium, qui si ipsi pœna iusta adficiunt delinquentes, nihil ultra exigere possunt exteri. Accedit & alia ratio, quia periculum est, ne exteri iræ & vindictæ in fontes plus iusto indulgeant, & hinc nimis crudeliter consulant in eos.

Nonnunquam tamen ultro resp. externa civitati optionem concedit, ut eo cumulatius satisfiat. Id enim fieri posse, nemo dubitat, quia ex ipsis rectæ rationis principiis quisque potest juri in favorem sui introducto libere renunciare. Exemplum Cæritum est apud Liv. lib. 7.

Quæritur porro, an obstricti simus ad dedendos etiam externos, qui ad nos confugerunt? Quæstio hæc sæpe orta, veluti quum ex Anglia quidam Regis hostes ad Gallos & Hispanos confugerent, item quum ex Administratoribus pecuniæ publicæ, peculatus rei in Belgium Austriacum discessissent. n. 6. 7. 8.

Sed responsio facilis. Distinguendum an apud nos hostilia meditentur adversus patriam: & tunc aut dedendi, aut ipsi itidem pro hostibus jure habemur: an quiete vivant: tunc non dedendi quidem sunt, quia se semel fidei nostræ commiserunt, sed tamen patriæ eorum administranda iustitia,

Civitas, si hos homines accusare coram fore nostro velint.

Ratio diversitatis est : quia isti fugitivi, dum in rep. nostram se contulerunt, statim fiunt cives nostri. Ergo aut ante istam fugam peccarunt, aut dum apud nos latent. Si antea, tunc tanquam cives nostri puniendi; si postea apud nos hostilia moliantur, tradendi, per ea, quae ad n. 2. hujus §. monuimus.

Denique quaeritur, an a sua civitate dediti & non recepti cives maneat? Quaestio haec mota, quum Mancius Numantinis deditus & non receptus postea in senatum veniret, & dicturus esset sententiam. Hinc nata controversia inter JCtos de qua L. vna ff. de legat. P. Mucius Scaevola eum civem negabat, Brutus & Cicero contrariam defendunt sententiam. Ille utebatur argumento, quod semel expulsus e civitate non magis civis sit quam exsul: hi contra, quod deditio sine acceptione nulla sit.

Grotius noster cum Cicerone & Bruto facit, sed ejus tamen rationem rejicit, quia deditio non aequae ac donatio sit actus bilateralis. Hinc hoc argumento mavult uti. Qui dedit populo alteri, potestatem concedit puniendi. Si populus ea potestate non utitur, tunc ipse populus dedens arbitrium habet puniendi aut non puniendi. Atqui non punivit, si nullum ea de re existit decretum vel sententia condemnatoria. Ergo nec civitatem amisit Mancius, quia civitas non ipso jure sed per decretum populi amittitur.

Nos

Nos putamus & Grotii & Ciceronis rationes satis firmas esse & solidas. Nam quod ad hujus argumentum attinet, certissimum est deditioem æque actum bilateralem esse, ac donationem, adeoque nec ipsum sine acceptatione intelligi.

6. 5.

Nova jam quæstio nascitur: An non reus defendat jus asyli & refugii? Talia sane asyla hodiernum sunt apud Pontificios Ecclesiæ & Monasteria: Apud Hebræos certæ urbes. Romæ quoque Romulus, jus asyli constituerat ad civibus locupletandam remp.

n. 1.

Recte resp. Grotius hæc asyla injustissima esse, nisi certis circumscribantur limitibus. Primaria ergo regula est: Asyla non constituuntur pro fontibus, sed pro infortunatis. Id tale præbat Grotius 1) testimoniis veterum Græcorum, qui hunc finem eleganter expresserunt: Ubi præcipue legi merentur verba Gylippi apud Diodor. Sic. lib. 13.

2) Exemplo Atheniensium, qui quidem asylum constituerant aram misericordiæ, sed non nisi miseris, victis bello, exsulibus, persecutionem & injuriam passis, quibus ipsa humanitas jubet auxilium ferri.

n. 2.

3) Praxi gentium veterum, qui maleficos ab ipsis aris abstractos punire non dubitabant. Non pauca eam in rem exempla cumulat Grotius ex Auctoribus Græcis: quibus addi possunt illa sacra. Salomon Adoniam & Joabum aram amplectentes occidit. Asyla quidem quædam constituerat Deus in gente Israelitica, sed

n. 3.

Hier. de Jure Belli, &c. Ec non

non nisi iis, qui plane innocentes erant, & homicidium e. g. casuale commiserant, ut tuti essent a vindice sanguinis, id est a proximo agnato, cui jus erat vindicandi eadem agnati sui.

n. 4. 5.

Jam facile patet, quid factu opus sit, si delicti veri reus ad asyla nostra se receperit. Dicit Grotius, aut puniendi, aut dedendi, aut amovendi, id est, illis injungendum est, ut quantocyus terra nostra egrediantur.

Possunt ergo puniri, quia jus asyli non fontibus, sed innocentibus prodesse debet: possunt dedi, quia hæc optio semper competit populo, ad quem confugerunt delinquentes: possunt denique amoveri, quia cogere nos non potest exterius ut eum tradamus, qui quamdiu apud nos fuit, & ad fidem nostram confugit, nihil deliquit. Et eo postremo temperamento plerumque utuntur hodie gentes. Sic Galli non dederunt Equitem S. Georgii, Ducem Ormondiz, Comitem Bullingbrockæ, sed tantum expulerunt.

Sed & hic 1) superior valet distinctio, hostilem adversus nos animo sint, qui ad externos transfugiunt, an alius delicti in privatum admissum rei. Hæc enim debita plerumque dissimulant generosi principes. Ibi vero vel pœnam urgeat, vel deditioem, vel expulsionem.

2) Cessare obligationem, si malum ita invaluit, ut non nisi proposita impunitate coerceri possit. Tunc enim data semel impunitate, nec deditio, nec pœna jure cogitur, immo nec expulsio. E. g. si piratæ

piratæ promissa impunitate ad nos confugerint, & piraticam deseruerint.

§. 6.

Porro quaeritur, an plane nihil auxilii sit reis ad nos confugientibus in defensione nostra? Diximus enim saepe & hos vel puniendos, vel dedendos, vel amovendos. Ergo non melior eorum erit conditio, ac si domi se passi essent in vincula conjici. Resp. omnino. Nam

1) Equiorem sperare poterunt iudicem principem exterum, quam iudices domesticos, qui plerumque vel privato odio in reum, vel adulatione adversus principem ad perdendum miserum stimulantur.

2) Defenduntur interea, dum causa cognoscitur. Nam quum nemo indicta causa sit puniendus, tradendusve alterius libidini, merito prius causa cognosci debet, ne deterioris sit conditionis supplex, quam quicumque alius ex civibus nostris.

Sed ea occasione nova nascitur quaestio, ex quo jure sit iudicandus supplex, num ex jure istius civitatis, in qua peccavit, an ex jure nostræ civitatis, ad quam confugit?

Resp. Grotius, aut delictum quod admittit est contra jus nat. & gentium: tunc hoc sequendum est. Aut delictum est mere-civilibus legibus prohibitum, tunc illud iudicandum ex jure civitatis ejus, in qua peccavit.

Sed jam ab aliis recte observatum, jus nat. & gentium hic nunquam habere locum.

Nam 1) hic quaestio est de infligenda poena. Poenas autem plane nullas definit jus

nature. 2) Jus nat. & gent. norma est in statu naturali. Qui autem ad nos confugiunt, non sunt in statu naturali, sed statim fiunt cives nostri. Ergo judicandi ex jure civili. Sed ex quo? ex eo, inquit Grotius, contra quod peccarunt. Sed id falsum. Civis enim noster factus. Ergo secundum eas leges judicandus erit, quæ alios cives obstringunt.

§. 7.

n. 1.

His præmissis, ad quæstionem primariam redit Grotius, quariturque, quomodo delicti rectorum participes fiant subditi? Hactenus enim vidimus, quomodo delicti alieni participes fiant rectores civitatis; deinde quomodo delictum paucorum transeat ad totam communitatem?

Recte resp. Grotius consensu. Sed hic gravis moveri posset controversia, an non semper consentire teneantur subditi in facta & consilia rectorum, quum semel voluntates suas voluntati imperantis submitserint? Respondendum, facta principis aut ex jure principatus nasci, aut ex tyrannide. Si prius, subditi indistincte probare & præstare debent facta principis. Et tunc verissimum est illud: Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Si autem actum tyrannicum exercuit imperans, tunc non consentire tenentur subditi, e. g. si princeps regis exteri uxorem rapuerit, si legatos violarit. Ergo tunc videndum an consentiant, cum juvando, milites & pecuniam suppeditando &c. an improbent factum, eique subsidia

siſta ſtegent: priore caſu itidem quidquid delirant reges pleſtuntur Achivi. Poſt-
riore caſu minime.

Quidſi pauci e civitate peccarunt, an delictum ad civitatem pertinet? Reſp. ſimi-
lis eſt decifio. Aut reliqui conſentiunt, &
factum probant. aut non. Si prius, ſimul
pleſtuntur. Sin poſterius, debent delin-
quentes punire aut dedere. Id ni faciunt,
poena itidem digni ſunt.

Objici poſſet 1) plurima ſuffragia vin-
cere pauciora. Reſp. in iis, quæ ad temp.
pertinent, non in delictis.

2) Poena adfici non poſſe totas univer-
ſitates. Reſp. Experientia contrarium doc-
et. Poſſunt enim libertatibus, bonis, ju-
ribus ſpoliari, poſſunt cives maxime de-
licti auctores occidi. Unde & mori &
capite deminui dicitur civitas jure Roma-
ſi aratrum inducatur. Quamvis juſtiſſimum
omnino ſit, parcere innocenti plebi, ſexui
ſequiori, infantibus.

§. 8.

Nobiliffima porro quæſtio eſt, an poe-
na ob delictum ab univerſitate ſemper
exigi poſſit? id eſt, licet vel maxime præ-
ſumptio ſit, eos, qui deliquerunt, cives
jam pridem obſiſſe?

Utrinque difficultas haud parva emergit.
Nam pro affirmativa militat, quod univer-
ſitas, ut ſupra demonſtravimus, non mo-
riatur. Pro negativa, quod innocentes
poena adfici nequeant, & verum tamen
eſt, poſt 100. e. g. annos ex civibus, qui
peccarunt, vix quemquam ſuperſeſſe poſſe.

Accedit, quod ipse Deus vetat plecti liberos ob delicta parentum, parentes ob delicta liberorum.

Sed recte resp. Grotius, de universitate quædam dici solere, tanquam de universitate, quædam ob singulos cives, quibus universitas constat. Sic e. g. quando dicimus universitatem habere leges, ærarium, esse pauperem, divitem, totam tunc universitatem intelligimus. Quando autem dicimus, universitatem esse fortem, virtute præditam, prudentem, tunc intelligimus cives, ex quibus componitur universitas. Hinc universitas quidem non exstinguitur, & hinc e. g. ærarii debitum non exspirat. At potest civitas esse desinere docta, fortis, virtute prædita.

Jam nemo negat, delicta quoque ad posteriorem classem pertinere, adeoque mortuis civibus, pœnam qui meruerunt, pœnam etiam exstingui.

n. 2. 3.

Hinc facile patet, quæ jure olim Alexander Persas bello aggressus sit, ex ea causa, quod majores eorum Græciæ vastitatem intulerint. Eorum enim nemo tempore Alexandri supererat, qui cum Græciæ bellum gesserant. Unde Arianus hunc obtentum graviter exagitat.

Deinde hinc facile deciditur quæstio, quid de reliquis hujus generis bellis vindictæ causa susceptis sentiendum sit? omnia enim injusta sunt nisi duobus casibus: 1) si postea eundem hostilem animum continuant, quod Alexandrum quodammodo defendit. 2) si lis de satisfactioe

stione adhuc durat, eumque præfracte negant posteri. Tunc enim & facti majorum participes fiunt.

§. 9.

Pergimus ad posteriorem capitis partem, ubi agitur de poena & cum innocentibus communicata. Sed jam supra diximus, proprie poenam nunquam sequi alios, quam auctores delicti: Delictum enim & poena, malum passionis & malum actionis sunt correlata, quæ se mutuo ponunt & tollunt. Ergo videndum, quo sensu dicitur poena & cum innocentibus communicari?

§. 10.

Omnis poena est malum passionis. Hoc in dolore vel damno consistit. Dolor vel damnum aliquando directe infliguntur, quando alicui jus proprium, vel quod ex officio perfecto ipsi debebatur, auferitur, e. g. vita, opes, fama: vel indirecte, seu per consequentiam, quando aliquis amittit, quod jure improprio seu ex officio imperfecto debebatur, vel quando aliquis jam non habet, quod habiturus fuisset, si hoc vel illud non obstaret.

Circa prius notantur regulæ. Damnum omne, quod præter meritum datur, injuria datur, e. g. si rector civitatis famam, vitam, bona auferat, ad quæ illis conservanda jure perfecto tenebatur.

De posteriore casu notanda regula: Qui jure suo utitur, nemini facit injuriam, quamvis alter ideo damnum per indirectum sentiat. Elegans exemplum est in pu-

teo, quem in meo fodio, hic nullam alteri facio injuriam, quamvis venæ alterius putei incidantur.

n. 1.

Hinc facile deciditur quaestio, an excusari possit, poenam & cum liberis, posteris per indirectum communicari? e. g. bonis patris confiscatis. Resp. 1) Liberi quamdiu bona ipsi nondum possident, habent tantum jus imperfectum. 2) Damnum in his datum non directe, sed indirecte datur, per §. 10. n. 1. 3) Atqui circa hæc damna valet regula: Qui jure suo utitur, nemini facit injuriam. Ergo & magistratus nemini facit injuriam, puniens delinquentem, quamvis effectus poenæ & ad innocentes perveniat.

Interim humanum omnino est, posteritati delinquentium parere, & ei saltem tantum relinquere, ne ad mendicitatem suo merito adigantur. Verum quod humanius est, id non statim, si omittatur, pro injusto habendum.

§. I B.

n. 1.

Deinde & altera distinctio æque utilis est. Aliud patitur homo ex causa peccati, aliud occasione ejusdem. Simile quid in contractibus animadvertimus. Alius solvit ex causa contractus, quia debet, uti debitor, emtor, conductor, alius occasione ejusdem, veluti fidejussor, qui tamen nihil accepit, ex quo oriatur obligatio. Sed sufficit, eum pro alio promisisse.

Eodem modo se res habet in delicto. Alius ex causa delicti tenetur ad malum passionis ferendum, veluti delinquens.

Alius

Alius occasione delicti, ob sponſionem pro delinquente, ſi quis e. g. pro delinquente de iudicio ſiſti vel iudicatum ſolvi ſatis dedit. Sufficit enim, eum ſatis dediffe.

n. 2. 3.

Alia quæſtio eſt, an hæc obligatio ad mortem uſque extendi poſſit? Veteres hic admifere vades, & notum eſt, exemplum Dannonis & Phidiz, quorum alter pro altero ſupplicium capitale ſubire & volebat, & cogebatur, niſi alter rediſſet in tempore.

Eodem pertinet jus obſidum, de quo ſingularis exiſtat SCHILTERI *Difſertatio*. Nam ſæpe promiſſa denegante principali obſides licet innocentes ad ſupplicium raptos novimus. Exempla habet ipſe GROTIUS *Lib. 3. cap. 4. §. 14.*

Id ergo jure fieri recte negat Grotius. Alia enim ſunt, in quæ homines poteſtatem habent, uti commoratio in patria, fortunæ, &c. in alia Deus iis nullam dedit facultatem, nullum arbitrium, ut in vitam, membra.

Ergo obligare ſe quidem poteſt homo ad ſolvendam mulctam, ſubeundum exſilium, ad carcerem ferendum pro alio. Quamvis enim nihil deliquerit, ſufficit tamen, eum promiſiſſe.

Aſt non poteſt, ſe obligare ad ſupplicium capitale, ob mutilationem membrorum &c. Quam ergo alteri in inſontem jus nullum ſit, niſi ex promiſſione vel ſponſione ejus, ſequitur, ut & illi nullum jus ſit ſupplicium huiusmodi inſligendi.

§. 12.

Argo veriſſimum manet axioma, nemi-
nem

nem innocentem ob delicta aliorum puniri posse ne parentes quidem ob delicta liberorum, vel liberos ob delicta parentum.

Nam 1) delictum & poena, ut dixi, sunt correlata, adeoque se mutuo ponunt & tollunt. 2) Poenae infliguntur ob meritum. Meritum est personale, & hinc personam non egreditur. 3) Sic nec finis poenarum obtineri posset. Quod enim exemplum esset, plecti innocentem. Sic sane non emendantur homines, sed potius adducuntur, ut credant, perinde esse, noceus aliquis sit, an innocens.

§. 13.

Id pluribus veterum testimoniis confirmat Grotius, veluti Hieronymi, Augustini, Dionis, Chrysostomi, Philonis, Senecæ. Sed quid opus testimoniis, ubi rationes sufficiunt, paullo ante a nobis suppeditatae? Quare potius ad dubia quaedam tollenda progredimur.

§. 14.

a. 1. Sed opponunt alii huic doctrinae de non plectendis liberis delinquentium exemplum ipsius Dei, poenam non solum pravis, sed & eorum posteris in tertiam quartamque usque generationem comminantis. Ex XX. quin & poenam hanc revera infligentis posteris Saulis, Jeroboami, Achabi. 2. Sam. XXI. 1. Reg. XIV. 2. Reg. VIII, 9.

Sed resp. 1) Falsum est Deum punire posteros innocentes. Nec enim justitia patitur, malum passionis, sine malo actionis ulli mortalium inferre.

2) Si verum esset, Deum punire liberos

ros

res ob delicta parentum, deberet eos damnare, quæ propria pœna peccati est secundum infinitam Dei justitiam, Id vero se facturum nunquam minatus est.

3) Dicit ergo Deus, se visitaturum peccata parentum in liberis, id est, se liberis calamitate temporales immisurum. Id vero potest Deus etiam piis, innocentibus, filiis suis, salva justitia, vi istius domini eminentissimi, quo potest pro lubitu bona & mala temporalia inter homines dispensare.

4) Addit Grotius, quod exempla doceant, Deum hoc jure tantum uti in delictis gravissimis, e. g. idololatria, sacrilegiis, periurio, quæ in ipsius Dei contumeliam vergunt,

Sed hoc argumentum parum ad rem facit. Pœna enim proprie sic dicta nec ob graviora nec ob leviora delicta in ullum innocentem cadit.

5) Paulo majoris momenti est observatio sequens, quod in novo testamento nulla hujus generis comminatio de pœna posterorum exstet. Jam notum est, V. T. potissimum urgere promissiones felicitatis temporalis in terra Canaan persruendæ. novum autem testamentum primario tendere ad promissiones spirituales vitæ æternæ.

Inde ergo sequitur comminationem hanc legalem tantum pertinuisse ad felicitatem illam in Cananitica terra persruendam, In hac vero poterat Deus salva justitia, tanquam supremus Rex & Dominus liberis ob pietatem parentum pinguiorem; ob scelera minorem portionem assignare. Nec

Ec 6 tamen

famen dixeris, hanc proprie esse poenam, quamvis vulgus forte ita loquatur.

D. 4.

6) Sed præcipuum argumentum est in dictis illis Ezechielis, ubi negat Deus, liberos ferre debere delicta parentum, vel parentes liberorum, sed unumquemque ob proprium peccatum moriturum esse denunciat. Inde sane luculenter patet, Deum proprie non punire innocentes posteros, nisi 1) vel continent delicta paterna & avita, uti plerumque fit, vel 2) nisi poenam vocare velis castigationem, quæ non ob malum præteritum, sed ob bonum futurum, nempe emendationis causa infligitur.

§. 15.

Inde ergo colligit Grotius rectissime, dirissimas esse leges humanas, quæ liberos rebellium supplicio extremo addicunt, uti exemplum habemus apud Persas Dan. VII, 22. qui & ipsos cognatos, & universam familiam devocabant, ut eo tristiores perirent rebelles. Quis enim justum esse dicat supplicium innocentum?

§. 16.

Sed posset quis objicere, ergo etiam injustam esse legem illam dirissimam *si unquam* C. ad L. Jul. Majest. quia liberos perduellium hereditatibus & honoribus excludit.

Resp. negari non posse, legem satis severam esse: sed ideo dici non potest injusta. Nam jam supra distinximus inter damnum directe & indirecte datum. Illud vocavimus, quod aufert id, quod jure perfecto competit: hoc quod aufert jus jure

iam.

imperfecto competens, qualia jura procul dubio sunt hereditates & honores. Ergo si illis liberi perduellium excluduntur, non poena ipsis infligitur, sed damnum indirecte patiuntur, adeoque valet regula: Qui jure suo utitur, is nemini facit injuriam.

§. 17.

Idem ergo & de subditis dicendum, si delirantibus regibus plectuntur Achivi. Poenam directe non patiuntur. Nam 1) poena inter gentes aequales non habet locum, 2) nullum hic est malum actionis, cujus correlatum poena esse possit, nisi, ut supra diximus, consensus subditorum in actus rectorum tyrannicos accesserit. Sed damnum ferunt indirecte. Ergo dum jure suo utitur princeps, bellum gerendo, nemini facit injuriam.

Objici posset exemplum divinum. Deus enim, ceu notum, ob delictum Davidis ariduanam pestem immisit subditis, quos ipse David innocentes fateatur, dum dicit: *Ego peccavi, quid ista oves fecerunt?*

Sed resp. non hic puniuntur subditi, sed Davides. Nam subditi moriuntur, & quidem jussu Dei, quem penes vitae necisque arbitrium est. Quemadmodum ergo non dicimus proprie: Deum punivisse infantem, qui mortuus ex utero materno prodit, nisi quatenus generatim mors est peccati stipendium, ita nec subditi Davidis dici possunt poena adfecti, quia mortui, siquidem & piis & infantibus moriendum. Ast punitus est David, dum subditis privatus est.

Idem dicendum Grotius monet de civibus & subditis, qui in delictum universitatis non consenserunt. Sed quum de his jam supra actum sit, nihil est, quod hic addamus.

§. 19.

Id vero quæri meretur, cur heres, qui ob debita antecessoris teneatur, non item teneatur ob delicta ejusdem?

Sane utraque est obligatio, illa ex facto licito, id est, ex conventionem, hæc ex illicito, id est, ex delicto. Ergo videtur utriusque par ratio esse.

Sed responderetur magnam subesse differentiam. Contrahimus de rebus in patrimonio existentibus. Ergo obligatio ex contractu æque ab hærede ac ipso contrahente potest adimpleri, ex bonis nimirum contrahentis, quæ ad ipsum pervenerunt. Obligatio autem ex delicto non afficit bona, sed personam delinquentem. Quæ vero mere sunt personalia, ea cum persona expirant. Quod adeo verum est, ut nec conventiones, quæ circa personam incurrunt, ad posteros transeant, e. g. sponsalia, societas, mandatum, &c.

§. 20.

Sed objici posset, nonnunquam tamen & hæredes ad poenam teneri, e. g. si defunctus in multam jam condemnatus moritur, tunc enim multam illam & heres teneatur exsolvere.

Sed responderetur. Heres non tenetur, nisi poena mutata sit in aliam obligationem.

Sane

Sane defunctus tenebatur ad poenam pecuniariam. Ejus respectu illa multa vera poena fuisset. Quum vero illam non solverit, illa multa transit in aliud genus obligationis, nempe in res alienum. Illud vero & heres exsolvere tenetur. Solvit ergo hanc pecuniam heres, in quam defunctus condemnatus fuerat, non tamen solvit tamquam poenam, quia ipse nihil deliquit, sed tamquam res alienum.

C A P U T XXII.

De Causis Injustis.

S. I.

CAUSAE belli vel justae sunt, vel injustae, vel dubiae. Justae sunt vel iustificatae, ob quas bellum justum geritur, quales ex mente Grotii sunt tres, defensio, exactio ejus, quod nobis jure nostro debetur, & poena, quamvis tertiam cum recentioribus merito rejiciamus, vel suavorum, quae in animo latent bellum gerentis, quamvis alia causa iustificata profertur. Unde & praetextus vocari solent, quia causae injustae plerumque justa causa praetextitur, & obtenditur, ne in oculos incurrat.

Rem exemplis illustrat Grotius, Alexander bellum gerens cum Persis, nulla hic ex 3. causis a Grotio proditis habebat locum. Nec enim Darius Graecos vexabat, ut defensionis opus esset, nec Graecis

eis quidquam debebat, quod bello rependendum esset, nec delictum admiserat, quod armis videretur vindicandum. Ergo omnes veteres consentiunt, veram belli causam ex parte Alexandri fuisse cupiditatem gloriæ imperii, divitiarum, Persicæ militiæ statum miserrimum. Quia tamen hæ causæ aperte injustæ erant, hinc jus prætexebat aliam in specie justiore, nempe ultionem injuriarum a Xerxe Græcis illatarum.

Sic Cæsari bellum civile inchoanti, vere finem fuisse propositum, ut opprimeret libertatem patriæ, eventus docuit. Sed ne hæc causa injustissima innotesceret, prætexebat defensionem contra Pompeji potentiam.

Omnes ergo hujusmodi causæ, quæ hujusmodi prætextu velantur, vere injustæ sunt. Et de his agitur cap. 22. quemadmodum de dubiis cap. 23.

§. 2.

Ex causæ injustæ iterum duorum generum sunt. Aut enim bellum geritur ex nulla causa, aut ex causis minus sufficientibus.

Ex nulla plane causa geri solet bellum ab illis, qui periculorum ob ipsa pericula avidi sunt. Quemadmodum Tacitus de veteribus Germanis refert, eos fere perpetua inter se bella gessisse, nec tamen ea re opes vel imperii latitudinem quæsierunt, sed tantum quia periculis delectarentur. Tale quid & de Alanis narrat Ammianus.

Hujusmodi sane bella rectè serina vocat

Gro-

Grotius. Nam: 1) quid crudelius, quam in crudelitate voluptatem querere? 2) Hujusmodi homines ipsis latronibus sunt deteriores, quia ne hi quidem occidunt, nisi saltem spes praeae affulgeat. 3) Bellum est contentio vel concertatio societatum liberarum. Contendere autem & concertare, quum nulla sit controversia, absolum & sanae rationi adversum est.

§. 3.

Alii causas quidem belli habent, sed insufficientes, suasorias tantum, non justificas, quamvis aliquando & has prae se ferant. Idem hic contingit, quod in hereditatibus privatorum. Si alius quam verus heres possidet hereditatem, tunc ille qui possidet, aut pro herede possidet, id est, dicit se heredem esse, aut pro possessore, id est, quaesitus, cur possideat, nihil aliud respondere potest, quam possideo, quia possideo. Ille quasi causam possessionis justificam allegat, hic illam non curat. Eodem modo bellum gerentes modo dicunt, se id defensionis suae causa gerere, vel juris sui repetendi: modo solo praetextu contenti causam justificam non curant.

Hujusmodi exempla complura existant. Imprimis ita bella sua defendunt barbari. Sic Brennus expeditione e Gallia in Graeciam & Asiam ipsam suscepta, causam quaesitus, cur aliena invaderet, respondit omnia esse validorum. Ita & Hannibal increpatus, quod contra fœdus injustum bel-

bellum gerat, respondit: pro foedere. quae justitia est ensis.

§. 4.

Jam ergo expediendae sunt insufficientes illae bellorum causae. Ubi primo generatim observat Grotius 1) summos imperantes plerumque duobus nominibus pacis & belli tamquam numis uti, non ad id, quod justum est, sed ad id, quod expedit. Ex quo consequitur, ut non sufficiat audire praetextum belli, sed genuina causa expendenda sit. 2) Observat Grotius, bellorum causas injustas facile intelligi, quum de causis justis constat. Quemadmodum enim data linea recta, omnes, quae quocumque modo ab illa directione discedunt, curvae esse intelliguntur: ita, ubi scimus, quae causae iustae bellorum sint, nempe defensio & repetitio juris sui, per se consequitur, ut omnes reliquae, quae proferuntur bellorum causae, injustae habeantur. Eas jam videbimus.

§. 5.

2. 1. Talis injusta causa est ex vicini potentia. Nam 1) ita nullum est jus controversum, ob quod bellum geratur: & aequo absurdum est bello petere potentem, quia potens est, quam licibus in rep. venire vicinum, quia me deterior est. 2) Potentia sola mihi non periculosa est, nisi de animo laedendi constat. Sic Helvetii habent potentissimos vicinos, Imperatorem & Regem Galliae: sed quum certissimi esse possint, neutrum de opprimenda Helvetia inire consilia, omnino non essent

CXCII.

excusandi, si ideo bellum alterutri intendant. 3) Si potentior est vicinus, mihi jus est, mihi praesidia circumponere, urbes munire, militem alere, foedera cum aliis potentibus pangere, sed ideo non sequitur, ut statim mihi liceat ad bellum ruere.

Ex quo consequitur, ut ob munitionem novam exstruendam, alter alteri bellum inferat. Qui enim jure suo utitur, nemini facit injuriam. Exceptio tamen est, 1) si ex hujusmodi castellis nobis imminet periculum, vel maximum incommodum. Sic semper Basileenses conqueruntur de munimento Hunningensi, Basileae tam propinquo, ut inde tormentis peti possint. 2) Si foedus obstat vel pactum. Ita aliquoties cum duce Lotharingiae pactus est Rex Galliae, ne novum exstrueret munimentum. Hinc non tam indignabatur Imperator, quod postremus Dux Mantuae urbem suam novis operibus muniret, quam quod istud propugnaculum daret Gallis custodiendum. Unde & in Electorem Coloniae indignatio Caesaris exarsit, quum Bonnae praesidium Gallicanum induceret.

§. 6.

Injusta quoque & insufficientis belli causa est II. sola utilitas. Quum Russi bellum inferrent Succis, inter alios praetextus & hic erat, quod opus Russis sit portu, quem nec precibus, nec pretio impetrare poterint a Succis. Haec sane vix excusanda. Nam 1) sic ad sententiam Epicuri delabimur, cui sola utilitas justae prope mater & aqua

qui videbatur, quam pestilentissimam doctrinam in proœmio profligayimus. 2) Quod mihi prodest, & alteri non nocet, ad id obligatus est unusquisque, id est, ad officia innoxie utilitatis, e. g. ut patiar lumen de lumine meo accendi, &c. non autem ad id, quod sibi vel alteri nocet, & mihi prodest. 3) Eodem modo & furta, rapina, latrocinia poterunt defendi, quæ omnino profunt furibus, raptoribus, latronibus.

§. 7.

Tertia causa injusta est III. denegatio matrimoniorum, si alioquin est uxorum copia. Nam 1) nuptiæ fiunt consensu. Consensus autem debet esse ultroque, non coactus. 2) Multæ possunt esse justissimæ causæ denegandi alteri filiam, veluti religionis & morum diversitas, lites de futura hereditate, &c. Si justæ sunt hæc causæ, sane qui jure suo utitur, nemini facit injuriam.

§. 8.

Ejusdem porro commatis est IV. amor mutandæ sedis. Sic Cimbri ideo bellum inferabant Romanis, quod hi illis novas sedes in aliqua Romani Imperii provincia negabant. Quin pleraque bella inter Romanos & Germanos ex hac ipsa causa nata sunt. Hæc quoque causa injustissima. Nam 1) quæ nulla sunt, cedunt occupanti, non quæ jam ab aliis occupata, 2) Officium perfectissimum ex dominio resultans est, ut teneamur alterum in dominio suo defendere, cumque in possessione rerum suarum non

non turbare. 3) Generalissimo I. N. principio id quam maxime repugnat, quod dicit: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

§. 9.

Nec magis defendi potest bellum V. inventionis titulo susceptum, quem titulum imprimis urgebant Hispani, occupantes Americam. 1) Inventione enim jure acquirimus res vel nullius, vel pro derelictis habitas: non quæ jam dominum habent. 2) Eodem modo Americani invenire potuissent Europam. Si illam occupassent, de illata nobis injuria merito essemus conquesti. Jam quæ tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

§. 10.

Similis quoque est belli causa VI. diversitas religionis, & morum, e. g. quod gens quædam idololatriæ dedita, quod in ea sint anthropophagi, polygami. Quam causam iidem Hispani urgebant.

Nam 1) ut recte observat Grotius, ad dominium non requiritur virtus moralis aut religio, sed sufficit aliquem esse hominem. Hinc impio res suas non magis furto surripere possum, quam pio. 2) Dominium in res creatas Deus dedit hominibus, non Christianis in specie, non piis. Hinc Grotius addit observationem, si daretur populus plane amens & ratione destitutus, ei omnia præter alimenta posse auferri. Sed hæc observatio partim absorta est, quia populus ratione destitutus, tanquam contradictio in adjecto ne concipiatur.

n. 16

quidem potest, partim falsa: nam & furio-
sum manere rerum suarum dominum, ipse
supra Grotius falsus est, quidni etiam po-
pulus amens?

Hinc injustæ fuere iræ Græcorum in bar-
baros, quos tanquam naturaliter sibi hos-
tes avertabantur. Nam 1) id somnium niteba-
tur præjudicio, quod præter Græcos nulli
mortales intellectu humano instructi sint,
2) hostis sine hostili animo concipi non
potest. 3) Sæpe quo minor est intellectus
cultura, eo major probitas. Scythæ sane
sanctitate morum Græcos virtute longe su-
perabant.

§. 11.

Injusta porro causa est VII. Libertaria
desiderium. Nam 1) libertas quidem est
res inæstimabilis, sed non naturæ humanæ
necessaria. 2) Libertas naturaliter omnibus
data est, sed ei renunciari potest ab uno-
quoque. Id si factum, non datur regressus
ad libertatem naturalem. 3) Nemini jus
quæsitum auferendum, ergo nec principi
jus in subditos juxta quæsitum. 4) Ipse
Apostolus intempestivum hoc libertatis de-
siderium improbat in servitute privata. 1.
Cor. VII, 21. quanto magis in civili, quæ
illa multo est tolerabilior?

§. 12.

Injusta causa VIII. est voluntas regen-
di alios tanquam natura servos. Aristote-
les primus existimavit dari servos natura.
Omnes enim, qui se ipsos regere ne-
queant, ob insignem stupiditatem, a na-
tura ad servitutem destinatos aiebat. Hoc
sci-

scitum placet & principibus quibusdam, qui saepe satis justam bellandi causam sibi esse putant, si gens, cui arma minantur, sint natura stupidi & se ipsos regere nesciant. Sed 1) falsum est illud Aristotelis principium. Quamdiu enim quis ratione utitur, se ipsum regere posse praesumitur, nec si furiosus sit, ideo servus sit, quamvis ab alio regatur. 2) Beneficium nemini obtruditur. 3) Nec nobis ulla obligatio incumbit regendi stultos, qui regi nolunt.

§. 13.

Sunt ex glossatoribus veteribus quidam, uti Bartolus, qui Imp. Romanorum jus tribuunt in universum mundum, quia 1) in legibus vocetur, mundi dominus, *L. a. ff. ad L. Rhod. de jact.* 2) quia in sacra scriptura Romanum Imp. vocetur orbis universus, (*ei circumdatus*), Luc. II, 1. 3) quia ita loquantur auctores classici, uti PETRONIUS: *Orbem jam totum victor Romanus habebat.* a. 1.

Quærit itaque Grotius, si Imp. hodie-
mus ex eo principio velit gentibus aliis
bellum indicere, annon & hæc IX.) in-
justa belli causa esset?

Equidem frustra movetur hæc quæstio
quum Imperator non sit tam simplex, ac
olim Bartolus. Sed si tamen forte Impe-
ratorum quisquam ita ratiocinaretur, omni-
no injustissimus esset. Nam 1) ex titulo
ad rem nulla consequentia. 2) Romani
dum se mundi vel orbis Dominos appet-
tarunt, intellexerunt orbem Romanum, i.
e. provincias Rom. imperii. 3) Impera-
tori

tori non plus in alienas provincias licet, quam aliis Regibus & Imperatoribus.

n. 2. Dantes Aligerius, Italus Gibellinus, Bartoli sententiam stabilire conatur eo argumento, quod id expediat humano generi, si orbis universus uni subesset, tunc enim cessare oportere bella inter principes.

Sed resp. 1) tunc bella gesturi essent subditi, quia unus non sufficeret orbi universo regendo, ob hominum numerum & locorum distantiam. 2) Si vel maxime utile esset hujusmodi imperium, tamen non esset ulli invito obtrudendum. 3) Nec sequeretur, ut præcise Imp. Romano, ac non alii competeret.

Si quis dicat, huic pinguius jus vel ideo esse, quod antecessores ejus magnam partem terræ tenuerint: resp. illas partes dudum amissas esse & ab aliis justo titulo possideri. Fuius Troes, fuit Ilium & ingens gloria Teucrorum.

§. 14.

n. 1. Pontificii jus in universum orbem non quidem Imp. sed Ecclesie Rom. tribuunt. Et hinc Hispani præ se tulerunt, omnibus aliis titulis deficientibus sibi sufficere donationem Americæ a Pontifice Rom. factam, quia Ecclesie competat imperium in universum orbem.

Speciosa eam in rem adferunt argumenta, veluti, quod Ecclesia ex intentione Christi sit catholica, & sic diffusa per universum orbem, quod omnes pater filio gentes donaverit, quod Christi imperium extendi debeat a mari ad mare.

Sed

Sed id imperium plane fictitium. Nam
1) ad ecclesiam non pertinent gentes infideles, sed Christiani. *Quid ad nos illi, qui extra sunt.* 1. Cor. V, 12. 2) Alia est ecclesia, aliud imperium. Illa est in imperio, sed non imperium.

3) Christus negavit regnum suum esse de hoc mundo. Jo. XVIII. 36. Ergo nec imperium sæculare in gentes sibi arrogavit, nec id dedit Apostolis & ecclesie. n. 2.

4) Idem nec media illa propagandi ecclesiam commendavit, quibus uti solent homines ad propaganda imperia, ut bellum, arma, fœdera, sed preces, prædicationem verbi, &c. 5) Ecclesia non destruit politias. Vide elegantem Augustini locum.

6) Episcopus non sit percussor. 1. Tim. III, 2. *Potentes imperant, vos autem non sit.* Ergo sane Episcop. Rom. non potest vel bellum gerere, vel reges ad bellum concitare, ad propagandam ecclesiam. Quod enim quis per alium facit, id ipse fecisse videtur. n. 3. 4.

Ut paucis dicamus, res tam ridicula est, ut Americanus quidam Rex, quamvis non adeo sagax, dixerit, tamen stolidum esse opertere pontificem, qui regna donet, quæ non sua sint.

§. 15.

Injusta belli causa est X, spes implendi vaticinium divinum, quod hic vel ille pro sensu suo fanatico explicat. Sic ante centum & quod excurrit annos, Ponia-tovius Drabitus & Kotterus varias sparge-
Hein. de Jure Belli, &c. Ff. bant

bant visiones & prophetias, quibus prædicebant, domui Aultriacæ imminere exitium, ecclesiam per orbem propagandam, Antichristum Rom. destruendum, quæ vaticinia tunc conjunctim edebat Theologus reformatus magni nominis, AMOS COMENIUS, sub titulo: *Lux in tenebris*.

Sane si quis tunc his deliriis induci se passus esset ad arma corripienda, procul dubio bellum gessisset injustissimum. Nam 1) difficile est discernere prophetas & pseudopphetas. 2) Difficilius, sine spiritu prophetico vaticinia interpretari, 3) prædictio, sine mandato non potest tranquillam reddere conscientiam. Sic Judæis prædicta erat certo liberatio ex Ægyptiaca servitute, & ex captivitate Babylonica, nec prius tamen libertatem adfectare jure poterant, quam Deus juberet.

§. 16.

Injusta belli causa est XI. exactio officiorum jure imperfecto ex sola virtute, honestate, decore debitorum. Quemadmodum enim hæc officia in foro actione, ita in statu naturali bello extorqueri non possunt. Hinc non erat justum bellum Rom. in Regem Cypri, tanquam ingratum. Gratitude enim est officium imperfectum, nisi sit prægnans, cum injuria adversus benefactorem conjuncta.

§. 17.

n. 1. 2. Denique claudit hoc caput Grotius addita observatione, causam belli aliquando esse justam, & tamen ipsum bellum injustum. Nam virtus non solum in actione
exter-

externa consistit, sed in animo. Unde bellum injustum geritur.

1) Si in animo Imperantis latet causa arcana, quae ipsum magis movet, quam justa causa, e. g. ambitio, studium propagandi imperium.

2) Si bellum non geritur justo modo, e. g. violando pacta cum hoste inita, invadendo simul socios, crudelitati militum indulgendo.

Sed sub finem recte observat Grotius, distinguendum inter justitiam internam & externam. Justitia interna respicit ad forum conscientiae, externa ad homines. Ergo coram hominibus justum est bellum, modo justa causa adsit: coram Deo autem haec non sufficit, nisi & animus ab omni pravo affectu purgatus sit, & bellum ipsum juste & secundum rationem geratur, quia actiones vere bonae non materialiter tantum, sed & formaliter debent convenire cum lege divina.

C A P U T XXIII.

De causis Dubiis.

§. 1.

Caput hoc constat duabus partibus. Priore agitur de dubitatione generalem, & quid in dubio agendum sit. §. 1, 7. Posteriore de causis belli dubiis, an ex ad bellum gerendum sufficiant. §. 6, fin.

Ff 2 I. De

1. De dubitatione 1) generatim observat Grotius, eam in rebus moralibus frequentissimam esse. Quod verum est. Sed ratio, qua utitur, non est maximi momenti. Nam dicit hanc dubitationem inde esse, quod moralia non æque certa sint, nec tam sub demonstrationem cadant, quam physica & mathematica. Sed hoc artis principium dudum explosere H. Corringius & Pufendorfius. Ubi enim sunt certa principia, ibidem sunt certæ & demonstrativæ conclusiones. In moralibus sunt certa principia. E. sic æque certum est, neminem lædendum esse, ac bis duo esse quatuor.

Sed vera ratio est applicationis practicæ difficultas. Actiones enim hominum tam variis coloribus dilutæ sunt, ut non statim pateat, quodnam morale principium hic sit applicandum. E. g. contra legem divinam nihil esse agendum, certissimum est, sed an e. g. saltare contra legem divinam sit, potest dubitari, quia saltatio est actio, quæ alii indifferens, apud alium cum multis voluptatibus conjuncta esse potest.

§. 2.

n. 1.

2) Jam porro queritur, quid in hujusmodi dubio faciendum? Recte Grotius defendit regulam: Contra conscientiam dubiam nihil est agendum. Ergo suspendenda tamdiu actio, licet forte in se bona & justa, donec dubium istud animo evulsit sit. Aliter qui agit peccat, licet forte actio in se plane bona vel saltem indifferens sit.

Falso.

Falso autem hanc regulam probat ex Rom. XIV, 23. Quum ibi per fidem non intelligatur certum animi iudicium, sed fides salvifica. Ex ea quidquid non fit, coram Deo peccatum est.

Vera ergo ratio est, quia contra conscientiam dubiam agere idem est, ac Deum ipsum contemnere & ludibrio habere. Id enim agit, qui ita ratiocinatur: Nescio, an Deus velit, an nolit hoc fieri; tamen sive velit, sive nolit, faciam. n. 2.

Addit sub finem Grotius exceptionem. Si scilicet res alterutra necessario agenda sit, & utraque tamen iniqua videatur. Tunc enim ex 2 malis putat eligendum minus; ex 2 iniquis minus iniquum.

Id vero perspicue falsum. Nam 1) si vera est necessitas, id quod ex necessitate fit, non est minus iniquum, sed æquum, e. g. si quis moderamine inculpatae tutelæ utitur. 2) Regula illa, ex duobus malis eligendum est minus: non pertinet ad mala moralia, sed ad physica.

§. 3.

Jam si contra conscientiam dubiam nihil agendum, existimare quis posset, ita fore, ut nulla actio tunc explicetur. Sed id recte negat Grotius, quia dubium plerumque post tempus aliquod dissipari solet, & mens in alterutram partem esse proclivior, & quidem

- 1) vel argumentorum pondere, quod antea non statim intellexerat tantum esse, vel
- 2) auctoritate. Si enim hujus vel illius viri sapientis, in quo magnam collocamus

fiduciam, auctoritas accedat, facile evellitur dubitatio, quæ antea animum in diversa trahebat.

§. 4.

Sed quæritur, an auctoritas illa tranquillam reddat conscientiam? Jesuitæ id affirmant: & inde eorum probabilissimus, de quo alio loco egimus. Putant enim si quis quid agat, in se injustum & malum, eum tamen in conscientia excusari, modo aliquot doctorum suffragia pro se militare videat.

Grotius noster paullo cautior est, sed tamen existimat, simpliciores audire debere sapientum consilia. Si id verum, sane non peccant, si secundum illa consilia agant. Et inde sequitur, ut excusandi sint, licet male agant.

Sed respondemus 1) falsum esse, quod dicunt Arles, Jesuitæ & Grotius: probabile esse quod tale videtur omnibus, vel pluribus vel sapientioribus. Id enim in rebus facti potest esse verum, ast in doctrinis probabilitas non nascitur ex auctoritate, sed ex rerum attributis & effectibus, uti recte docuit in Logica sua Clericus. 2) Nemo rationes in conscientia reddit ex aliorum judicio, sed ex suo, adeoque illud non excusabit. 3) Tenemur quidem aliorum sapientiorum consilia audire, sed non statim sequi, adeoque excusatur quidem qui audit, sed non semper qui sequitur.

§. 5.

n. 1. 2.

Quid vero si occurrant dubia, quæ utrinque

que sunt eodem argumentorum pondere instructa? Tunc distinguit Grotius inter res minoris & majoris momenti. In illis eligi posse putat sine vitio, quidquid libeat: In his eligendum ait, quod tutius.

Sic e. g. si reus homicidii pro se habeat duo testes, qui dicant non illum, sed Mævium occidisse: duo autem testes æque idonei affirmant illum omnino occidisse, neque ullo alio modo res ad aliquidum perducı possit, (e. g. quia tortura in aliqua republ. non conceditur,) tunc eligendum est tutius, id est reus potius absolvendus quam supplicio afficiendus, quia vita humana est res maximi momenti.

Sed fingamus pauperem cum divite litigare de centum florenis, res est minoris momenti: sed tamen non ideo iudici perinde esse debet, condemnerne an absolvat.

Adeoque vera potius regula: In dubio semper prioniores esse debemus ad absolvendum, quam ad condemnandum, sive res sit minoris sive majoris momenti, quia tutius est absolvere debentem vel nocentem, quam non debentem & innocentem condemnare.

§. 6.

II. Sequitur pars capituli altera de belli causis dubiis. Ubi 1) statim ex iis, quæ antea diximus, sequitur axioma: Quamdiu causa belli est dubia, tamdiu illud non est suscipiendum.

Hoc fluit 1) ex regula generali §. 2.

Ef. 4 Con-

Contra conscientiam dubiam nihil est agendum, 2) ex ipsa natura belli, quod est contentio de jure controverso, & vel defensionis vel juris nostri vindicandi causa geritur, ut supra dictum. Atqui quamdiu an alter nobis injuriam faciat, dubium est, defensionis; quamdiu incertum, an nobis hoc vel illud debeatur, vindicationi locus non est. E. nec bello locus est. 3) Accedit, quod bellum sit medium jure suo potiundi admodum periculosum, anceps, & cum mille rerump. & hominum cladibus conjunctum. Rem tam difficilem sine causa liquida suscipere plus quam ferinum est.

§. 7.

2) Quæritur, quibus vero modis causæ gentium dubiæ ad liquidum perducantur, quum nullum habeant communem judicem, sicuti privati? Resp. Grotius, id fieri posse

1) Colloquiis. §. 7.

2) Arbitrio. §. 8.

3) Sorte. §. 9.

4) An & bello repræsentativo? §. 10.

5) Regulis quibusdam. §. 11. 12.

n. 1.

L. Medium est colloquium inter gentium legatos, imperatores, immo ipsos reges. Ita enim 1) sæpe fit, ut facile lites terminentur. Non enim hic affectus dominantur, sed periculum imminens æquiora suadet. Unde & ratio reddi potest, cur de maximis reip. negotiis facilius transigant rectores civitatum, quam theologi de controversis circa religionem etiam levissimis?

2) Me-

2) Medium hoc etiam est rationi maxime consentaneum: quia non possum de jure meo certo statuere, nisi & alteram partem adjuverim.

Accedit 3) ratio, quod si æqua per colloquium obtulimus, eaque altera pars non admisit, bellum insequens tanto justius fit. Tentanda enim remedia mitiora, quibus non sufficientibus tunc ad graviora deveniendum. n. 2.

§. 8.

II. Medium est compromissum vel arbitrium. Nam quamvis gentes & summi imperantes nulli judici subsint, potest tamen unusquisque suo juri renunciare, adeoque se subicere aliorum arbitrio. Variis exemplis per numerum utrumque demonstrat Grotius, & usos esse veteres hoc medio, & cum fructu usos esse. n. 1. 2.

Sed quamvis id verum sit, non tamen hoc medium difficultate caret. Nam 1) non facile reperitur inter gentes arbiter, qui utrique parti placeat, & a quo metuendum non sit, ne alterutri plus justo faveat. 2) Si arbiter decidit causam, nulla in promptu est exsequutio, si alter parere nolit. Et sic nihilominus res ad bellum devenit. 3) Plerumque hujusmodi arbitria tantum inserviunt alteri parti, cujus interest, tempus trahi, ut eo commodius possit se bello imminenti præparare.

Quod vero Grotius existimat, hoc officium tanto magis incumbere Christianis n. 3.

civitatum Rectoribus, id omnino verum est, non quidem ob rationem quam ex loco Pauli ducit Grotius, qui huc plane non facit, sed quia religio suadere debet principibus Christianis, ut a bello, quantum potest, abhorreant, nec nisi mitioribus tentatis mediis ad illa ruant.

n. 4. Consilium porro suppeditat Grotius, ut conventus quidam sint Christianorum principum & potestatum, in quibus gentium controversiæ deciduntur, ne statim ad bellum ruerent.

Sed hoc consilium: 1) ad jus gentium non pertinet, quia non quid utile, sed quid justum sit, considerat. 2) Nec magnæ utilitatis futurus hic conventus, quia non gauderet jure superioritatis, adeoque nec facultate exsequendi. 3) Nec fieri posset, quin hic ipse conventus multas bello occasiones daturus esset. Plura suffragia vincere nequeunt, quia sic potentiores republicas semper superarent impotentiores. Ergo maxima lis oritura esset de modo suffragandi, de jure dirigendi, de ordine inter delegatos servando. Accedit 4) quod ob diversitatem religionis semper in hoc ipso conventu futuræ essent factiones. Ergo certum omnino est, hujusmodi conventum nec institui posse, nec admodum utile fore.

§. 9.

Tertius modus vel III. medium est fors. In dubio enim 1) res optime Deo committitur. In ejus vero manu est fors, & cadit illa, prout Deo visum. Prov. XVIII, 18.

2) Ita

2) Ita difficultates illæ evitantur, quas §. superiore in arbitrio deprehendimus. Sors enim non affectibus in transversum non rapitur, non magis favet parti alterutri.

Si quis dicat, sortis eventum dubium esse, adeoque æque eum qui injustam causam habet vincere posse, ac qui justam. Resp. æque incertum esse belli eventum, nec semper justos sequi victoriam. Quemadmodum ergo hoc casu in providentia divina acquiescendum: ita etiam, si sors nobis non faveat. Sufficit causam nostram esse dubiam & illiquidam.

§. 10.

Commendant aliqui IV. medium, nempe bellum repræsentativum. Unde ante omnia videndum, quid sit hujusmodi bellum. Justum bellum est, si gentium exercitus concurrunt, & contendunt inter se. Ergo bellum repræsentativum est, si aliquot homines utrinque committuntur, qui exercitum utrumque repræsentent, & inter se certamen singulare committant, addita conditione utra pars victoriam reportatura sit, ut ea pro domino alterius habeatur. Exemplum reperimus apud Liv. lib. 1. ubi Romani & Albani exercitus jam in procinctu stantes tres utrinque fratres tergeminos, illi Horatios, hi Curatios hoc modo commiserunt.

Eam antiquam fuisse Græcorum consuetudinem, variis exemplis docet Grotius. Qualia sunt etiam illa, ubi ipsi belli duces hoc modo congressi sunt, ut apud VIRGIL. Lib. XI. *Æneid.* *Æneas & Turnus.*

FF 6 Simi-

Simile quid apud veteres Germanos, imprimis apud Francos obtinuisse monuimus, & ex loco Agathie præclare docet Grotius numero hoc 2.

Et inde etiam nova exempla haud pauca existant, quod summi imperantes se provocarunt ad duellum. Imprimis nota exempla Caroli V. a Francisco I. Rege Gall. & Caroli Gustavi Regis Svec. a Christiano Dan. Rege provocati.

Quæritur itaque, an hujusmodi bellum repræsentativum licitum sit? Nemo negabit. Nam 1) si justos & numerosos exercitus committere possunt imperantes, quidni & paucos homines? 2) Ita pauca clade res transigitur, & ita multum sanguinis humani lucrificatur.

Sed alia est quæstio, an utile & suadendum sit hujusmodi bellum. Id nemo dixerit, 1) quia in justo bello semel victus, foederibus vel nova felicitate rem suam potest restituere. Hic nulla spes melioris conditionis superest. 2) Quia si vel maxime quis victor existat, tamen certus esse non potest, an victus viribus adhuc integris compromissum sit impleturus. Adeoque hoc casu ex repræsentativo verum bellum nascetur.

S. II.

Quinta ratio consistit in regulis quibusdam, quarum veritatem gentes omnes agnoscunt. Earum 1) est: In dubio melior est conditio possidentis. Pro possessore enim militat præsumptio, modo constat illam non violentam esse.

Ex

Ex quo sequitur 1) ut, qui petit magis teneatur bellum evitare, & mitiora remedia tentare, quam, qui possidet. 2) Ut nemo possit alterum de possessione ejicere, vel bellum ei inferri, nisi jus suum sit liquidum.

§. 12.

2) In dubio is censetur in mala causa esse, qui in rei a neutro possessæ divisionem non consentit. Si alteruter possideret, in dubio melior esset possidentis conditio, & sic ad divisionem perveniri non posset. Si causa esset liquida, alterutri res tota deberetur, adeoque nec sic locus esset divisioni. At ubi neuter possidet, ubi jus utriusque dubium est, ibi aut sorte res dirimenda, aut divisione. Illa utrinque rejecta, hanc qui adspiciatur pro iniquo habendus erit.

§. 13.

Finem huic capiti Grotius imponit elegantem tractans questionem: an fieri possit, ut utraque pars belligerans ex justa causa bellum gerat?

Grotius vocabulum *justum* varie sumi docet. Modo *justum* quid dicitur *ex causa*, si causa justa sit, e. g. si bellum quis gerit ob defensionem adversus aggressorem iniquum. Modo *ex effectu*, si effectus sit justus & legibus conformis, e. g. si quis in bello servat pacta, inducias, si non sedit in captivos, innocentes, &c.

Ratione causæ iterum aut *specialiter* *justum* accipitur, aut *generaliter*. Generaliter *justum* est, quidquid rectum, e. g.

occur-

occupare bello urbes, occidere homines. Specialiter, quod ex omni parte rectum, & quidem tum ratione operis, ut actio in se legibus conformis sit, tum ratione operantis, ut is & eo animo agat, quo lex rem vult agi. Sic eleemosynas dare, justum est ratione operis, aut si quis eleemosynas dat ambitionis causa, injuste agitur ratione operantis.

- n. 2. Jam facile rem explicabimus. In speciali acceptione ratione operis dici nequit, bellum utrinque justum geri. Nam 1) ex omnibus contradictoriis propositionibus altera semper vera, altera falsa. Adeoque 2) & inter litigantes semper debet aliquis justam, alter injustam causam habere.

Sed dici tamen potest, ratione operantis bellum utrinque justum aliquando geri, si res tam sit dubia & ambigua, & uterque se justam causam habere firmiter persuasus sit. Possumus hoc illustrare similitudine litis forensis, ubi utraque pars litigans non potest justam causam habere, quamvis contingere possit, & uterque juste litiget, & persuasissimus sit, se justam causam habere.

- n. 3. 4. In sensu generali bellum utrinque potest dici justum, si utraque pars culpa vacat. Sic e. g. saepe bellum exardescit ob injuriam ab antecessore datam, & jam irreparabilem. Hic qui vindicat injuriam, injustus dici nequit, quia jure suo utitur, nec tamen injustus est, qui impugnatur, quia ipse non læsit, nec per eum stat, quo minus injuria reparetur.

Deni-

Denique si justum ratione effectus confideretur, tunc omnino uterque bellum justum gerere potest, 1) si illud legitime judicat, 2) si illud ita gerat, uti mores gentium exigunt, id est, si observat mores gentium humaniorum, (la raison de guerre); 3) si pacta servet etiam cum hoste inita. Hæc justitia laudi cedit belligeranti, sed ipsum bellum non excusat.

C A P U T XXIV.

Monita de non temere etiam ex justis causis suscipiendo bello.

CAput hoc ad jus gentium non pertinet, sed mere politicum & oratorium est. Multi enim argumentis suadet Grotius, ne supremæ potestates temere ad bellum ruant, etiamsi & justam & liquidam causam habeant, nisi ea sit simul gravis & maximæ momenti.

Nimirum hic idem dicendum, quod de lite privatorum. Possunt hi jure litigare, si vel aliquot stiveros alter debeat: sed nemo tamen prudens ob rem tam levem litigabit, quamvis causa admodum sit liquida, quia remedium ipso morbo gravius est. Ita & nec injustum esset bellum gerere ob injuriam etiam levissimam, sed prudentiæ tamen regulis repugnat bellum gerere ob injuriam leviolem.

Hoc toto capite multis argumentis exponi-

politica & theologia petitis probat Grotius, & sub finem clades & mala bellorum vivis coloribus depingit, ut absterreantur imperantes a pruritu bellandi, & arma non nisi urgente extrema necessitate corripiant. Nihil ergo causæ est, cur hoc caput uberius explicemus, quum ab unoquoque privatim perlegi & intelligi facillime possit, & ad ipsum jus gentium, quod tractamus, nihil faciat. Potius ergo ad penultimum progredimur.

C A P U T X X V .

De causis belli pro aliis suscipiendi.

§. 1.

n. 1. **V**idimus hactenus, quando unusquisque populus pro se bellum in statu naturali suscipere possit, quæque causæ ad id suscipiendum sufficiant.

Atqui notum est, sæpe imperantes bella gerere non tam pro se, quam pro aliis, & quidem vel α) pro subditis §. 1, 3. vel β) pro foederatis §. 4. vel γ) pro amicis §. 5. vel pro δ) hominibus quibusvis §. 6, fin. De his ergo bellis pro aliis susceptis jam agitur, & primo omnium quaeritur, quo jure bellum pro aliis geri possit? Grotius hoc fundamentum ponit, quod unusquisque & alieni juris exsecutor sit. Id vero falsissimum esse, unusquisque videt. Nitiatur enim falso isto principio, quod in statu naturali par patrem peccantem poenis coer-

De causis belli pro aliis suscipiendi. 683
coercere possit. Quod supra cap. 20. satis
prolixè destruximus.

Ergo verum fundamentum indagare fa-
cile possumus, modo respiciamus ad sta-
tum civilem. In statu civili absurdum ju-
dicatur, alienas causas sine mandato in
judicio agere. Semper enim his auctori-
bus obstat exceptio: tua non interest. Ita
& in statu naturali absurdum esset, si quis
e. g. Hispanis ob injurias Americanis il-
latas bellum inferret. Quemadmodum ve-
ro in statu civili conceditur & tertio in-
terveniendi jus, si potest demonstrare,
sua interesse. Ita & in statu naturali nul-
li genti denegari potest jus alterum bello
interveniendi, modo liquidum sit, ejus
interesse.

Interest autem vel ratione subjectionis,
vel confederationis, vel amicitiae, vel
communis vinculi humanæ naturæ.

I. Nostra interesse potest ob subjectionem: adeoque juxta bellum suscipitur pro subditis, si illi a gente externa injuste tractentur. Quum enim imperantes subditis debeant defensionem non modo adversus vim internam concivium, sed & exter-
nam aliarum gentium: non potest sane principi vel reipublicæ vitio verti, si ad vindicandas subditorum injurias arma cor-
ripiat.

Exemplum historia Rom. suppeditat in bello Mithridatico. Mithridates, Rex Ponti edictum proposuerat, ut omnes Romani per Asiam negotiantes una nocte inter-
mantur. Eo facto Romani illi bellum in-

ter-

ternecinum intulerunt. Vid. Cic. Orat. pro
L. Manilia.

§. 2.

Quamvis vero bellum hujusmodi iustif-
simum sit: prudentia tamen suadet, ne
ob qualvis levissimas injurias suscipia-
tur, e. g. si duo gentis nostræ mercato-
res ab extero rege rebus suis spoliati
sint. Nam

1) Illa dum paucorum damnum vindi-
catur, id fit cum damno reliquorum ci-
vium multo majore.

2) Toto superiore capite Grotius de-
monstravit, non suscipiendum esse bellum
etiam ob causas justas & liquidas, nisi
eandem sint maximi momenti.

3) Quamdiu aliud superest remedium,
non ad hoc violentum deveniri potest.
Atqui hoc casu aliud superest remedium,
nempe ut decernantur repressalix, de
quibus infra.

§. 3.

n. 1.

Quæstionem hic movent DD. an civis
innocens dedi possit, si res aliter compo-
ni non possit, vel bellum imminet, cui
non simus pares. E. g. Simsonem pete-
bant Philistæi ab Israelitis, quum plane
esset innocens. Quæritur an salvo jure
dedi potuerit?

Qui hanc quæstionem tractant, plerum-
que confundunt, res maxime diversas.
Alia enim quæstio est, an civis hujusmo-
di deferri possit, alia an dedi in hostium
potestatem.

De

Deferi posse, recte contra Vasquium defendunt Soto & Grotius. Nam 1) ita ipsius securitati prospicitur. Quum enim hosti dedendus non sit, nos autem illi praesidio esse non possumus: quid ipsi suaderi potest salubrius, quam ut rep. nostra excedat, & alio loco tutiore delitescat. 2) Civis salutem civitatis suae antepone-
nere tenetur, quia bonum communionis semper praefendum bono individuali. Ergo nec potest vitio vertere reip. propter ejus personam periclitanti, si haec eum excedere civitate jubeat, ne bello implicetur.

n. 2.

Gravior autem quaestio est, an tradi possit? Hic diversae sunt admodum sententiae. Soto quidem id negat, sed putat tamen civem ipsum obligatum esse, ut malit se hosti tradere, quam patriam propter se periclitari. Vasquius & id negat, adeoque nec civem ad spontaneam deditioem obligatum, nec invitum ab imperantibus dedi posse, contendit. Grotius civem non absolute teneri putat, ut sponte se dedat: sed invitum tamen aliquando dedi posse existimat. Has sententias expendemus.

n. 3.

Soto dum putat civem obstrictum esse ad deditioem spontaneam, manifesto confundit obligationem perfectam, quae ex regula justitiae, & imperfectam, quae ex honore, vel decore, vel ut paucis dicamus, ex charitate & virtute oritur.

Jure perfecto nemo innocens tenetur se poenis vel earum periculis offerre, quum
potius

potius regula iusti vetat, quemquam innocentem puniri.

Ast laudanda nonnunquam hominis virtus & charitas erga patriam, qui se ipsum periculo exponere mavult, quam rempublicam. Interim iniustus non est, si id facere nolit. E. g. Laudatur Codrus, qui pro rep. occidi se passus. Sed tamen ni voluisset, non fuisset iniustus. Est enim ea natura omnium officiorum imperfectorum, ut coactionem respuant.

§. 4.

Vasquium autem Grotius refutat, & putat non quidem teneri civem innocentem se sponte tradere, sed tradi tamen posse invitum, si imminens periculum evitari aliter nequeat. Quæ sane contradictionem sapiunt. Quæ enim non teneor facere, quomodo possum ad id cogi? Videbimus ergo rationem Grotii. Dicit, 1) officia quidem imperfecta non admittere coactionem, sed exceptionem esse in necessitate, e. g. si aqua desit omnibus, unus, cui superest, potest cogi ad illam cum reliquis communicandam. Sed resp. Id verum esse, si fiat sine alterius incommodo. Hinc si domino abriperetur aqua, ut aliis usui sit, id esset injustissimum. Ita iniustum quoque tradere civem innocentem, ut reliqui serventur.

2) Imperantem in extrema belli necessitate cives posse hosti opponere, & jubere ut moriantur potius, quam stationem deserant. Quidni igitur & innocentem tradere possit, licet ipsi exitium immineat? Resp. priore casu civis exponitur periculo.

riculo, sed hoc posteriore exitio. Illo casu se defendere potest, hoc ipsi jus defendendi intercipitur. Illi cives bello cadunt; hic in pace proditur a patria innocens.

Ergo tutissimum est, Vasquii sententiam sequi.

§. 4.

II. Bellum jure geritur pro foederatis. 1) Foedus enim est pactum liberarum societatum. Ex pacto nascitur obligatio. Qui vero agit, ad quod obligatus est, nemini facit injuriam. Ergo nec qui foederato fert opem promissam in foedere. 2) Foedera fiunt, ut impotentiores pares sint potentioribus. Atqui nostra maxime interest, ne foederatus noster impotentior opprimatur. Ergo & licite pro eo bellum gerimus.

Cessat tamen hæc obligatio, 1) si foederati bellum, sit injustum. Ad id enim gerendum obligasse nos haud videmur. 2) Si certo imminet exitus infelix. Quisque enim sibi proximus. 3) Si alter, quocum foederatus noster bellum gerit, nobis antiquiore foedere junctus sit. Tunc enim pactum prius tollit posterius, quia inter diversos initum.

§. 5.

III. Bellum geri potest pro amicis, sive amicitia ex cognatione, sive ex affinitate, sive ex alia justa & honesta causa nascatur. Amicorum enim est idem velle ac idem nolle. Inter eos veluti tacitum foedus est, adeoque pro illis idem licet, quod pro foederatis. Exempla plura sunt in prom.

promptu. Sic Abrahamus pro Lotho arma sumfit, Carthaginenses pro Tyriis cognatis.

§. 6.

IV. Causa, ob quam bellum pro aliis suscipi potest, est commune vinculum humane nature. Sed quamvis homo ad opem homini ferendam obstrictus sit: in vita tamen civili ea naturalis cognatio non sufficit, quia alias semper bellum pro aliis iuste geritur. Ergo præterea requiritur 1) vinculum aliquod commune specialius, e. g. religio, commercia & jus hospitii cum ea gente, 2) ut nostra quoque modo interfit. 3) ut tam iusta sit oppressi causa, ut omnium provocare misericordiam merito debeat.

§. 7.

n. 1. 2. Sequuntur aliquot quæstiones, quas Grotius sub finem capitis expendit. 1) An hæc obligatio, quæ ex communi vinculo humanitatis nascitur, sit absoluta & perfecta?

Id merito negatur. 1) Nam sæpe id ne quidem fieri potest. Ad impossibilia nemo obligatur. 2) Hoc officium est ex honesti regula. Virtutis est, non iustitiæ. alios defendere. E. respuit coactionem. 3) Est officium erga proximum. E. semper postponitur officiis erga se ipsum. Quare si sine incommodo & periculo nostro aliis opem ferre non possumus, satis excusati sumus.

§. 8.

n. 1. 2. 2) Quæritur, an bellum recte geratur pro subditis alienis, si scilicet ab Imperante suo opprimantur & iniuste vexentur.

Gro-

Grotius recte distinguit, an princeps tantum duriores agat principem: an vere tyrannum. Priore casu ne subditis quidem licet arma corripere, qui semel se ejus voluntati submiserunt, nedum aliis quorum non interest. Posteriore casu, si hostilem nimirum animum gerit adversus remp. non est imperans, sed hostis, in quem subditis omnia licent. Ergo nec aliis vitio verti potest, si auxilium ferant.

Sunt, qui ne adversus tyrannum quidem bellum a subditis geri posse putant. Sed Grotius contra hos eleganter disputat ex hypothese. Etsi enim concederemus id verum esse, tamen id impedimentum tantum esset personale: id est, causa belli non injusta esset, sed tantum personæ belli incapaces. Jam ubi impedimentum personale tantum est, ibi pro persona alii gerere possunt. e. g. Pupillus ipse agere contra tutorem suspectum nequit, sed alii jure agunt. Ergo quamvis & ipsi subditi bellum gerere cum principe suo non possent, possent tamen alii, qui non sunt subditi, bellum pro iis suscipere. Ergo hæc quæstio proculdubio adfirmanda.

§. 9.

3) An militiam mercenariam sequi sine discrimine liceat. Olim gentes fere omnes utebantur militia selecta, non mercenaria. Jam autem monarchico aequae ac aristocratico statui convenientior censetur militia mercenaria quam selecta. Et sane parum interest, si quis mercede conductus, si ve gratis militet pro patria. Ast jam quæ-
Rio

stio est, an sine causæ discrimine, promiscue omnibus hanc operam præstare liceat? e. g. hostibus, rebellibus, bellum injustum gerentibus, &c. Idque negat Grotius.

1) Quia in se indecorum est, pro sola mercede vendere vitam, nisi nos justitia causæ impellat. Turpes olim habiti gladiatores, qui levi auctoramento, puta pecunia, sanguinem vendebant. Quid vero interest inter hujusmodi gladiatorem & militem mercenarium?

2. 2. 3.

2) Quia hi ipsis carnificibus sunt deteriores. Hi enim iusta sententia damnatos occidunt mercede conducti: illi innocentes.

3) Non potest bellum geri nisi necessitas urgeat, adeoque est medium extraordinarium. Hi autem mercenarii ordinarium inde vivendi medium sibi fingunt.

S. 10.

4) Quia quamvis stipendium in se licitum sit, non tamen is debet esse finis & sola causa impulsiva. Sic e. g. nec injustum est ministro ecclesiæ, stipendium capere. Si tamen is solus illi & unicus finis propositus sit, non excusandus est. Eodem modo sese res habet in milite. Hunc præcipue justitia causæ impellere debet: stipendium tantum accessorium habetur. Moralia ex fine æstimantur eatenus, ut quidem res in se mala, propter finem bonum bona non fiat: bona autem in se propter malum finem fiat mala.

*De Causis justis, ut Bellum geratur ab
his qui sub alieno Imperio
sunt.*

§. 1.

HOMINES sunt vel sui juris, vel alieno juri subjecti: eaque subjectio vel ex jure gentium est, veluti servorum & filiorumfam. vel ex instituto hominum, qualis est societas civilis, ubi imperantes & subditi. De his jam agitur, & queritur, an subditi jussu summi imperantis possint salva conscientia bellum gerere, maxime si putent, causam belli esse injustam? Grotius hic duos casus distinguit. Nam aut subditis libera datur optio militandi, vel quiescendi, de quo casu §. 2. vel necessitas ipsis imponitur militandi a summo imperante. §. 3. fin.

§. 2.

Si optio datur, veluti si status est democraticus, & singuli cives ad deliberationem adhibentur, tunc easdem regulas adhibere debent, quas adhibent, qui sui juris sunt, id est imperantes:

Ita Grotius. Sed quænam illæ regulæ? Ut videant 1) an causa belli sit justa & liquida, 2) an magni momenti. 3) An is reip. status, ut eventus felix sperari queat. Hæc enim in deliberationibus præcipue debent attendi.

§. 3.

n. 1. 2. Sed quid si necessitas militandi imponatur? tunc aut ita dubitant, ut in partem negativam sint procliviores: aut ita ut plane fluctuent.

Si prius: tunc non possunt salva conscientia militare. 1) Quia contra conscientiam dubiam nihil agendum. 2) Quia magis obediendum Deo, quam hominibus, adeoque horum imperium semper intelligendum cum exceptione legis divinæ. Si enim plures sunt superiores, supremi voluntas vincit voluntatem inferioris. Sic ex. gr. pater nihil imperare potest contra leges civiles, lex civilis nihil contra divinam. Non ergo imperans potest dicere: milita, si Deus id prohibeat.

n. 3. 3) Quia necessitas quidem excusat, sed non in iis, quæ lex prohibet, & quæ injunguntur nobis ab hominibus, eo fine, ut ad peccandum inducamur. E. g. possumus quidem necessitate excusari, si fugiens injustum aggressorem hominem obvium prosternam, quia hæc malum physicum imminet a malitia hominis, & impedimentum a Dei providentia est: sed si me tyrannus occidere vellet, nisi satisfacrem, vel nisi homicidium committerem, id salva conscientia fieri nequit, quia hic tyrannus intendit, me pellicere ad peccandum.

n. 4. 5. Id variis exemplis illustrat Grotius, veluti militem Judæorum Alexandro militarium, legionis Thebæ, militum Juliani, immo & spiculatorum, qui mori maluerunt,

runt, quam Christianos occidere. Rem ipse textus satis exponit.

§. 4.

Quid vero si fluctuet animus, nec adeo liquidum sit, iustum an iniustum sit bellum? Tunc diversae sunt sententiae. n. 1.

I. Plurimi enim censent hic parendum esse subdito. Nam 1) aliud esse iudicium contemplativum, aliud activum. An bellum hoc sit iustum, hoc iudicium potest esse dubium, sed an imperanti parendum sit, de eo dubitari nequit.

2) Quia & ipsa iura civilia concedunt impunitatem iis, quibus obsequii gloria relicta fuerat.

3) Aliud esse iniustum agere, aliud iniuste. Iniustum agit, qui contra leges agit, iniuste qui scienter & voluntarie leges transgreditur. Jam qui imperio alterius, cui subjectus est agit, potest quidem iniustum & contra leges agere, sed non iniuste, nisi id faciat scienter & voluntarie. n. 2.

4) Quia leges non reddunt rationem, ergo nec imperantes. Et hinc elegans illud Philonis:

Servi tua est fortuna, ratio ad te nihil.

5) Accedit testimonium AUGUSTINI l. 1. n. 3. de Civ. D. s. 24. cujus ipsa verba habentur in textu.

II. Nihilominus tamen ADRIANUS PP. n. 4. in *Questionibus quodlibeticis* & GROTIUS putant, hic subditum salva conscientia parere non posse.

Nam & hic sufficit, militare iustum du-

bitare. In dubio autem semper eligendum; quod tutius. Tutius autem est abstinere militia, quam repugnante conscientia militare.

Laudantur ideo a Grotio Effeni & Pythagoræi, quorum hi bellum omnino rejecerint, illi jurarint, se ne iustos quidem militaturos. Sed nescio, an magis laudandi sint Pythagoræi, quam Anabaptistæ, idem olim sentientes. Et quam absurdum est ejurare militiam omnem etiam jussu superiorum suscipiendam, quum jusjurandum contra leges non valeat? *L. 5. C. de LL.*

n. 5. Objiciunt, qui aliud sentiunt: 1) ita periculum esse inobedientiæ erga imperantes. Resp. Grotius, at majus evitari periculum homicidii committendi. Ex 2. malis eligendum esse minus. Enimvero id nihili est. Ex 2. malis physicis eligendum est minus, non ex moralibus. Ergo potius respondendum, non esse hanc inobedientiam si quis neget imperanti, quod putat a Deo prohibitum. Qui Deo magis obsequitur, quam hominibus; ei nulla imputari potest inobedientia.

2) Ita remp. in extremum adduci posse periculum; sed resp. Ergo Imperantem exponere subditis debere causas belli justificas, quæ si justæ sint, facile bonis civibus persuadebunt, ut imperanti pareant.

n. 6. 3) Imperantem non teneri legum suarum rationes reddere. Resp. Grotius a) id verum esse de legibus vere & proprie dictis, & ideo refellit Tertullianum, qui ne leges quidem sine ratione valere existimat,

non

non de actibus specialibus; quæ pertinent ad conscientiam: Actus enim, de quibus leges civiles scribuntur, sunt indifferentes: aut bellum non est indifferens, sed vel justum, vel injustum.

β) Quamvis imperans rationes reddere non teneatur legum suarum: tamen sæpe id agit, si bonus sit, ut subditi eo pareant libentius. Sic ex. gr. ipse Deus potuisset Exod. XX. in eo adquiescere: *Non habebis Deos alienos coram me, sed addit rationem: Ego sum Jehova, Deus tuus, qui te ex Aegypto eduxi.* γ) Et eo etiam comparatæ sunt clarigationes & manifesta, quibus belli denunciationes fieri solent publice, ut subditi omnes statim videant, bellum esse justum, quia ut & exteri & universus orbis videat, nos bellum ex justissima causa suscepisse.

Vidimus hæc utramque sententiam, vidimus quæ pro utraque militant, rationes. Quæ ergo præferenda? Nos omnino arbitramur, temperandam esse posteriorem sententiam, nec tam crude admittendam. Nam 1) subditi sæpe rem non ita intelligunt, ut possint de justitia belli rite judicare. 2) Pro imperantibus in dubio militare debet præsumtio, quod non sine justa & urgente causa velint bellum gerere. 3) Omnino summum periculum reip. immineret, si imperans singulis rationes reddere teneretur, maxime quum rationes non semper vincant homines pertinaces. Ergo distinguimus, an injustitia belli admodum probabilis sit, an tantum dubia. Priore casu

nihil agendum contra conscientiam, posteriore parendum magistratui, quia de re, quæ ultra captum est, nec dubitare nec decidere possum.

- n. 9. Et ita etiam facile deciditur quæstio de carnifice, an possit salva conscientia hominem supplicio adficere, si dubitet? Nos enim eodem modo distinguiamus, utrum satis probabile sit, hominem injuste damnatum, tunc id salva conscientia non potest a carnifice, an talis probabilitas non obstet, tunc enim præsumere debet, judicem nihil injuste decrevisse. Jura enim carnifices intelligere non solent.

§. 5.

- n. 1. Interim facile largimur Grotio, bonum & pium Principem non facile coacturum subditos militare, si causa iis sit dubia. 1) Quia illis tributa possunt imponi, quibus facile conduci possunt milites, qui non dubitant. 2) Quia & politice periculosum esset invitos milites adversus hostem educere.

- n. 2. 3) Quia durum sit, Christianos ad militiam adigere, quum majoris sanctitatis sit, non militare.

Sed postrema ratio, quamvis testimonio Origenis confirmetur, non caret errore. In se enim nullus status altero sanctior est, adeoque nec militum status Deo ingrator quam paganorum, modo quis in statu illo leges divinas observet. Et æquè sanctus fuit Josua, bella Domini gerens, quam Sacerdos sacrificans. Socianismum & monachismum sapit hæc Grotii opinio.

Postremo querit Grotius, an arma subditorum, etiam in bello injusto, iusta esse possint? Adfirmat Grotius, si vitam & bona defendant, quæ sibi eripi ut patiantur jure perfecto obstricti non sunt subditi. Hinc fingamus Imperantem nostrum bellum injustum, etiam nobis invitis suscepisse. Fingamus exercitum nostrum cæsum, & hostem jam impressionem facere in terras nostras, an ideo tenebimur jugulum illi præbere, & nos ipsi exhibere mactandos? Minime. Agreditur nos tanquam hostis, & victoria abusus eadem nobis intonat, quam scopo potiri posset etiam sine eade. Ergo nobis licet defensione juxta illam crudelitatem hostilem a nobis amoliri. Et de ea quidem re nemo dubitat, ipsaque praxis hanc sententiam satis confirmat.



LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

*Quantum in Bello liceat, regula ex
jure naturæ generalis, ubi &
de dolis & mendacio.*

§. 1.

Monuimus sub initium Libri I. tres
esse hujus operis partes, quas com-
plexi sumus hoc versiculo:

Quid bellum, belli causæ, quæ jura-
que belli. Quæ jura belli sint, Grotius
ait definiri posse aut nude, sine prævio pa-
cto, & tunc id definitur

Vel ex jure naturæ cap. I.

Vel ex jure gentium cap. II, XVIII.

Aut ex promisso antecedente cap. XIX. ad
fin. Sæpe enim diximus aut agi cum ho-
ste tanquam cum hoste, aut tanquam cum
pacifcente. Priore casu hosti in hostem
omnia licent, at posteriore non item, sed
pacta sunt servanda.

§. 2.

n. r. Dum ergo primum quæritur hoc capite
quid J. N. liceat in bello? Grotius primum
regulas quasdam præmittit, §. 2; 4. ac de-
inde ex iis varias definit quæstiones §. 5.
ad fin.

Reg. I. Omnia licent in bello, quæ ad
finem

finem consequendum sunt necessaria. Quæ regula inde probatur. 1) quia officia moralia semper ex fine æstimanantur. Dum enim Deus vult finem, procul dubio etiam media probat, sine quibus finis obtineri nequit. 2) quia & in statu civili media etiam violenta permiffa diximus, si aliter defendere nos non possimus. Quanto magis ergo in statu naturali tantum licebit, quantum defensio & finis noster, ob quem belle gerimus, exigit.

Illustrat id exemplis quibusdam Grotius. n. 2.
Nemini possum in statu civili æque ac naturali suum detinere. Et tamen si mihi alter debet aliquid, & periculum imminet, ut solvendo sit, tunc gaudeo jure retentionis. Cur? quia finis hoc casu id exigit, qui est, ut meum consequar.

Sic & rem meam nemini eripere possum vi, sed auxilium judicis teneor implorare. Et tamen si fur mihi aliquid subtrahit, vel is qui rem meam b. f. possidet, fugam minatur, nemo dubitat, quin ei eripere possim, quod meum est, quia finis id exigit, qui est, ut rem meam consequar.

Ita & quia justum est, delinquentes n. 3.
puniri, justum quoque erit omne, quod ad hunc finem consequendum necessarium est. Hinc si fingamus rebellem civem se arci inclusisse, & militari vi se tueri. nemo dubitabit, licere arcem oppugnare, milites occidere, in quibus reus habitat, quia finis id exigit.

Ergo sequitur, ut liceat etiam in bello homines occidere, incendiis arces delere

res hostiles perdere, si id exigit finis no-
ster, qui est vel defensio, vel juris nostri
repetitio.

§. 3.

Reg. 2. Jus nostrum non ex belli prin-
cipio, sed ex belli causa spectandum &
metiendum est. Hinc sequitur.

1) Ut non defensio sit iisdem circum-
scripta limitibus, quibus læsio alterius.
E. g. si hostis nobis interceptur urbem unam,
nihil impedit, quo minus ipsi totam pro-
vinciam eripere possimus. Sufficit enim ho-
stitem adversus nos animum fovere alte-
rum.

2) Ut qui socii accedunt hostibus no-
stris, pari passu ambulent cum ipsis hosti-
bus, adeoque & eodem modo tractari pos-
sint, quamvis antea nos haud læserint.
Nec interest, bellum ex parte hostis no-
stri apertè injustum sit, an probabiliter
tantum.

§. 4.

n. 2. Tertia regula est: Quædam in bello ex
consequente justa sunt, quæ si ex propo-
sito fierent, injusta haberentur. Nam in
his quæ per consequens alteri damnum
dant, valet regula: Qui jure suo utitur,
nemini facit injuriam.

Hujus regule insignis usus est in statu
civili ac naturali. Nam inde sequitur, 1)
ut si me adversus latrones defensurus so-
cium innocentem occidam, id culpa va-
cet. 2) Ut si represaliis utamur: plus su-
mete possimus, quam debetur, modo su-
perfluum restituere parati simus. 3) Ut na-
vem

vem piraticam possumus tormentis petere, incendere, mergere, quamvis probabiliter & innocentes in nave sint.

Attamen temperamentum hic recte suadet adhibendum Grotius, ne scilicet jure illo stricto utamur, si charitas aliud jubeat. Jubet autem charitas aliud, 1) si iste actus minus sit necessarius, e. g. si navem piraticam integram capere possumus. 2) Si ex actu majus malum quam bonum expectandum, e. g. si mille homines propter unum perdamus. 3) Si manifesto videamus nos non hostibus, sed nobis ipsis damnum inferre, e. gr. Hannibal per viam angustam iter facturus, ubi utrinque Romani montes obsederant, ab utroque latere Romanos captivos proficisci jussit. Mahuerunt Romani viam dare Hannibali, quam suos perdere.

Objici posset, Deum nonnunquam punire integras gentes, quum non sit probabile, in tota gente nullum esse innocentem. Sed resp. 1) Deum tunc innocentes non punire, sed castigare tanquam pios. 2) Eum si innocentes mori jubeat, jure suo supremo uti, quali non gaudent homines. 3) Immo ne solere quidem Deum qua est clementia, ad excidium gentium festinare, si vel pauci vere innocentes sint. Legi eam in rem meretur colloquium Dei cum Abrahamo de Sodomis excindendis.

§. 5.

Jam sequuntur quaestiones, quarum 1) Jest, quid liceat adversus eos, qui hostes non sunt, hostibus tamen per indirectum opera

ferunt, commeatum, arma & similia subministrando.

Hic eleganter Grotius distinguit, 1.) inter res ipsas, an sint ad belli usum comparata, e. g. arma, pulvis pyrius. 2.) an ad voluptatem tantum, ut vinum, chartae lusoriae, &c. 3.) an & in an extra bellum usum habeant, iisque commode carere nequeamus, e. g. frumentum, pecunia, naves.

De primi generis rebus notanda regula: Qui hostibus arma & res bello necessarias subministrat, hostis est. Et hinc solent haec intercipi sub nomine *contrabanda*. Quo de jure singularis exstat *differencia nostra de navibus ob merces illicitas commissis*.

2.) De secundi generis rebus: Frustra prohibentur, quae hostes non fortiores reddunt, sed molliores, quales sunt res omnes ad voluptatem pertinentes.

Exceptio tamen addenda, quod prohiberi possunt res, quae ad necessariam militum voluptatem pertinent, sine quibus illi commode vivere nequeunt sub aere frigido & humido, e. g. vinum adustum, herba Nicotiana, &c.

3.) Circa tertium genus Grotius distinguit belli statum. Nam regulas format sequentes:

1.) Si tueri me aliter non possum, nisi ut submissa intercipiam, necessitas jus dabit, sed cum onere restituendi.

2.) Si juris executionem hujusmodi subjectio impedit, submittere tenebitur de damno dato.

3.) Si

3) Si subvehens hoc casu damnum nondum dedit, sed dare voluit, jus erit rerum retentione eum cogere, ut satisfat de futuro.

4) Si quis hostibus injustissimis, e. gr. rebellibus subvehat com meatum, criminaliter tenetur.

Sed hæ regulæ fere fundamento destituntur, nec in praxi servantur. Nam

1) Negari nequit, hostem his rebus submissis fieri fortio rem.

2) Quum in hostem hosti omnia liceant licebit etiam intercipere, quæ ipsi a tertio submittuntur, sine discrimine, an necessitas id exigat, nec ne.

Objici posset, tertium tamen jure suo, id est libertate commerciorum uti, adeoque nemini facere injuriam. Sed responderi potest ex ipsius n. 4.

Nimirum solent tempore belli publicare n. 4. edicta (placas) quibus denunciatur, bellum nobis esse cum hac vel illa gente, adeoque nos decrevisse, merces illicitas (contrebande) quæ ipsis a quocumque submittantur intercipere & confiscare. Unde additur admonitio, 1) ut navæ non nisi idoneis instandi testimoniis (passeports, connoissemens &c.) navigent, 2) ut merces certas, quæ recenseri solent, hosti non advehant, 3) ut damnum sibi imminens vitent.

Qui itaque contra hanc admonitionem faciunt, non utuntur jure suo. Possunt enim commercia cum hostibus exercere, qui neutrarum partium sunt, sed non eorum
ia-

instruere rebus ad bellum necessariis. Nam hoc si faciunt, hostes nostri sunt.

Ex quo patet, hanc prohibitionem ultra ea, quæ in bello usum habent extendi non posse, adeoque injuriam factam Belgis a Svecis, qui naves quascumque cum Danis & Russis negotiantes, intercipient, immo & in portus ab hostibus occupatos e. g. Rigam, Stetinum, Wisnariam destinatas, quamvis non adveherent merces illicitas.

- n. 5. Sub finem hujus §. rationem reddit Grotius, cur hanc quæstionem ad jus nat. referat. Nimirum, quia in historia nihil exstet, ex quo adpareat, quid gentes ea de re sanxerint. Sed 1) non opus est hac ratione. Quæ enim ex ipsa recta ratione decidi possunt, ad jus nat. pertinent. 2) Ea ratio etiam non satis liquida est. Nam omnino jam ab octingentis & pluribus annis iste mos inter gentes viguit, ut res hostibus advehendas interciperent. Exstat per rarus, sed magni momenti liber *Consularius maris* Italice scriptus, in quo Imperatorum Constantinopolitanorum, Hispanorum Gallorum & reliquarum gentium edicta huc pertinentia collecta sunt. Unde hic liber illis, qui in collegiis archithalassicis (Admiralitatibus) adstant, in magno pretio esse solet.

§. 6.

- n. 1. **Quæstio 2.** est de dolo: an eo uti in bello, & hosti damnum inferre liceat? **Ubi 1)** auctor diversas sententias recenset

§. 6.

§. 6. 2) Eam distinctionibus conatur §. 7. 8. 20.

Quod ad prius attinet : omnino fuere
 1) qui hujusmodi dolum non improba-
 runt. Idque Grotius probat a) testimoniis
 Homeri, Virgilii, Solonis, Fabii maximi,
 qui omnes concedunt, dolum contra ho-
 stes adhibitum potius laudandum, quam
 reprehendendum esse. Hinc tot libri ex-
 stant de stratagematibus, ut Polynæi, Fron-
 tini, &c.

β) Idem probat exemplis maximorum n. 2.
 imperatorum & belli ducum, quorum ideo
 sapientia consentiente omnium suffragio
 laudatur, quod hostem deceperint, e. gr.
 Ulyssis, Xenophontis, Brasidæ, Agesilai,
 &c. Immo ipsi Lacedæmonii, quibus nul-
 la gens bella sanctius gerebat, hæc furta
 belli, uti vocantur, vel stratagemata pro-
 babant.

γ) Ex principiis Juris. Jcti ceu no- n. r.
 tum semper dolo addunt epitheton, *dolus*
malus, quia norunt dari etiam dolum bo-
 num. Si quæras, quis sit dolus bonus?
 respondent, 1) quod alterius non damnum,
 sed utilitas promoveatur, 2) quo contra
 hostes utimur. L. 1. §. 3. ff. de dolo.

δ) Ex testimoniis ipsorum Theologo-
 rum, nempe AUGUSTINI *Quæst. X. super Jobi*
 & CHRYSOST. *lib. 1. de sacerdot.* Potuisset
 Grotius

ε) Aliud multo firmiter argumentum ad-
 dere, nempe quod ipse Deus stratagemata
 uti jussit Josuam, in expugnanda
 urbe Ai. Jo. VII, 2. Quod autem Deus
 non

non modo probat sed jubet, id illicitum esse nequit.

- n. 4. 2) Sunt tamen etiam, qui negant hujusmodi dolos excusandos esse, quorum generale hoc argumentum est, quod non sit faciendum malum, ut eveniat bonum. Nam 1) ita etiam probari posset, in bello non licitam esse hostium cædem, 2) est hæc petitio principii. Nam id ipsum quaeritur, an omnis dolus, & hic, quo adversus hostes utimur, in se malus sit?

S. 7.

Quare Grotius distincte procedit, quia dolus non est unius generis. Alius 1) est negativus, alius positivus. Dolus negativus consistit in dissimulatione, ubi supprimo, quod verum est, e. gr. si exercitus sine tympanorum strepitu, nocte intempesta, inscio hoste iter facit.

Dolus positivus est actus vel sermo, quo alterum circumveniamus, adeoque non in nuda dissimulatione, sed in simulatione consistit, e. g. si exercitus fugit, ut hostes in insidias pelliciat.

Dolum negativum i. e. dissimulationem non semper malum esse facile probatur:

1) Quia non semper teneor illi veritatem dicere, qui illam nec perfecto, nec imperfecto jure a me exigere potest. Si non teneor veritatem dicere, dum dissimulo, jure meo utor. Dum jure meo utor, nemini facio injuriam.

2) Saepe dissimulatio est necessaria & inevitabilis, quia aliter me defendere non possum. Qui nescit dissimulare, nescit im-

pe-

perare. Et sane bellum qui gerunt, plus quam stolidi essent, si hosti semper donu-
ciarent, quid acturi sint.

§. 8.

Dolus positivus vel in factis consistit, n. 1.
vel in verbis. Unde supra illum definitivi-
mus, quod sit actus vel sermo.

Si in factis consistit, simulatio dicitur:
si in verbis, mendacium.

Quod ad mendacium, illud probe distin-
guendum a falsiloquio. Recte enim Grotius
negat, omnem simulationem in verbis de-
prehensam esse mendacium. Verba enim
sunt signa idearum. Quemadmodum ergo
non semper ideas meas cum aliis communi-
care teneor, ita nec mentior semper, si aliud
dico quam sentio. e. g. Si me latro roget
an res pretiosas mecum feram: si infans in-
terroget medicum, an potiuncula sit ama-
ra? Ergo 1) mendacium est, ubi falsum
dico, quum alter jure a me exigere verita-
tem posset: falsiloquium, ubi alteri nullum
hujusmodi jus est. 2) Mendacium est, si
falsum dicendo alteri damnum injuria in-
fero: falsiloquium, quoties tantum meam
utilitatem promoveo, vel ipsius, cui fal-
sum quid persuadere conor.

Ergo porro distinguendum, an facta & n. 2.
verba libere significant, an ex conventionem,
e. g. quid *jus mundi* significet, nondum est
communi consensu expeditum: HENR. BO-
DINUS in dissertatione singulari de *jure mun-
di* ita vocavit jus naturæ.

Contra alia verba jam valent ex consen-
su tacito, ex usu, qui veluti iis definitio-
nem

nem imposuit, e. g. jus naturæ, & hinc absurde quis diceret, se per jus naturæ intelligere jus civile & canonicum.

De prioribus duplicem regulam suppeditat Grotius. I. Ubi nullum inde sequitur nocumentum, ibi verbis hujusmodi vel factis uti possum, quamvis alter inde aliam ideam concipiat.

II. Ubi ipsum nocumentum justum est, ibi itidem hujusmodi verbis vel factis jure utor.

n. 3 4 5. Utramque regulam exemplis illustrat Grotius. Et priorem quidem exemplis Christi Luc. XXIV, 28. Marc. VI, 48. Pauli Act. XVI, 3. Posteriolem exemplo ex Jo. VIII, 2.

§. 9.

Jam quaeritur de verbis, quæ non libere significant, sed ex conventionne hominum tacita. Nam qui his abutitur ad alterum circumveniendum, is proprie mentiri dicitur. His adversus hostem quoque uti non licere multi existimant, ob varia argumenta.

1) Ob dicta SS. quæ omne mendacium damnant. Prov. XIII, 5. Prov. XXX, 8. Pl. V, 7. Col. III, 9.

2) Ob testimonia ipsorum poetarum, qui tamen alioquin moralem philosophiam non adeo rigidam sectantur.

3) Quia quod per se turpe & vituperabile est, eo ne adversus hostes quidem uti licet. Ergo non magis licita esse mendacia, quam adulteria, supra, quibus in hostes grassantur.

Sunt

Sunt tamen, qui aliud sentiunt, qui nec ipsi suis rationibus destituuntur. Nam

1) Provocant ad exempla in sacris, ubi & emendatissimi homines sine reprehensionis nota hostes circumvenerunt. 2. Reg. XVI, 29.

2) Ad veterum Christianorum consensum. Exempla quaedam jam vidimus supra §. 6. n. 3.

3) Ad consensum philosophorum, Socratis, Platonis, Xenophontis, Ciceronis, Stoicorum, qui 1) & sapientem mentiri fatentur, e. g. si utilitatem alterius promovere possit, ut medicum decipientem aegrotum. n. 3. 4.

2) Non facta turpia dicunt, sed causam adeoque nec mentiri vel falsa loqui, sed ad decipiendum alterum vel illudendum mentiri. Contra vitio carere existimant mendacium vel propriae salutis vel alienae utilitatis causa dictum.

§. 10.

Rem expediturus Grotius distinguit 1) inter mendacium, quod imprudenti excidit, & quod sciens profert. n. 1.

Prius est, si quis falsum profert, quod verum putabat. e. g. Si dicat quis Mævium divitem esse, quem omnes pro tali habent.

Posterius, si quis tanquam verum profert, quod falsum scit esse, e. gr. si quis dicat, Mævium mortuum, quem vivere sciat.

Prius vitio caret, nisi culpa nimiae credulitatis accedat. Nam sic nullis accedit do-

dolus, nulla proeresis, immo nec culpa. Ast non vacat culpa, qui omnem famam sine auctore sparsam statim ad alios propagat, tanquam veritatem indubiam.

n. 2. Ex quo consequitur, ut nec ambiguae locutionis usus semper pro mendacio habendus sit,

1) Si ille non cum proposito decipiendi sit conjunctus.

2) Si quis salutis suae in justa causa consulat, veluti Athanasius in veste nautica fugiens, a persequentibus interrogantibus, an nosset Athanasium? Tam, inquit, novi, quam me ipsum. Quæsitus porro an procul absit, non, inquit, procul, facile eum assequeremini; si festina-retis.

3) Si ambiguitas illa simul improborum evitet quæstiones, & probis ad instructionem faciat. Sic sæpe loquutus Christus, e. gr. *Lazarus amicus noster dormit. Diruite templum, & intra triduum restau-rabo.*

Unde etiam ratio redditur, cur tot parabolis usus sit Christus, cur fabulis usi sapientes. Bene PÆDRUS:

Servitus obnoxia,
Quum, quæ volebat, non audebat di-cere,
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit jocis.

Contra ex iisdem principiis patet, con-tingere posse, ut hujusmodi loquendi ge-nus improbum habeatur:

n. 3. 1) Si Dei honos violetur, e. g. si quis
Chri-

Christianus se dicat Mahumedanum vel paganum,

2) Si amor proximi laedatur, ex. gr. si in contractibus mercator mercem corruptam & pravam laudat tanquam optimam.

3) Si reverentia superioribus debita fusque deque habeatur, e. g. si testis coram magistratu vel falsa dicat, vel ambigue ad quaestiones respondeat.

§. II.

His ergo praemissis, jam porro quaerit Grotius, in quo forma consistat mendacii, quum saepe falsiloquium vitio carere dixerimus? n. 1.

Respondet Grotius, in repugnantia cum jure existente aut manente ejus ad quem sermo dirigitur. Omne enim delictum requirit subjectum delinquens, & subjectum adversus quod delinquitur. Illud delinquit, quia jus alteri debitum vel violat vel intercipit, adversus hoc delinquitur, quia jus ejus intercipitur, & violatur, e. g. Fur violat alterius jus, nempe dominium. Contra si latroni spolia eripiuntur, is conqueri nequit, adversus se commissum esse delictum, quia nullum jus in spoliis istis habuit, quod potuerit violari.

Jam applicabimus ad mendacium. Mendax delinquit, dum alteri falsa persuadet, quum obstrictus ei sit ad veritatem aperiendam. Et alteri per mendacium fit injuria, quia jus ejus exigendi veritatem violatur. Unde fluit regula:

Ubi-

Ubi cumque alteri nec perfectum nec imperfectum jus est, veritatem exigendi, sibi falsiloquium non est mendacium, adeoque nec delictum.

n. 2.

Regulam hanc ita porro explicat Grotius, quod non sufficiat, alteri jus fuisse aliquando veritatem exigendi, sed requiratur, ut jus hoc maneat, & salvum sit. Nam jus sublatum non est jus. Quemadmodum enim quis debitum exigendi adfuisse potest, sed illud postea sublatum pacto de non petendo, acceptilatione &c. ita & jus exigendi veritatem sublatum esse potest, quo facto & mendacium non admittitur.

n. 3.

Sed quando & quomodo illud jus tollitur? 1) Consensu alterius, vel expresso, si id permittit, ut falsum dicatur, qui casus forte rarissimus, nisi quis ab altero petat, ut sibi fabulam referat. 2) Vel tacito seu potius præsumto, si prævideamus alterum id falsiloquium non ægre laturum, quo utilitas ejus promovetur, e. g. si medicus infanti persuadeat potionem esse dulcem.

§. 12.

Ex his principiis jam variis conclusiones elicit Grotius, quarum prima est, quod liceat falsiloquio uti adversus infantes, amentes. Rationem jam diximus, quod eorum promoveatur utilitas.

Unde sequitur, ut solius illusionis causa falsa proferre non liceat, adeoque vere peccant, qui infantibus falsa narrant de angelis, de spectris, de religione.

§. 13.

§. 13.

Secunda conclusio est, quod si sermo ad eum dirigitur, qui non decipitur, tertius autem inde falsam hauriat persuasionem, id non sit mendacium. Interrogans enim jus habet a me veritatem exigendi, non tertius, qui non interrogat, e. g. si viator Harlingam tendens quærat, quæ recta via sit, & ego respondeam, eundem esse occidentem versus, tertius autem Leonardiam tendens id audiat, & occidentem versus ambulet, frustra sane hic conquæretur, se a me deceptum, quum me nunquam interrogaverit. n. 1. 2.

Sic Flaccus narrabat suis, hostium urbem expugnatam, quia sciebat, exploratores adesse. Hi in castra reversi id narrabant. Hostes perterriti hoc nuncio fugam capessiebant. Hic nihil sane est, quod de Flacco potuerunt conqueri hostes, partim quod ad eos sermonem non dixerat, partim quod veritatem hostis ab hoste exigere non potest, nisi pactum antecesserit.

§. 14.

Tertia conclusio est, quoties præsumtio est, alterum falsiloquium nostrum grato animo accepturum, toties illud non est mendacium. Præsumtio enim hæc sæpe tam firma est, ut pro demonstratione sit. Quemadmodum ergo furum non committit, qui contractat rem amici: quem commodaturum certo præsumit, ita nec mendacium est, si facta proferam, si præsumtio certa sit, amicum mihi gratiam habiturum. E. g. apud PLIN. lib. 3. ep. 16. Arris

marito Pato agrotanti persuadet filium convaluisse, quum esset mortuus. Duces bellici saepe promittunt auxilium, quum nullum speretur, tantum ut animum addant.

§. 15.

n. 1. Quarta conclusio est, quod imperantes saepe falsiloquiis non injuste utantur. Sed ratio Grotii non placet. Nam & hoc jus arcessit a dominio eminente, quasi dominium eminens & ad facultatem meritiendi porrigendum sit. Potius vera ratio denuo est praesumptio, quod subditi id grato animo accepturi sint, eo quod hoc modo utilitati reip. consulatur. Eodem ergo se modo res habet, ac in falsiloquio utente adversus agrotum.

Quod autem istud jus imperantium non sit ex dominio eminente, vel inde clarissime patet, quod Deo non conveniat falsiloquium, quamvis eminentissimum sit ejus in res creatas dominium. Utilitatem autem nostram Deus & sine falsiloquio promoveri potest, quum sit sapientissimus, & mille media ipsi nota sint, quae homines ignorant.

n. 2. Illustrat hoc exemplis. Josephus tanquam pro-Rex Aegypti simulavit, se fratres pro exploratoribus & filiabus habere, ut eo modo veritatem eliceret, ut Benjaminum fratrem, quin totam Jacobi familiam in Aegyptum pelliceret.

Sic Salomon simulavit, se vivum infantem, de quo binæ meretrices litigabant, gla-

gladio divisurum, ut veritatem eliceret, utra mater sit.

Sæpe etiam imperantes legibus suis in se salubribus reip. sed civitati parum gratis falsam rationem prætexunt, ut eo facilius reperiant obsequium.

§. 16.

Quinta conclusio est, quod quoties vita innocentis aut pars aliquid aliter servari non potest, licitum sit uti falsiloquio. Hic enim improbus est, qui innocentie fruit insidias, nec perfecto nec imperfecto in veritatem exigere potest. Sic recte Michol filia Saulis celavit & occultavit Davidem maritum, nec ideo rea fuit mendacii.

§. 17.

Jam ad hostes redit auctor, quum nunc facile decidi possit tota quaestio, an hostes dolis & mendaciis circumveniri possint: adfirmare id multos jam repetit Grotius, nempe Platonem, Xenophontem, Philonem, Chrysostomum, & imprimis Eustrathium Metropolitanum, cujus luculentissima exstant scholia in Homerum. Locus a Grotio exscriptus murreretur legi.

At scholastici, & hodie ex Jesuitis quidam hoc negant, mendacio locum esse adversus hostem, contra concedunt, uti nos posse sermone ambiguo, & reservationibus mentalibus. Religiosi scilicet homines, qui hereticis negant servandam esse fidem, & tamen nefas putant decipere hostes: qui falsiloquia rejiciunt, & pro-

Mein. de Jure Belli, &c. H h bant

bant ambiguitates & reservationes mentales, id est mendacia, qui hostibus denique parant, & inter cives ipsos omnem bonam fidem tollunt, & veluti in exsilium ejiciunt.

Vere enim reservationibus istis mentalibus omnem fidem ejici in exsilium inde patet:

n. 4. 1) Quia omnes voces admittunt duplicem significationem formalem, & materialem, e. g. ire, currere, volare, equitare, vocabula hæc omnia unana habent notionem formalem, (nam significant motum ad locum.) Sed singula habent significationem suam specialem & materialem. Ire significat motum ordinarium, qui fit pedibus, currere motum extraordinarium & festinatum itidem pedibus factum, volare motum, qui fit alis, equitare motum qui fit equo. Si ergo omnia vocabula habent significationem duplicem, omnia etiam admittunt ambiguitatem.

2) Quia ita nec promissis, nec pactis, nec jurejurando alterius fidem habere possum, quum semper sit periculum, ne mihi reservationibus suis mentalibus ihudat.

3) Quia sic absurdum hoc inde defenditur, quod, quo quis est ingeniosior, eo facilius possit esse improbus.

§. 18.

Quid, ergo in tanta sententiarum diversitate sentiendum? Resp. nec verum est, omnia falsoquia adversus hostem illicita

illicita esse, nec concedendum, omnia esse licita. Nimirum distinguendum, an nobis res sit cum hoste tanquam cum hoste, & tunc illum jure decipimus, quia hostis in statu naturali nec jure perfectus nec imperfecto a me quidquam juris exigere potest. Si illum occidere rebusque spoliare possum, quidni & dolis circumvenire?

An vero agamus cum hoste tanquam cum pacifcente, tunc omnino fidem ipsi debemus servare, quia eo ipso, dum cum illo pacti sumus, ei jus perfectum dedimus, veritatem a nobis exigendi. Unde recte colligit Grotius, nec in promissis, nec in induciis, nec in colloquiis decipiendum hostem, quia ipsi jus novum dedimus.

§. 19.

Ex quo consequitur, ut & hosti jusjurandum servandum sit, e. g. si captivus jurarit, se adversus hostes per certum tempus non arma gesturum. Nam

1) Jusjurandum hoc præstitit ex pacto. Pacta & hostibus sunt servanda.

2) Jusjurandum præstatur Deo, injustum autem Deum invocari testem ab iis, qui jurant, ut fallant.

3) Si objiciatur jusjurandum hujusmodi esse vi extortum, respondetur, id negandum. Nam non omnis vis irritum reddit jusjurandum, sed vis injusta. Sic e. g. non ideo falsa proferre potest testis, quia judex seum invitum cogit ad testimonium perhibendum. Quis autem

718 *Lib. III. Cap. 1. Regula;*
dixerit, injustam esse vim, qua hostis ad-
versus hostem utitur?

§. 20.

n. 1. Quamvis vero hactenus Grotius pro-
barit, in se injustum non esse, decipere
hostem; tamen existimat, tutius & Chri-
stianæ simplicitati magis consentaneum es-
se, ab hujusmodi fraudibus & falsiloquiis
abstinere.

1) Quia ipsi gentiles hoc agnoverint.
Ii enim statuerant viro bono convenire
veritatem, maxime regibus & rerumpu-
blicarum rectoribus.

n. 2. 2) Quia Christianis imprimis a Christo
commendata est simplicitas columbina
Matth. X, 16. & omnis vanitas interdi-
cta. Matth. XII, 36.

3) Quia imitari debent Christum, cujus
in ore non est inventus dolus.

n. 3. 4) Quia laudati veteribus reges &
principes, fraudes hujusmodi adspernati,
& virtute non furtis extorquentes victo-
riam. Tale quid de Alexandro, & in-
primis de Romanis prædicatur, de qui-
bus ÆLIANUS: Romanis propriam esse vir-
tutem non per astus & dolos quasitam
victoriam.

§. 21.

Tertia questio est, an liceat hosti,
hostem adigere ad aliquid faciendum, quod
ipsi non licitum est: e. g. captivo injun-
gere, ut regem suum occidat, ut patriam
prodat. Nam

1) Hosti in hostem omnia licent, id est
in ejus corpus & bona, non in apimum
& con-

& conscientiam, ut illi imperari possint scelera.

2) Qui causam alteri dat peccandi, is & ipse peccat.

3) Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Jam nemo dixerit hostem velle, ut ab hoste sicarii adversus se emanent ex ipsis subditis. Ergo nec id faciendum aliis.

§. 22.

Sed quid si alter sponte se offerat ad hujusmodi operam nobis præstandam, e. g. ad tradendam urbem, occidendum regem, &c. ? Tunc Grotius dicit, uti nos posse ea occasione. Sed quamvis facile concedamus, id licere jure nat. de quo hic quæritur, aliud tamen obtinet moribus gentium humaniorum, quæ regum etiam hostium personas sacrosanctas habent, nec eos putant per sicarios occidendos. Laudem meretur Fabricius, qui medicum Pyrrhi sibi offerentem, quod veneno tollere velit regem, ad dominum transmisit, rogavitque, ut sibi de veneno caveret. Multa jure stricto licita sunt, quæ non probat mox gentium humaniorum, (la raison de guerre) de quo agitur jam capitibus sequentibus.

C A P U T II.

*Quomodo jura gentium bona subditorum præ
debita Imperantium obligentur,
ubi de repressaliis.*

§. I.

n. 1.

HActenus quid ex jure nat. in bello liceat: jam de jure gentium. Jam sæpe monuimus, jus gentium a jure nat. diversum haud dari, sed esse ipsum jus nat. negotiis gentium applicatum. Sed si per jus gentium intelligas mores a variis gentibus humanioribus introductos: tunc hæc capita, quæ sequuntur, usum habent.

Et hoc quidem capite acturus Grotius de REPRESSALIIS, primo querit, an ex facto alieno quis possit obligari. Per repressalias enim ob debita imperantium res subditorum intercipiuntur.

Recte resp. jure nat. ex facto alieno neminem teneri. Sive enim obligatio profiscatur ex contractu, sive ex delicto, utrobique fundamentum obligationis est factum, i. e. promissum vel maleficium. Tertius autem non promisit nec deliquit. E. nec obligatur.

n. 2.

Nec aliter res se habet in universitatibus. Ea constat ex singulis, collective sumtis, sed non singuli constituunt universalitatem separatim. Ergo, quod universitas debet, non potest J. N. a singulis civibus exigi in solidum: sed id primo
sol-

Solvendam ex bonis universitatis: si hæc non sufficiant, singuli tantum pro rata tenentur, quia pars sunt universitatis.

Hæc omnia ex ipso jure civili illustrat Grotius, veluti ex *L. un. C. ut nullus ex vicar. ex titulis*, ne filius pro patre, ne pater pro filio, ne maritus pro uxore &c. Colligit etiam eas leges, ex quibus adparet, singulos ex debito universitatis conveniri non posse. Quæ quidem recte se habent, si inde colligas jus civile ea in re servare principia juris nat. Alioquin ex jure civili jus nat. probari nequit.

§. 2.

Quum ergo J. N. neminem pro alio obliget: quaeritur 2) an non jus gentium hujusmodi obligationem introduxerit?

n. 1.

Affirmat. Nam experientia docet, solere ob debita vel imperantium vel reip. bona privatorum arresto obstringi, & tandiu detineri, donec satisfactum fuerit. Id quum ex jure nat. non esse demonstratum sit §. 1. ex jure gentium voluntario esse putat Grotius, quod usu ex gente & humanis necessitatibus introductum est.

Sed si recte ponas calculum, falsum est, hoc ex jure nat. non posse defendi. Ipse enim Grotius no. 2. fatetur, hoc naturæ non repugnare. Id paullo accuratius probabimus. Nam 1) certum est, rempublicam ratione alterius reip. considerari tanquam unam personam moralem. Ergo quod imperans debet, omnes, id est, tota natio, quæ in remp. coahuit, debere.

n. 2.

consentur. 2) Ergo si imperans solvere vel non vult, vel non potest, nihil superest, quam ut natio creditrix ipsa sibi jus dicat, & res alterius nationis intercipiat. 3) Subditis tunc non fit injuria, quia dum voluntates suas voluntati imperantium submiserunt, etiam quasi fidejusserunt pro factis summi imperantis. 4) A majore ad minus argumentari possumus, si licet in bello propter facta imperantis vita & bonis spoliare subditos, quidni bonis ob imperantis debita? Accedit 5) quod is cujus bona intercepta sunt, regressum habet adversus imperantem vel concives, ut indemnis praestetur. Denique 6) proprie civibus bona non intercipiuntur, sed pignoris instar capiuntur, detinenturque tam diu, donec satisfactum sit. Si ergo imperans vel resp. cives non vult rebus spoliari, solvat quod debet.

Quae quum ita sint, nihil causae est, quare hoc jus ex jure quodam gentium a jure nat. diverso repetamus.

§. 3.

n. v. 2.
3. 4.

Ceterum jam rem exemplis illustrat Grotius, docetque, ex moribus gentium aliquando homines, aliquando res fuisse adprehensas ob debitum imperantium.

Homines aliquando fuisse interceptos demonstratur 1) ex lege Attica, quae si caedes a gente vicina facta, nec vindicata esset, propinquis concessit tres homines comprehendere ex ea natione, donec supplicium ab homicida fuerit sumtum.

Hi

Hi ergo homines adprehensi non erant servi, sed obsides, quibus imminerat triste servitutis fatum, nisi civitas supplicium sumeret.

An hoc injustum? Minime, ut enim justo bello capimus privatos ob facta summorum imperantium, ut eos ad pacem cogamus: ita licebit & capere homines, non ut ab iis supplicium sumamus, sed ut hoc modo cogantur imperantes, supplicium a fontibus sumere.

Specialem legem Aristocratis hic adfert Grotius, & an juste reprehensa sit a Demosthene quærit. Aristocrates legem rogaverat, ut si quis exterus Charidemum occidisset, is undique abripi posset, si quis ei obsisteret, is hostis loco esset.

Reprehendit id Demosthenes 1) quod non distinxerit, an jure an injuria cæsus sit Charidemus, 2) quod non exegerit, ut prius postuletur judicium, 3) quod non eos apud quos facta sit cædes, sed a quibus receptus sit homicida teneri voluerit, 4) quod inde bellum nascatur.

Sed respondet Grotius recte Demosthenem non ubique rem acutè attigisse. Verum est, 1) distinguendam fuisse causam cædis justam & injustam. Quid enim si quis Charidemum ex moderamine inculpatae tutelæ vel in adulterio deprehensum occidisset? Justa quoque est criminatio. 2) Nam non prius nobis tempore pacis jus est repressaliis vel aliis violentis remediis uti, quam altera resp. a nobis requisita jus vel satisfactionem denegaverit. At

tertia & quarta causa nihili sunt. Nam qui receptum dat æque particeps fit delicti, ac ipse delinquens. Nec statim resp. quæ homines illos detinet, dici potest bellum movere, quum parata sit, eos reddere, simulac satisfactum sit.

n. 5.

Demonstrat Grotius eandem thesin 2) iis exemplis, ubi homines eorum capti, qui nostros homines injuria captos detinent. Sic e. g. quum Carthaginenses capere vel- lent Aristonem Tyrium, obstitere cives, causati, sibi tunc idem fatum imminere in variis emporiis. Siverunt ergo, morem jam iis temporibus viguisse, ut pro captivo alii caperentur.

§. 4.

Sed frequentius manus injiciuntur REBUS, & id jus vocatur proprie REPRES- SALLÆ, Græcis *ἡ χυλασμός*, Saxonibus & Anglis *Witternamium* a Germanico *Widerneemen* recipere, Gallis *litteras mar- ca* a Celtico *mark*, quod significat limi- tem, unde *Markgraf*, comes limitaneus, quia in finibus imperii custodes constituun- tur, qui res exterorum intercipient.

Et hoc jus locum habet semper, etiam in pace, modo nobis nostrisque vis denegetur.

§. 5.

n. 1.

Sed quæritur 3) quando jus denegari dicatur? Resp. 1) si in fontes jus plane obtineri nequeat. 2) si in re minime dubia contra jus aperte judicetur. 3) si exse- quutio denegetur.

Possent objici, rem judicatam pro veri- tate haberi, adeoque sententiam injustam dici

dicti non posse, si vires rei judicatz acciperit. Sed resp. Grotius, id quidem inter cives locum habere, quibus aut appellandum, aut sententiæ parendum, non inter diversas gentes.

Ratio differentiz est, quia totum jus de effectu rei judicatz est ex jure civili, non ex jure naturæ. Jam jus civile cives quidem ejusdem reip. non diversarum rerump. subditos tenet.

Hoc jus antiquissimum esse pluribus exemplis potest demonstrari. Elegans est exemplum Nestoris apud Homerum. Antiquum etiam exemplum Aristodemi apud Liv. L. 2. & Dionys. Halic. Lib. 7.

Quamvis vero exempla non faciant jus: vel inde tamen patet, mature admodum gentes id pro remedio justo & æquo habuisse.

§. 6.

Queritur 4) an & in vitam subditorum ex his causis aliquid liceat? Id negat auctor, & recte quidem. Nam

1) Ex debitis civilibus vita non obligatur, sed bona.

2) Si crimen admissum, sive a singulis, sive ab universitate, non alius pro alio, nec unus pro tota rep. tenetur, sed delicta tenent suos auctores, nisi id per conspirationem omnium factum, tunc in singulos pœna cadit.

3) Si objiciatur, atqui voluntates civium subjici voluntati summi imperantis: resp. et cives non gaudere facultate illa naturali in vitam suam, ut eam obligare possint pro aliis.

Hh 6 Aliud

Aliud itaque dicendum, si cædes civis innocenti fiat per accidens, e. g. si imperans iussit navem exteram intercipi, & nautica turba id vi impedire conata est.

§. 7.

2. 1. Sub finem monet, non confundenda in hac materia esse, quæ sunt juris civilis, & quæ proprie juris gentium. Aliqui enim superaddere solent leges civiles unius vel alterius gentis, quæ non apud omnes gentes receptæ sunt.

Immo & pactis inter gentes initis quædam introducuntur, quæ non ubique obtinent.

2. 2. Id jam exemplis declarat Auctor. Nam

1.) Ex jure gentium non tenentur his oppignorationibus, nisi bona civium & subditorum, sive indigenæ, sive advenæ sint, modo sint subditi permanentes. Nam cives temporarii, vel transeuntes oppignorationibus premi absurdum esset e. g. si Anglicanus mercator ex Gallia veniens ob debitum Gallicanum arresto constringeretur.

2.) Nec eo jure tenentur legati, quorum res æque ac personæ ab omni vi immunæ esse debent.

Ex aliis personis nemo excipitur.

2. 3. Ast jus civile privilegiis munit & alias personas e. g. mulieres, infantes, studiosos, de quibus imprimis consulenda famosa illa auth. habita C. ne fil. pro patr. mercatores, qui ad mercatores publicos veniunt.

Ita & jus G. certum modum procedendi non præscribit. Jus civile præscribit, nempe, ut captis rebus citentur ii quorum

interest, iisque ex rebus divenditis tantum addicitur, quantum sibi deberi probaverit.

Ceterum utroque jure nat. & civ. expeditum est, eum qui occasionem de repressaliis dedit denegata solutione, alteri qui damnus passus, teneri ad indemnitatem. Fundamentum enim generale huc quadrat: Nemo debet cum alterius damno locupletior fieri. Sed sæpe hic accidit, ut damnus passus non jus desit, sed exsecutio, si cum imperante vel rep. illis res sit.

C A P U T III.

*De bello iusto sive solemniter iure gentium,
ubi de indictione.*

§. I.

Bellum dicitur iustum trifariam: vel ratione causæ, quia ob justam causam indicitur, vel ratione effectus, quia pie & secundum iustitiæ regulas geritur, vel ratione formæ, quia ab iis geritur, qui gerere possunt, & solemniter ritu indicitur. De prima significatione actum Lib. 2. de secunda videbimus cap. 4. seq. hic de tertia agitur.

Quid ergo hic bellum iustum? Est bellum a rebus publicis vel earum imperantibus decretum. Privati enim quum non gaudeant jure bella gerendi in statu civili, sed bellum sit concertatio societatum libe-

Liberarum: consequens est, ut si privati bellum gerant, id non sit bellum sed latrocinium, eoque pertinent. *L. 118. ff. de V. S. & L. 24. ff. de capt. & postl.* Ex eodem sequitur, ut bella civilia inter membra ejusdem reip. gesta non sint bella justa. Unde & Romani negabant, captivos in bello civili fieri servos. *L. 21. §. 1. ff. de capt. & postl.*

Secundo additur solemniter indictum. Et hoc non tam ex jure nat. quam ex moribus gentium est. Gens enim gentem ea in re imitata est, ita tamen ut ritus indicendi bellum sint diversissimi, uti infra videbimus *S. 1. seq.*

S. 2.

n. 1. 2.

Quum ergo dixerimus bellum justum dici, quod a rebusp. decretum est: quaeritur, an si resp. bellum ob causas injustas suscipit, nihilominus ea justum bellum gerere videatur? an non potius sic civitas degeneret in coetum latronum.

Resp. ratione primæ acceptionis vocis *justum bellum* hujusmodi civitas a latronum coetu non differt: & eatenus, recte Scythæ Alexandrum M. vocarunt latronem gentium. Utrunque enim vis sine justa causa inferitur.

Ast ratione tertiæ significationis, de qua agimus, magna est inter hujusmodi remp. quæ bellum sine justa causa gerit, & inter coetum latronum differentia. Nam

1) Maxime differunt sine. Civitas consociatur juris fruendi vel securitatis suæ causa: latrones sociantur criminis patrændi causa.

2) Ci-

2) Civitas jus exteris administrat: latrones communes omnium hostes se profitentur.

3) A latronibus capti non fiunt capientium, quia iustus titulus manifesto deest: capti a gentibus licet injustum bellum gerentibus tamen in dominium capientium rediguntur.

n. 3.

4) De latronibus non triumphabant Romani: de gentibus injusta bella gerentibus triumphabant. Quamvis hoc ad jus Rom. publicum pertineat, quum aliae gentes triumphum non admiserint.

Ratio discriminis est, quia latrones sunt plane personae inhabiles ad bellum gerendum: gentes autem in se sunt habiles, quamvis aliquando in explicatione juris sui, & in ponderanda causa belli fallantur.

§. 3.

Quemadmodum vere recte dixerit Grotius, societatem latronum esse injustam & illegitamam: potest tamen fieri, ut legitimus fiat exercitus, vel plane legitima civitas.

1) Si reip. operas addicant, ut Jephtha. Elegans exemplum est apud DITHMARUM in *Hist. Lib. 7.* de Hentico Aucupe Germanorum Rege. Quum ex una parte Hungari, ex altera Sclavi & Veneti Germaniam devastarent: veniam publice promulgari iussit omnibus furibus & latronibus, si adversus Venetos praedatum exire, & a civium rebus abstinere velint. Statim aliquot millia horum hominum se obtulerunt, qui in suburbis civitatum collocati insigni clade affecerunt Germaniae hostes.

2) Si

2) Si in civitatem coalescant. Exemplo
Romulus ejusque coetus.

§. 4.

Quum autem societas libera vel resp.
tantum bellum justum gerat : quæritur
porro, quænam pro tali habenda sit?

Resp. quæ est independens, vel quæ ha-
bet summum imperium. Hinc municipia,
quamvis quodammodo sint resp. ab aliis
separatæ, non tamen sunt societas libe-
ræ, quia alterius subjectæ imperio. Ali-
quando contingit, ut civitas pro parte sit
independens, pro parte ab alio depen-
dens, tunc pro illa etiam parte bellum
justum gerit. Sic nemo dubitat, quin Rex
Prussæ, ratione ejus regni possit bellum
gerere cum unoquoque, etiam cum ipso
imperatore. Sed ratione reliquarum pro-
vinciarum recte quidem bellum gerit cum
exteris, sed non cum imperatore & im-
perio, nec cum constatibus, quia ratione
priorum subjectione quadam impeditur,
ratione posteriorum est civis Imp. adeoque
in judiciis Imp. actionem instituere & su-
scipere tenetur.

§. 5.

Pergimus ad alteram capitis partem,
nempe ad indictionem vel denunciationem
belli. Ita enim inter gentes humaniores
receptum, ut non alias incautas & nihil ma-
li metuentes opprimant, sed prius indi-
cant, & denuncient. Ea denunciatio fie-
bat variis modis.

1) Apud Romanos per faciales hastam
sanguineam projicientes in fines hostiles
cum

De bello iusto jure gentium &c. 731
cum solemnī precatione, quæ existat apud
Liv. L. 1. c. 32.

2) Apud Turcas fit proposita cauda
equina, ex qua unusquisque videre possit,
bellum esse decretum.

3) Apud reliquas gentes id fit per cla-
rigationem & Manifesta, uti vocant. Id
est publico scripto explicantur causæ bel-
li justificæ, addita denunciatione. Id ve-
ro scriptum deinde quibusdam locis a præ-
cone sub tubarum & tympanorum clan-
gore recitari solet. Ritus itaque diversissi-
mi sunt.

§. 6.

Jam quærit 1) ex quo jure hæc fit de-
nunciatio? Resp. distinguenda esse ea quæ
sint I. N. ab iis, quæ juris gentium, vel
plane juris civilis, de jure N. & G. agi-
tur hoc §. de jure civili §. 8.

Naturali jure denunciationem requiri;
probari nequit. Quum enim 1) hosti in
hostem in infinitum omnia liceant: lice-
bit etiam eundem incautum opprimere.
2) Ubi alter manifesto lædit, & satisfac-
tionem denegat, causæ justitiæ ipsa illi
bellum indicit. Elegans huc pertinet judi-
cium Æliani, ab Auctore exscriptum.

Idem I. N. tamen requirit, 1) ut si
causæ sit dubia prius colloquiis vel disce-
patione tentemus pacem conservare, de
quibus supra.

2) Ut si causæ etiam sit liquida, inter-
pellatio tamen fiat, ut sciamus paratusne
sit hostis ad satisfaciendum, nec ne. Nam
si satisfacit, bellum merito cessat.

Hæc

Hæc solum rationem habent ex jure naturæ idoneam.

n. 3.

Addit Grotius, etiam ubi ex regulis justæ non requiritur indictio vel denunciatio, tamen eam esse laudabilem ex regulis honesti vel virtutis,

1) Quia ita datur hosti spatium poenitendi, immo. & impellitur eo magis ad poenitentiam, si videt, jam rem ad teli jactum venire.

2) Quia ita demonstratur studium pacis, quod semper bono imperanti debet bello esse potius.

3) Quia Deus ipse hoc jussit Deut. XI, 11.

Quid vero jus gentium addidit? 1) necessitatem, ut omne bellum justum indicatur; 2) solemnitatem, ut certis ritibus, quos tamen non determinat, indicatur; 3) effectum, ut bellum solemne certos effectus produceret, qui in minus solemnibus non reperitur.

§. 7.

n. 1.

Quæritur 2) quoruplex sit hæc indictio? Resp. vel conditionata vel pura:

Conditionata, quando conjungitur cum rerum repetitione. Nisi nobis intra 60 dies satisfiat, bellum indicemus. Adde exemplum ex Livio a Grotio adductum.

Putat, ubi nulla amplius repetitio adjicitur. Quod fit 1) in bello defensivo, 2) si satisfactio jam denegata, 3) si factum infectum fieri nequit.

n. 2. 3.

An autem si semel sub conditione bellum indictum, & non sequuta satisfactio, tunc eo pure fieri & sic repeti debet. Non est
necessa-

De bello iusto iure Gentium &c. 735
necessarium. Quæ enim sub conditione
sunt, existente conditione purificantur.

Sed aliquando tamen huiusmodi denun-
tiationem eo casu repetitam novimus.
Exempla habet ipse Grotius.

Sed multa sunt, quæ supervacua, quia
supervacua non nocent. Quo & id retu-
leris, quod plerumque bellum ab utraque
parte indicitur, & indictio adeo sit reci-
proca, quum tamen sufficiat, eam ab una
parte factam.

§. 8.

Jam querit, quid ex jure singularum
gentium civili accesserit? Resp. solemnita-
tatum determinatio. Tales erunt apud
Græcos caduceus, id est baculus implica-
tis serpentibus ornatus, qualem Mercurio
attribuunt. Apud Romanos sagmina, id
est, herbe ex pomeriis petite, quibus
instructi sacrosancti & inviolabiles habe-
bantur. Vid. L. 8. §. 1. ff. de rer. divis.
hasta sanguinolenta, quam faciales in fi-
nes hostium mittebant, de qua Liv. lib. 1.
cap. 81. & hujus generis alia, de quibus
supra. Hæc omnia ad ritus pertinent. Ri-
tus sunt arbitrarii, adeoque ex singula-
rum gentium legibus moribusque origi-
nem ducunt.

§. 9.

Jam de effectibus hujus indictionis.
Quorum primus est, quod bellum indi-
ctum imperanti vel reip. etiam subditis
censeatur indictum, immo & sociis, vel
qui jam sunt in federe, vel qui se postea
illis adjungunt.

Ratio

Ratio facilis. Nam 1) subditi cum imperante unam constituunt personam moralem, ob submissam ei voluntatem, adeoque & imperante declarato hoste, ipsi quoque hostes censentur. 2) Ratione lociorum, ne dubitandi quidem est ratio, quum qui hostem meum iuvat, procul dubio hostis sit. Ergo & jure meritoque eodem loco habetur.

§. 10.

Inde ergo sequitur, ut adversus socios nulla nova opus sit indictione, quia dum se hosti nostro injungunt, sibi ipsi videntur bellum inferre. Hinc Antiocho hoste declarato, Ætolis bellum separatim indicabatur a Rom.

Sed exceptio tamen est, si bellum cum hoste finitum sit, & jam socius vindictæ causa bello petatur, tunc enim omnino id bellum denunciandum & indicendum. Nam priore casu bellum adversus socium decretum considerabatur, tanquam accessorium. Hoc posteriore est principale, adeoque & novam requirit indictionem. Hinc negabat Cato justum bellum cum Arionisto gessisse Cæsarem. Venerat Arionistus auxilio Gallis adversus Æduos. Ergo si tunc Cæsar cum Gallis istis bellum gessisset, adversus Arionistum nulla opus fuisset nova denunciatione. Ast finito bello, & subjugatis Æduis, tunc demum Cæsar inconsulto populo & privata auctoritate bellum ei inferbat. Unde Cato, homo antiquæ disciplinæ, Cæsarem per foeciales Germanis sedendum esse censebat.

§. 11,

§. 11.

Quæritur autem, cur indictione opus fuerit ad effectus quosdam belli, veluti, ut captivi fierent servi, ut res captæ in dominium capientis transfrent &c.

Multi eam reddunt rationem, ne tam dolo quam vi aperta hostes adgredi videretur resp. Sed ea ratione uti possumus, si quæstio esset, cur honesta sit ea belli indictio? Nunc autem quæritur, cur in bello indicto captivi fiant servi, non item in bellis haud indictis?

Hic meliorem rationem commentatus est Grotius, nempe quia alias vix constaret, jussu reip. bellum gerant duces, an privato ausu. Privati enim bellum justum non gerunt. Privatos autem bellum non gerere, sed rempublicam, ex indictione sollemni adparet.

§. 12.

Objici posset, sæpe tamen etiam in bellis minus indictis effectus hos fuisse observatos. Sic aliquando & captivi bellis civilibus in servitutem redacti sunt. Pompejus & de piratis, Cæsar & de Pompejo triumphavit. Romani & provincias gallicas retinuerunt, quas à Cæsare bello minus sollemni occupatas noverant.

Sed resp. distinguendum esse, quod fit de facto, ab eo, quod fit de jure. In bello is, qui altero potentior est multa agit, quæ non probanda sunt, sed tamen ideo non tanquam justa habenda. Exempla docent, quid fiat, non quid fieri debeat.

§. 13.

§. 13.

Quæritur porro, an bellum indictum statim geri possit? Id aliqui negant, ex ea ratione, quod spatium indulgendum sit hosti, intra quod satisfactionem hactenus denegatam præstare possit.

Sed hi iudice Grotio falluntur. Quod perspicue potest demonstrari. Nam 1) bellum indici non solet nec debet, nisi tentata concordia & rebus repetitis. Id si semel factum, quid opus nova mora? 2) Supra docuimus, indictionem esse vel puram vel conditionatam. In pura nullum spatium indulgetur hosti. E. & non opus est mora. In conditionata mora indulgetur, non ex necessitate, sed ex arbitrio nostro, quia semel ei certum spatium præfiximus.

§. 14.

Postrema quæstio est, an legatis violatis indictionem belli opus sit? Ea hodie non magni momenti, quia bellum per legatos indici non solet, uti ante 100. annos, quum legati vel heroldi, uti vocabantur, mitterentur hastati, qui litteras deterrent. Sed tamen si vel maxime is mos etiamnum vigeret, tamen sola violatio legatorum non esset sufficiens causa omittendi indictionem, quæ & per litteras fieri potest.

C A P U T IV.

De jure interficiendi Hostes in bello solemni, Et alia vi in Corpus.

§. 1.

Diximus belli solemnis plures esse effectus, qui non deprehendantur in bello non indicto: tales effectus sunt

- 1) Jus occidendi hostes, de quo cap. 4.
- 2) Jus res hostium vastandi & eripiendi, cap. 5.
- 3) Jus captivos sibi vindicandi, cap. 6.
- 4) Jus imperandi victis, de quo cap. 7.

Hic queritur de jure occidendi hostes, ubi denuo dispiciendum: 1) an hostes interficere liceat? §. 1. 5. 2) Quos interficere liceat? §. 6. 14. 3) Quomodo occidere vel corporibus eorum vim inferre liceat? §. 15. 19.

Quod ad primam questionem attinet, Grotius adducit verba Virgilii,

Tum, (si scilicet bellum indictum,)
certare odus, tum res rapuisse licet,

Ad quæ verba observat ex Servio Scholiasta 1) quod colludat poeta ad vetus jus faciale Romanorum, ex quo bello indicto in hostem omnia licere censebatur. 2) Quod rapere hic non in sensu maligno accipiendum sit de raptu illicito, sed idem significet, ac vim inferre. Ea omnia facilia. Sed id disputatur præcipue, quo sensu hæc LICERE dicantur?

§. 2.

n. 1.

Observat Grotius, licere aliquid non dici uno sensu. Nam 1) dicitur licere id, quod sua natura justum & rectum est, etiamsi forte aliud fieri possit rectius. e. g. Licet unicuique exigere a debitore, quod debet, quamvis laudabilius sit, & debitum remittere. Licet unicuique injuriarum actionem instituere, quamvis forte rectius acturus esset, si injuriam dissimularet. Et eo pertinet illud Apostoli 1. Cor. VI, 17. *Omnia licent mihi, sed non omnia expediunt.*

n. 2.

2) Licere etiam dicuntur ea, quae in se non quidem pia & honesta sunt, sed tamen apud homines non subjacent poenae. Sic scortatio apud Romanos extra poenam erat, apud Germanos veteres latrocinari, apud Lacedaemonios & Aegyptios furari. Licebat ergo his gentibus scortari, latrocinari, furari, sed tamen ideo haec vitia non erant honesta. Illa philosophi perfecte, haec imperfecte licita adpellant. Et hinc tot distinctiones eorum 1) inter id, quod licet, & quod decet, 2) inter id quod licet, & quod oportet. Vide loca ab ipso auctore allegata.

n. 3.

Jam quaeritur, quo sensu LICERE dicitur hostem occidere. Grotius hic singularem fovet sententiam, putatque, posteriore tantum sensu licere, non quod id justum & bonum sit, sed quod impune id fiat. Hinc sub finem addit, ideo licitum dici hoc homicidium in hostibus admissum, quia

quia ubicumque deprehensus miles non possit tanquam homicida puniri.

Sed hic manifesto hypothesis suis, quas in religione peculiare admodum fovebat, servit. Nam si imperfecte tantum licet occidere hostes, semper in foro conscientiae miles erit homicidii reus, quamvis poenis humanis exemptus, adeoque nec ullus miles spem habeat vitae aeternae, quum tamen S. S. doceat, & Davidem, & Centurionem Capernaumiticum, & centurionem Caesariensem in statu gratiae fuisse. 2) Grotius ipse supra lib. 1. cap. 2. docuit, bellum & jure divino naturali & positivo justum & perfecte licitum esse. Jam si bellum probat Deus, probat & media, sine quibus bellum geri non potest. Quis autem sibi concipiet bellum sine caede hominum gerendum? Ergo rectius statuitur perfecte licere hosti in hostem & caedibus uti, si aliter res componi & pax obtineri nequeat, idque ex eo fundamento, quia & contra privatum licet uti moderamine inculpatae tutelae.

§. 5.

Ceterum impunitatem a gentibus tributam esse illis, qui hostem occidissent, suo more ex variis testimoniis veterum probat Grotius, & quidem:

1) Ex proverbio: Purus profecto est, quisquis hostem occiderit. Atqui proverbia sunt testimonia antiquae sapientiae, & quae communis de re quadam fuerit veterum sententia, optime docent.

2) Ex ritu Graecorum, quibus nefas visum cibum fumere, vel lavare cum eo;

Hein. de Jure Belli, &c.

Ii qui

qui hominem occiderit, præterquam in bello.

3) Addit testimonia LIVII, l. 26. 27. 21. Cæsaris, Josephi, Papinii, ubi sæpissime fatentur veteres hi auctores, occidere licere hostes jure gentium?

Sed quid opus est tot ambagibus demonstrationum. Si enim quaestio est de jure naturæ, an id liceat? facilius id probari potuisset ex principio socialitatis, quia societas humana consistere nequit, nisi hostes, nobis intentantes perniciem liceret occidere, ceu exemplo Judæorum patet, qui nefas putabant contra Pompejum arma ferre sabbatho.

Sic de jure gentium queritur voluntario, id est de eo jure, quod gentes ex mente Grotii sibi ipsæ constituerunt: sufficeret ad probationem dixisse, quod nulla unquam gens ab O. C. ad nostra tempora bellum sicum sine cæde & sanguine gesserit, vel militibus suis persuaserit, nefas esse hostem occidere.

B. 2.

Sed denuo Grotius monet, quando veteres hanc cædem hostium jus belli vocant, intelligendam tantum esse impunitam, non jus aliquod perfectum: nam ipsos fateri veteres, 1) in bello innocentes cadere, 2) laudari ab illis, qui justo jure se abstinere. LIV. lib. 3. c. 1. 3) Quod Cypriano, Senecæ, Lactantio & Luciano bellum vocatur peccatum publice licitum, item jus sceleri datum.

Hæc quamvis speciosa, non tamen favent Grotio. Nam 1) quod & innocentes cadunt.

cadunt in bellis, id non per se & absolute fit, sed ut philosophi loquuntur per accidens: idque boni principes & bellicaces pro virili cavent. Non autem innocentes sunt, qui armâ contra nos ferunt.

1) Laudantur illi, qui isto jure abstinere: sed sæpe honestum est, & rebus perfecte licitis se abstinere, e. g. debita exigere a paupere, injuriarum agere &c. 3) Cyprianus, Seneca, Lactantius, Lucanus recte intelligendi: loquuntur hypothetice. Si homo non peccasset, vel ut Stoici, si mens humana non immerfa esset tot materiz fluctibus, nemo bellum gereret. At jam, inquit, malitia hominum effecit, ut & sceleri, nempe homicidio, jus addendum fuerit in bello.

§. 6.

Quam ergo hoc liceat in bello: quarritur, quos in bello occidi fas sit? Quum enim cives sint vel perpetui, vel temporarii, itemque vel originarii, vel adventitii: quarritur, an omnes jus tam rigidum feriat? Resp. Grotius, omnes, qui intra fines sunt hostium, vel uti jus fœderis Romanorum habet, qui intra præfidia hostes sunt. Nam 1) dum apud hostes manent, & solum non vertunt, hostilem ostendunt animum. 2) Dum hostilibus reip. in qua degunt, vectigalia tributare solvunt, ei commeatum advehunt, stipendiave faciunt, nos adficiunt damno, adeoque satis causæ est, eos tanquam hostes persequendi.

Quum autem cives temporarii & adventitii

tigii sint duorum generum, siquidem alii fervente jam bello se ad hostes conferunt, alii ante bellum sedes sibi iis locis bona fide delegerunt: quæritur, an ad omnes promiscue jus illud rigidum pertineat? Respondet Grotius, de prioribus nullam esse dubitandi causam. Qui enim fervente jam bello, hostibus nostris se adjungit, is procul dubio hostis est. Ast de posterioribus videamus.

§. 7.

Hi quoque pro hostibus habentur, sed non pure, sed sub conditione, si intra modicum temporis spatium non discedant, & in patriam revertantur. Ita Grotius.

Sed distinguendum tamen esse recte ratio docet, 1) an civis noster apud hostes sit, an alius. Si prius, tunc locum habet Grotii decisio. Et hinc origo avocatoriorum, quæ vocant, quibus publice propositis jubentur cives nostri hostium præsidia, castra, urbes intra certum temporis spatium deserere, addita comminatione, eos alioquin non pro hostibus, sed desertoribus & transfugis habitum iri. Posteriore casu mitius habendi sunt cives exteri, siquidem pro hostibus quidem habentur, sed non poena aliqua adficiuntur.

2) Distingu. an possint discedere, necne. Posteriore enim casu ignoscendum est illis, quos necessitas apud hostes retinet.

§. 8.

n. 1. Redit ad hostes ipsos Auctor, quæritque quos occidere liceat? Resp. omnes.
1) Quia bellum regi vel reip. indictum
civi-

civibus quoque indictum intelligitur, cetera supra demonstravimus. 2) Quia ut saepe monuimus in rep. est una voluntas, siquidem omnes voluntatem suam vel uni, vel paucis, vel plurimis submiserunt. Ergo tota resp. vult, quod imperans vult, adeoque quum omnes subditi habeant pro hostibus, quos rex vel imperans habet, sequitur, ut & omnes tanquam hostes occidi possint.

Quum ergo hoc jus occidendi sit ex ipsa hostium persona; consequens est, ut illos occidere liceat, sine loci discrimine. Hinc occidi hostes possunt in solo nostro deprehensi, maxime quum sic vim vi repellamus, & irruentes rejiciamus, in solo hostili, quia hosti in hostem omnia licent, in solo nullius, quale est mare, quia & ibi hostes reperimus. Non tamen in solo amici, non ob personam hostium, sed ob privilegium territorii amici, quod violare nefas esset.

Distingue tamen, aut pauci ibi hostes, vel hostiles naves deprehenduntur, quae nos insigni adfecerunt injuria, & tunc judicis implorandum auxilium, aut totus exercitus in solum hostile confugit, & quidem vel consentiente amico nostro vel invito. Si consentiente, nobis idem jus erit, adeoque hostem ibi deprehensum occidere fas esse, nemo negaverit. Sin invito, tunc aut in fuga est, aut nobis exitium hac via minatur. Priore casu territorii rationem merito habemus, posteriore casu perinde est, ubi hostem nostrum deprehendamus.

n. 1. 2.

Quæritur, an & infantes & foeminas occidere liceat? Respondent aliqui, perfecte licere, idque demonstrant exemplis Deut. II, 34. Deut. XX, 16. ubi ipse Deus vetat veniam dari pueris & foeminis Cananitarum. 2) Ex loco Ps. CXXXVI. v. ult. ubi beatus is prædicatur, qui allisurus sit infantes Babyloniorum lapidibus, jure scilicet belli, quod huic crudelitati perfecte indulgeat. Sed 1) quum a jure Dei in homines ad jus hominum in homines non statim valeat argumentatio, & 2) locus ille Psalmi supponat mandatum & voluntatem Dei, Babelem eradicandi: inde sane thesis illa satis demonstrari nequit.

Grotius noster negat jure perfecto licitam esse hanc infantum cædem, imperfecto tamen licitam concedit, idque probat exemplo Thracum, Macedonum, Romanorum.

Plerique recentiores neutro modo licitam esse in bello ajunt cædem infantum & foeminarum. Fundamentum enim 1) cur hostis subditi occidi possint, est consensus vel unio voluntatum. Hujusmodi consensus in infantes non cadit. Fundamentum 2) est, quia prævertere licet eos, qui nobis minantur interitum. At ordinarie id nec foeminae possunt, nec infantes.

Hinc potius poenas irrogatas militibus scimus, si sine necessitate in foeminas & infantes sævissent: adeoque potius distinguui utrum consilio ita sævierint milites,

an

an casu hujusmodi caedes contigerit, e. g. igne urbi & ædibus injecto. Priore casu caedes illa vix excusanda, posteriore saltem impunis habetur.

§. 10.

Quaestio praeterea est, an & captivos occidere fas sit?

Concedit id Grotius, probatque variis veterum testimoniis. Quin addit, id jus occidendi ne quidem tempore ullo excludi.

Sed accuratiores omnino recte distinguunt inter deditos & captos. De captis sine deditioe, an iis semel ignoverimus nec ne, itemque de deditis, an sub promissione vitae receperimus, (quod vocant *Quartier-gesfen*) an sine hujusmodi promissione (quod vocant *op gnæde en ongnæde*) Si spes facta vel venia semel data, expirat jus eos occidendi, ex pacto ibi expresso, hic tacito, cui contravenire non possumus.

§. 11.

Quid vero si parati sunt hostes ad deditioem, & tamen a nobis non recipiantur, an tunc impune occidi possunt?

Id recte affirmat Grotius 1) quia potest justa causa esse hostes non recipiendi in deditioem, e. g. quia nimis pertinaces fuere, quia nostros non receperunt, quia transfugæ sunt &c. 2) Si recepti non sunt, tunc nec pactum ullum intercedit, nec tacitum nec expressum, quod nos possit a jure nostro prohibere. 3) Deditio enim est actus bilateralis, nec intelligi potest sine acceptione. Vid. *Cic. Topic. cap. 8.*

§. 12.

Quid si dediti recepti, sed sine ulla conditione vel promissione vitæ? Resp. tunc quoque occidi posse, idque exemplis ex historia Romana haud paucis, & in primis ex ritu, quo triumphantes occidere solebant deditos hostes, probat Grotius.

Sed uti exempla nihil probant justum vel injustum esse: ita rectius dicitur veram rationem esse, quia ubi nihil promissum, nec expresse nec tacite, ibi nihil hosti debeatur: atqui deditis & receptis sine conditione, vel ut hodie vocant, opagnaede ende ongaede, nihil vel expresse vel tacite promissum. E.

Fatendum tamen humanius & his parci, quum ipse actus receptionis iis semel aliquam spem fecerit salutis, neque probabile sit hostes & ad extrema adaptos eo sine se dedere velle, ut ad supplicium ducantur.

n. 1. Quæstio porro est, an ob talionem vel pertinacem defensionem occidere liceat captivos. Utrumque negat Grotius, & quidem.

1) Quod ad prius ideo negat, quod talio justa exerceri non potest, nisi in eandem personam quæ deliquit, atqui si præsidium hujus urbis ob delictum alterius præsidii occiditur, tunc talio exercetur in personas diversas.

n. 2. 2) Quod ad posterius, non minus id negat 1) defensio enim est juris nat. adeoque
nemini-

nemini vitio verti potest. 2) Potius laudem merentur, qui tam fortiter se patriamque defendunt, si verum est, virtutem etiam in hoste laudandam. 3) Nec duces bellici sine jussu principis vel reipubl. nec milites sine jussu ducum possunt a defensione desistere, adeoque utrisque est justa defensionis & excusationis causa.

Ita Grotius. Et recte hæc se haberent, si quæstio esset de hominibus his supplicio adficiendis. Hic autem quæritur, an bello occidi possint? non per carnifices, sed per milites nostros, non tanquam delinquentes, sed tanquam hostes? Jam quomodo & fine his causis occidi possint, quidni si hæc causæ accedant? Accedit, quod rationes in contrarium allatæ facile refellantur. Nam 1) vere hic talio exercetur in eandem personam, quia totius hostilis reip. eadem est voluntas, eadem persona moralis, 2) defensio quidem laudabilis, modo non sit bruta, & sine ratione ex sola pertinacia res ad extrema adducatur.

§. 14.

Paulo difficilior est quæstio, an & obsides occidere liceat? Obsides sunt homines vel personæ magni momenti, quæ ab hoste nobis pignori dantur, ut retineri possint, donec promisso satisfecerint. Olim & pacis causa dabantur. Hodie usus eorum paullo rarior, nisi in oppugnationibus urbium, ubi obsides dant invicem victor & victi, interea dum de deditioe paciscantur.

Jam si hostis promisso non satisfecerit,

an tunc obses occidi potest? Grotius & id putat jus gent. permittere, ob varia quæ adducit exempla: Sed id quidem falsum. 1) Exempla enim nihil justum esse probant. 2) Nemo potest vitam alterutrius oppignorare, immo ne suam quidem. Sic sæpe etiam in doli non capaces sæviret victor, siquidem haud raro obsides dantur impuberes.

Objicitur, sic nulli usui fore obsides, si hostes sciant, ob perfidiam suam illos occidi non posse. Sed resp. quasi sola mors obsidum hostes movere possit, & non etiam periculum carceris perpetui. Illustretur id exemplo regis, filium qui obsidem dedit.

§. 15.

Pergimus ad ultimam capituli partem. Vidimus 1) quod hostes occidere liceat, vidimus 2) quos occidere liceat. Reliquum est, ut 3) quomodo eos occidere liceat, dispiciamus?

Recte Grotius distinguit inter jus N. & G. quamvis nos per jus gentium non verum aliquod jus, sed mores tantum inter gentes receptos intelligamus.

Secundum jus N. licet occidere hostem: gladio id fiat, an pulvere pyrio, an veneno, perinde est, quia hosti in hostem in infinitum omnia licent.

At mores gentium humaniorum, (la raison de guerre) hanc regulam J. N. mitigat, & hinc non omnes modos occidendi permittit.

Hinc nemini licet adversus hostes veneno

veneno uti, non quod injustum sit, sed quod inhumanum, & moribus gentium humaniorum adversum. 1) Armis bella gerenda, 2) sic excluditur omnis defensio. 3) Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Laudandus ergo Fabricius Cos. qui insidias in Phyrthum regem promissas rejecit.

§. 16.

n. 1. 2.

Veneno vero uti solebant hostes dupliciter, 1) ut insidias struerent ducibus bellicis totive exercitui, e. g. fontes inficiendo. 2) Ut illinerent venenis fortioribus gladios & sagittas, ut iis vulnerati nullam spem haberent salutis, id quod Turcæ etiamnum faciunt. Utrumque damnant mores cultioris Europæ. De priore jam vidimus. Posterius quoque inhumanum, 1) quia sic neminem tuetur fortitudo, & manu fortissimus a velite leniter sauciatus perit. 2) Quia durum est vulneratis invidere reconvalescentiam, & dolores eorum augere.

§. 17.

Quid vero si aquæ non veneno inficiantur, sed ita corrumpantur tamen, ut bibi nequeant, e. g. simum & sordes injiciendo?

Id nunquam mores cultiorum gentium improbarunt. Nam 1) id non fit ad hostem perdendum, (quamvis & id non sit nefas) sed ad cogendum, ut deditionem faciat. 2) A majore dicibus argumentari

ad minus: Scilicet flumen in hostis odium vel intercludere catarrhactis vel avertere; licebit etiam eundem plane corrumpere.

§. 18.

n. 1. Gravissima quaestio est, an & percussoribus uti liceat? Denuo quaestio est de gentium cultiorum moribus, quos Grotius jus gentium adpellat. Hic varie distinguitur

1) an percussores sint hosti fide obstricti, ut subditi, vasalli, milites, an vere hostes & nullo juris vinculo obnoxii. Illis uti percussoribus ne jure quidem naturae licet, nedum moribus gentium. Posteriori casu id consilium nec improbarunt gentes etiam humanissimae, e. g. Romani. Vid. Exemplum Macii Scaevolae apud Liv.

n. 2. Rationes sunt 1) hostis hostem potest occidere, quidni & clam? 2) hostem occidere licet per multos, per justum exercitum, quidni & per paucos? 3) Semper laudem mereri visi qui hujusmodi quid fecerunt.

n. 3. Objici solet, atqui percussores deprehensos affici supplicio soderi, adeoque pro crimine haberi eorum audaciam. Resp. Grotius, id fit non quod vere peccarint, sed quod hostes in hostes dura quavis statuere fas sibi existimant. Sufficit enim, quod hi homines magnum hostibus intulerint detrimentum.

Illustrari id potest exemplo exploratorum. His uti non est nefas, quin ipse Deus id

id consilium probat, dum Mosen exploratores mittere jubet, & tamen deprehensi occiduntur & afficiuntur supplicio.

Aliud ergo, ut diximus, si percussores hosti fide obstricti sint. Nam 1) & ipsi peccant dum fidem violant, & 2) qui eos conducunt, dum alios ad peccandum pelliciunt.

2. 4. 5.

Rationem aliam comminiscitur Grotius, quam & occasionem hujusmodi prohibitioni dedisse putat; ne scilicet Reges, quorum semper sacrosanctæ personæ visæ sunt, periclitarentur.

Deinde 2) distinguendum, sitne bellum sollemne, an minus sollemne, id est, sitne cum justo hoste facta prius indictione, an cum latronibus, rebellibus, piratis, sine indictione bellum gerendum. Priore casu merito abstinemus a percussorum opera. Posteriore iisdem jure utimur. Nam 1) tale quid in piratas, rebelles &c. statuimus, non tanquam in hostes, sed tanquam in delinquentes. 2) Magistratui licet præmium polliceri, qui delinquentem fugitivum vivum vel mortuum obtulerit. E. etiam licet præmium offerre percussori.

2. 6.

§. 19.

Ultima quæstio est de stupris in hostium feminas: an & illa excusanda? Affirmarunt alii ob eam rationem, quia sit injuria corpori illata: atqui hostile corpus injuriz cupiscumque expositum est. Alii rectius illi, qui negant. Nam 1) non est solum injuria, sed simul actus illicitus & cum efforata libidine conjunctus. 2) Non est

hæc

hoc humanum inceptum, ex hostili corpore voluptatem capere, & actum amoris ex odio exercere.

- n. 2. 3) Repugnat id legi divinæ Deut. XXI, 10. 4.) maximam laudem semper decerni videmus Scipioni, Marcello, Alexandro M. quæ & hostilis pudicitiz curam gesserunt. Addi potest 5) quod & utilitati reip. adversatur ejusmodi facinora permitti militibus, quibus a virtute ad molli-
tiam & voluptates ruant.

C A P U T V.

De rebus vastandis eripiendisque.

§. 1.

Quid hosti in hostium corpora liceat, superiore capite expositum. A majore ad minus concludentes facile animadvertimus, multo plus licere in eorundem res, tum immobiles, tum mobiles. Videbimus ergo 1) quid liceat? §. 1. 2) In quas res aliquid liceat? §. 2. 3. 3) Quomodo eas invadere liceat? §. 4.

I. Quid liceat, duabus propositionibus commode exprimitur. 1) Licet res hostium rapere, eosque omnibus facultatibus spoliare, 2) licet eorundem res corrumpere, exurere, vastare, si commode occupari vel retineri nequeant.

Rationes sunt 1) quia hosti in hostem in infinitum licent. 2) Quia si occidere per-

personas licet, multo plus licere debet in earum res.

Praxis bellica hæc omnia satis confirmat. Sed dubitatur tamen, an idem liceat in deditos. Grotius hoc adfirmat, probatque exemplo ex TACITI *Annal. lib. 13.* Sed omnino & hic observanda distinctio superior, an dediti conditiones certas sibi stipulati sint, tunc ex servandæ: an sine conditione facta sit deditio, tunc sufficit, salvam deditis manere vitam.

§. 2.

II. In quas res hujusmodi quid liceat, paullo difficilior quæstio est. Res sunt vel communes, vel publicæ, vel universitatis, vel singulorum, vel nullius.

n. 1.

Communes ne possunt quidem eripi, ut aer: publicæ sunt reip. quacum bellum gerimus. E. eripi posse illas extra dubium. Idem dicendum de rebus universitatis & singulorum. Enimvero res nullius quæ sunt vel sacræ, vel sanctæ vel religiosæ, de his potissimum quæritur, num ab hostium manibus exemptæ sint.

Si solum jus naturæ & gentium proprie sic dictum spectemus: nihil ibi occurrit, quod res sacras defendat a potestate hostium:

1) Quia res sacræ vere non sunt nullius, uti ethnici sibi persuaserunt, & hodiernum sibi persuadent pontificii, sed sunt ecclesiæ, ecclesiæ autem est pars reip. vel universitatis, adeoque res illæ non magis exemptæ sunt, quam res universitatis & publicæ,

2) Quia

2) Quia ex formulâ veteri se dederunt etiam divina cum humanis dedere cogebantur.

n. 2.

3) Quia omnes gentes etiam profanæ sacra victoris arbitrio permisere. Id apparet ex *a*) *L. 36. ff. de religios.* *β*) ex testimonio luculento Pausaniæ, qui hunc communem gentibus omnibus morem fuisse ait, ut res sacræ in arbitrio victorum essent. *γ*) exemplis, quæ in hoc ipso numero habentur.

n. 3.

4) Quia ex principiis J. N. & G. certum est res sacras in arbitrio reip. esse, adeo ut resp. de illis disponere, & ex sacris profanas facere possit. *L. 83. §. 5. ff. de V. O. L. 137. §. 6. eod.* Immo exempla docent sæpe resp. rebus sacris pro tuenda reip. usas.

Jam quum id liceat reip. quidni & hosti, qui jure victoriæ sit successor priorum imperantium universalis, eademque jura sibi recte vindicat, quæ victis antea competebant.

n. 4.

Addit tamen Grotius 1) eos victores, qui numen aliquod inesse simulacris credunt, non sine scelere manifesto illa violare & corrumpere: quia agunt contra fidem suam & conscientiam, æque ac si gentilis per Jovem perjurium committat.

2) Contra gentibus, quæ contrariam persuasionem fovent, vitio verti non debere, si hujusmodi idola violent, destruant, comburant. *Deut. VII, 5.* Et ita fecit Carolus M. Saxonia potitus. Ita & Persæ omnia templa per Græciam destruxere, quia credebant,

debant, nefas esse, Deos templorum parietibus includere & cohibere velle.

B. 5.

Hinc maxime hic distinguendum jus belli strictum, ab eo, quod decorum est. Jure stricto & rebus sacris non parcentes pro injustis haud habendi, quia jure sub usi nemini faciunt injuriam. Et hinc Titus destruens templum Hierosolymitanum, non fuit injustus. Sed decorum tamen saepe suadet, ne victor hoc jure suo utatur, ne scandalo victis dato eos ad seditionem consternet, ne atheismi suspicionem incurrat. Et hinc recte quoque Pompejus, qui occupatis Hierosolymis templo nihilominus pepercit.

S. 3.

Haecenus de rebus sacris: quid de religiosis dicendum? idem, quod de sacris. Nam 1) falsum, sepulcra esse res nullius. 2) Falsum ea esse religiosa. Vana enim persuasio de Diis Manibus ad sepulcra vagantibus tam absurda est, ut nihil supra. 3) Ipsi gentiles, qui sepulcra pro rebus religiosis habuerunt, religionem tamen cessare dicunt, si capiantur ab hostibus. L. 4. §. de sepulcr. viol. Quanto minus victori vitio vertenda ista violatio, si plane sepulcra pro religiosis non habet.

At distinguendum tamen quo sine violentur sepulcra, an id fiat ex solo odio defunctorum & petulantia victoris, (id & absurdum & detestandum est, nec unquam excusanda Gallorum saevitia, qui capta & deleta Spira sepulchra veterum Imperatorum violarunt, & ossa ejecerunt) an id fiat ex necessitate,

e. g.

e.g. ut lapidibus utantur ad reficienda munimenta, ut aurum, argentum, ibi reperiunt, usibus reip. adplicent. Et id nemo improbaverit ob rationes jam allegatas.

§. 4.

III. Denique si de modo quaeritur, perinde est, siue res aperta vi rapiantur & corrumpantur, siue dolo: utrumque & jus naturæ & mores gentium probant. Nam dolis & stratagematibus in bello locum esse, jam supra demonstravimus. Inde sequitur, ut

1) injusti non sint, qui res hostium ex insidiis intercipiunt

2) Excusandi, qui aliorum opera utuntur, ad incendenda horrea hostium, (de magazinen in brand to brengen.)

Nec ferenda Grotii comparatio, qua sub finem id conniventia accenset, qua & meretrices tolerantur. Nam non solum impunes esse dolos in bello, sed & perfecte licitos, supra satis superque probavimus.

C A P U T VI.

De jure acquirendi bello capta.

§. 1.

n. 1.

QUUM fas sit res hostiles rapere, ut cap. 5. demonstratum, fas quoque erit easdem acquirere, de eo jure jam agitur. Et quaeritur

1) quo

- 1) quo jure hostis res captas acquirit? §. 1. 2.
- 2) Quas res acquirit? §. 3, 7.
- 3) Quis acquirit? §. 8, 13.
- 4) Quid juris victori sit in rebus adquisitis. §. 14, fin.

I. Quo jure acquirantur res bello capte, primum queritur. Grotius primum dispicit de jure N. & divino positivo, ac deinde de J. G. quia hæc jura diversa putat, quum tamen per J. G. nihil aliud hic intelligat, quam mores gentium.

1. Jure nat. omnino capta ab hostibus sunt capientis, idque probatur a fine belli. Bellum geritur, quia judicis auxilio destituimur, & quidem vel ad vindictas injurias, vel ad suum recuperandum. Quemadmodum itaque quod nobis a judice pro satisfactione vel recuperatione rerum nostrarum adjudicatur, statim nostrum fit: ita & quod bello hunc in finem gesto adquirimus.

Nec dubitari potest de jure divino positivo. Nam 1) Abrahamus Gen. XV. devictis quinque regibus spolia sibi vindicavit, Deoque decimam attribuit. Id quod probatur & fidei adscribitur. Hebr. VIII, 4.

2) Jacobus Gen. LXVIII, 32. ex spiritu prophetico Jeseho filio attribuit partem rerum Amorrhæorum, quas arca & manu capturi essent. Id quod fieri non potuisset, nisi jus esset hostes rebus suis spoliare.

3) Idem

n. 2. 3.

3) Idem patet ex Deut. XX, 14. ubi Deus prædam concessit Israelitis, ab hostibus captam. Add. Num. XXXI, 27.

Ex praxi populi Dei Rubenitarum. Jos. XXII, 8. Asa. 1. Chron. V, 20. sq. 2. Chron. XIV, 13. Davidis &c.

§. 2.

n. 1.

Quid vero de J. G. id est de moribus gentium? Hi quoque probant hunc acquæstum, sed ut recte additur, eatenus, ut a gentibus omnibus in possessione earum rerum tuendus sit victor, vel qui ab eo causam habet. Nam ratione ipsius victi victor dominium non acquirit, nisi pace facta jus suum victori cesserit: siquidem ipsi victo adhuc jus salvum est, rem amissam recuperandi. Si vero dominus factus fuisset victor, non recuperaret rem suam, sed alienam eriperet.

Jam thesin suam, quod J. G. victor res hostiles captus adquirat, variis argumentis probat Grotius, quorum primum est,

1) quod omnes veteres inter adquirendi modos, qui ex jure gentium sunt, etiam occupationem bellicam retulerunt. Ita Xenophon, Plato, Socrates, ita & institutiones nostræ tit. de rer. divis.

n. 2.

2) Quod veteres A. diserte hoc jus referunt ad jus quoddam gentium voluntarium. Aristoteles vocat legem, velut pactum quoddam commune.

n. 3.

3) Quod iidem A. victores ea, quæ possident, jure possidere dixerunt. Ita Plutarchus, Xenophon, Philippus Rex Mac. & Æschines loquuntur. Ita & Romana praxis

praxis id confirmat. Nam non solum ho-
stilem agrum in provinciam redegerunt,
prædamque & spolia in ærarium intulerunt,
sed & semper titulum hunc & causam
possessionis præ se unice tulerunt,
quod ea jure belli habeant. Loca hujus
generis varia ab ipso A. allegantur.

Objici posset, apud Theophilum Jctum
Græcum, in paraphrasi Institutionum hunc
modum acquirendi vocari naturalem, ergo
illum non esse ex jure gentium. Sed resp.
1) & id verum, quia §. 1. demonstravi-
mus, hoc principium & jus nat. probare.
2) Theoph. naturale alio sensu accipit,
quam vulgo. Natur. aliquid dici potest vel
ratione originis, vel ratione modi. Priore
sensu naturale dicitur, quod ex jure N.
descendit: posteriore quod sine pactis,
traditione, aliisque modis & sollempnita-
tibus civilibus peragitur. Et hoc posteriore
sensu acquisitionem rerum hostil. vocat
natural.

Qu. an hoc modo a victore tantum ad-
quirantur res publicæ & principis, an &
res privatorum? Resp. utraque, quia prin-
ceps cum subditis unam constituunt perso-
nam moralem, & ob unionem submissio-
nemque voluntatum præstare tenentur facta
rektorum civitatis.

Sed addenda tamen exceptio: nisi pacta
deditionis intervenerint, vel promissio ve-
nitæ. Sæpe enim hostes salva sibi bona per-
ditionem stipulantur: sæpe ipsi vi-
ctor illorum securitatem iis promisit-ultro.
Tunc juri suo renunciavit. Et sane etiam

cx

ea rationibus politicis absurdum esset privatis victis semper bona omnia eripere, quum sic nullus sit, qui tributa impostorum victori perdat.

§. 3.

n. 1.

II. Sequitur altera pars capituli: quas res adquiramus bello. Jam heri vidimus, nihil interesse, sacra sint, an profana, mobiles an immobiles. Sed tamen ratione modi occupandi inter mobiles & immobiles quaedam differentia est.

Mobiles is demum adquisivisse videtur, qui eos intra praedia vel castra pertulit, & persecutionem hostis effugit. 1) Quamdiu enim alteri jus salvum est rem recuperandi, tamdiu res non est nostra. Ad hostis hostem persequens jus habet amissum recuperandi, quamdiu persequitur. 3) Eodem modo res mobilis bello amittitur, quae postliminio redit. At postliminio redit, si intra fines nostros esse coepit. E. & amittitur si ad fines hostium pervenit.

n. 2.

Sed ea intelligenda, nisi aliter mores se habeant. Sic 1) apud Romanos occupata ab hoste statim fiebant capientium, & loquuntur Institutiones nostrae §. item ex tit. de veri dno. Et 2) moribus hodiernis naves & alia spolia victoris esse intelliguntur, si per horas 24. in potestate victoris fuerint. Qui mos recte a Grotio in notis ex jure Germ. veteri derivat, quibus omnia capta veluti ferae bestiae, mancipia &c. 24. horis possessa adquiri dicebantur.

§. 4.

§. 4.

Quid vero de rebus immobilibus? Di. n. 1. 20
 Distinguendum est inter hostes ipsos & exte-
 ros. Si queritur, an ratione exterorum
 victor sit dominus agri occupati? nemo ne-
 gabit. Titulus enim est bellum, modus ad-
 quirendi occupatio. Ergo ratione extero-
 rum justissime possidet, tanquam successor
 prioris domini universalis.

Sin queritur, an victor etiam statim sit
 dominus ratione victi? id negandum.
 Nam ut diximus, si dominus esset, nullum
 victo jus remaneret, agrum amissum recu-
 perandi. At remanet hoc jus. E. manet
 dominus. Elegante exemplo id illustrat
 Grotius. Hannibal a longinquo obsidebat
 Romam. Ille ipse autem ager quem ca-
 stris suis occupaverat Hannibal, eo die
 Romæ remandabatur. An Romæ poterat
 venire ager, quem Hannibal hostis insi-
 debat? Omnino. Erat dominus Hannibal
 ratione aliorum exterorum, e. g. Mace-
 donum, Syrorum, non ratione Romano-
 rum.

§. 5.

Queritur porro, an & res alienas apud
 hostes inventas adquirat victor? Distingue-
 utrum res illæ pertineant ad hostium socios
 & foederatos, an ad eos, qui neutrarum
 sunt partium. Si prius, tunc perinde est,
 ac si ipsorum hostium essent: sin posterius:
 absipi nequeunt.

1) Nam hosti in hostem in infinitum
 omnia licent, non in amicos, adeoque
 causa cessat.

2) Di-

2) Diximus bellum in statu naturali esse loco judiciorum, quæ sunt in statu civili. Quemadmodum ergo per adjudicationem acquirere nihil possum, quod possidet is, quocum mihi lis nulla est: ita & per bellum acquirere non possumus, quod is habet, quocum non bellum gerimus.

§. 6.

Objicitur, an res in hostium manibus repertas abripi, siue amicorum sint, siue inimicorum. Sed resp. id falsum esse. Nam omnes gentes moratiore, (exceptis forte Gallis) dicunt, tantum præsumtionem esse, res in hostium navibus repertas esse hostiles. Quemadmodum vero præsumptio cessat, si probari potest contrarium, ita & res amicorum in hostium navibus repertæ statim redduntur dominis, simulac liquido constet, eas amicorum esse. Et hoc eleganti præjudicio reip. Belgicæ firmat Grotius.

Aliud tamen servare Gallos diximus, quibus placet parcemia juris: La robbe de l'ennemis confisque celle d'ami. Sed omnes gentes reliquæ hanc Gall. praxin iniquissimam merito arguunt.

§. 7.

Queritur, an & acquirat victor ea, quæ antea victus bello adquisierat? E. g. Amorrhæi partem territorii eripuerant Amonitis, victis Amorrhæis is ager ad Hebræos pervenerat. Jam quum Hebræi possiderent, eum vindicabant priores domini Amonitæ. Et ea origo belli cum Jephtha

tha gesti. Jud. XI, 23. seq. *Quæritur, quem penes fuerit justitia belli?*

Resp. penes Jephtham & Hebræos. Nam 1) ubicumque jus contra priorem possessorem expiravit, ibi illud non reviviscit contra posteriorem. At hic illud expiraverat, postquam Ammonitæ finito bello agrum amissum Amorrhæis victoribus reliquerant. E. illud reviviscere non poterat adversus Hebræos.

2) Ea sententia etiam semper placuit gentibus, idque Grotius operose probat 1) ex DIONYSII HALICARN. l. 6. 7. ubi referunt Romani Volscos, quæ olim a se possessa ad Romanos victores pervenerant repetentes. 2) Ex eorundem praxi. Unicuique videbimus exemplum. Tigranes Rex Armeniæ Antiocho Regi Syriam eripuerat. Paulo post Romani Tigrani inferebant bellum, & eum omnibus exuebant provinciis. Jam Antiochus repetebat Syriam. Negabant Romani se reddituros, quod contra hostes tueri nequiverit. Et sane si Tigranes factus est dominus finito cum Antiocho bello, domini etiam fuerunt Romani, victores.

Enimvero aliud tamen statuendum, si socii & foederati provinciam recuperemus, & propter hanc provinciam bellum commune geritur: an restituenda omnino socio. Sic Ferdinandus II. Imp. occupaverat Ducatum Meclenb. Pomeraniam, Marchiam. Gustavus Adolfus Rex Sveciæ inito cum principibus Evangelicis foedere expulit Cæsareos. An poterat sibi Provincias occupatas

retinere? minime. Eas recte restituere prioribus dominis.

§. 8.

III. Sequitur tertia pars capituli, ubi questio est, quis rerum bello occupatarum dominium adquirat?

Error is invasit Jctos, ac si jure Romano res capte fuerint acquisite singulis capientibus. Occasionem errori dedit 1) quod legerunt in jure capta fieri capientium 2) quod c. sicut X. de jurejurand. idem fere cantat, 3) quod omnes fere DD. ita sentiunt.

§. 9.

n. 1. Sed hanc sententiam e male intellectis juris nostri locis natam luculenter jam refellit Grotius, & quidem argumento hoc uno. Nam

Gentes res hostium considerantur tanquam res nullius, quia cum hoste nulla esse videbatur juris communio. Atqui res nullius cedunt occupanti. E. & res hostium. Occupatio illa sive per me ipsum fiat, sive per alium J. N. & G. perinde est: ergo & perinde erit, ipsene princeps spolia optima hosti detraxerit, an id fecerit per milites suos. Res illustrari potest exemplo venantium. Qui jus venandi habet, is acquirit feram, sive ipse ceperit, sive ejus jussu servus, venator, rusticus.

n. 2. Obijciunt, distinguendum esse inter personas liberas & servos. Quidquid servus acquirit, id procul dubio acquirit domino. At de personis liberis regula est: ne-

mo

De jure acquirendi Belle capta. 765
mo alteri vel stipulari, vel acquirere pot-
est. §. 4. l. de inus. stip.

§. 10.

Sed resp. Grotius, & recte quidem, id non ex J. N. & G. esse, quippe quod & liberorum hominum volentium opera ad acquirendum uti neminem prohibet, sed ex jure civ. Romanorum, quod multa singularia habet. Id Grotius probat 1) ex testimonio *MODESTINI L. 53. ff. de acqu. rer. dom.* ubi ipse distinguit inter modos acquirendi *naturales*, & *civiles*, & illos vicariam operam fatetur admittere, hos non admittere probat 2) ex confessione ipsorum Romanorum. Masinissa Rex Numidiz Syphacem Regem Mauritan. devieerat: victi provincias, tanquam suas, Masinissz donabant. Cur? quia ipsi bellum gesserant per Masinissam, adeoque & per eum adquisiverant.

Tantum ergo abest, ut capta ab hostibus jure Rom. privatis acquisita fuerint, ut & ipsi Romani prædam vindicarint. *L. 20. §. 1. ff. de capt. & post. L. pen. ff. ad L. Jul. pecul.* Quædam ex liberalitate relinquebantur militibus prædam agentibus, quod & hodie aliquando fieri solet, *L. 36. §. 1. C. de donat.*

§. 11.

Jam ergo de singulis rebus videbimus, quibusnam bello adquirantur? Res sunt ^{n. 1. 2.} vel mobiles, ut pecudes, servi, pecuniaz, arma; vel immobiles, ut agri, oppida, castella.

De immobilibus clarum est, eas soli im-

K k 2 pe-

peranti adquiri, vel, quod perinde est; reip. Nam 1) unius vel alterius militis opera capi non possunt, sed vi totius exercitus, qui est Principis vel reip.

2) His rebus inhæreat jus Imperii, jurisdictionis aliaque regalia, quorum capaces non sunt milites privati. 5) Eam regulam omnes gentes bellicosæ probarunt. Romani hoc agros captos bello vocabant publicos. Cur? quia dominium eorum populo acquirebatur. Vid. BURMANN. *de vectigali pop. Rom.* Idem observabant Hebræi, Lacædemonii, immo gentes omnes.

Obiter hic notetur origo agrorum vectigalium & emphyteuticorum, de quibus titulus singularis *in ff.* exstat. Romani enim dominium agrorum hostilium nacti, eos si culti essent, reddebant possessoribus, ea lege ut vectigal quotannis solverent, certos modios frumenti, & tunc agri dicebantur vectigales. Sin inculti, eos quibusdam dabant in dominium utile, ea lege, ut colerent, & inde tenuem aliquam canonem annum solverent, & tunc dicebantur agri emphyteutici. Vid. BURM. *l. c.*

§. 12. °

n. 1. Quid vero de mobilibus? Eæ vel in ministerio publico capiuntur, vel extra illud. Si prius, dominium acquiritur ipsi imperanti, vel reipubl. e. g. si in castris occupatis reperiantur insignes thesauri. Sin extra ministerium: singulorum capientium fiunt. Tale quid contingit,

1) si res hostiles apud nos deprehendantur orto bello. Eæ enim non publicæ sed

sed occupantium fiunt. L. 5 r. §. 1. ff. de adquis.
rer. dom. Quod tamen intelligendum cum
exceptione, nisi imperantes eas fisco ad-
dixerint, quod plerumque fieri adsolet.
Vid. §. sequ.

2) Si quidam milites consensu Ducum ^{n. 2.}
vel ipsorum summorum imperantium ex-
tra ordinem vel prædas agunt, & in di-
tiones hostiles longius excurrunt, vel na-
ves armatas emittunt, (Capers, Commiss-
Fahrers.) Nam quidquid hi capiunt, id
sibi adquirunt, quia veluti suo periculo
bellum gerunt.

Aliquando & extra ordinem & militi-
bus, qui in ministerio sunt, res captæ mo-
biles relinquuntur, si forte imminet insul-
tus periculosior, si urbs vel castra expu-
gnanda. Tunc enim acuendæ fortitudinis
caussa militi victori promittitur facultas
prædam agendi.

§. 13.

Sed quamvis hæc omnia videantur juris
N. & G. mutari tamen posse per LL. ci-
viles, recte agnoscit Grotius. Et sane ple-
risque locis mutata. Hinc 1) hodie nus-
quam fere privatis cedunt res hostiles, or-
to bello apud nos deprehensæ, sed eas,
ut dixi, fisco occupat.

2) Militibus prædam agentibus permit-
tuntur quidem pecuniæ privatorum, ve-
stes, aliaque ejus generis, non autem pe-
cuniæ publicæ, commeatus, pulvis pyrius,
tormenta bellica, si quid hujusmodi inter-
ceperint.

3) Li qui naves suo periculo in hostes

emittunt, quæ capiunt, sibi adquireunt: sed non nisi ex parte. Nam & collegium archithalassicum vel respubl. partem suam accipit.

§. 14.

n. 1. Hastenus de rebus mobilibus extra ministerium publicum captis. Jam de iis, quæ capiuntur actu publico, adeoque in ministerio reip. Ea reip. adquiri jam præmonuimus. Et ita omnes gentes sentiunt. Nam 1) milites tunc non agunt suo nomine, sed ejus, cui militent. 2) Qui summus & onera fert belli, penes illum & commoda esse debent. 3) Ita omnes gentes senserunt, idque latius probat Gro-tius.

n. 2. 1) Græcos prædam reip. vindicasse demonstrat ex ipso Homero, qui quum sit scriptor Græcorum antiquissimus, etiam convincere nos potest, hunc morem non heri aut nudius tertius natum, sed vetustissimum esse. Sane Achilles prædam captam non sibi retinebat, sed Agamemnoni tradebat, a quo deinde inter reliquos reges Trojam obsidentes dividebantur.

n. 3. 2) Idem placuit Trojanis, de quibus Virgilius, quod soliti sint præda ducere sortem. Unde argum. Quæ per sortem dividuntur, sunt communia: quæ præda capta apud Trojanos communis fiat. Quæ communia sunt, non sunt singulorum. E. prædia capta non sint singulorum capientium.

3) Idem Persis placuit. Xenophon enim in Cyropædia auctor est milites prædam

captam ad regem detulisse. Quamvis vero Xenophontis illud scriptum non sit vera historia, sed ut hodie vocant fabula Romanensis, (cen Romam) probabile tamen est, Xenophontem in ea scribenda se ad mores Persarum accommodasse.

4) Sic & Carthaginiensium duces prædam semper donum misisse, exemplo apud Diod. Sic. *lib. 13.* & ap. Liv. 23. patet.

5) Sic & GREG. TURON. *lib. 2. Hist.* c. 17. docet, Francos prædam sorte divisisse. Unde & hic idem argumentum obtinet, quod supra de Trojanis protulimus.

6) Nec aliter Romani, quamvis vulgo n. 4. cum Bartolo putent, apud Romanos prædam acquisitam esse singulis capiendis. Falsum hoc esse multis demonstrat Grotius, & quidem ex loco elegante Dionysii Halicarnassei, scriptoris vere politici, qui omnia capta ab hostibus quæstoribus tradita, & ærario illata fuisse docet.

§. 15.

Quamvis ergo certissimum sit, Romanos prædam omnem populo vel reip. addixisse: negari tamen nequit, eosdem multa arbitrio ducum bellicorum reliquisse. Idque & æquissimum. Nam 1) sæpe extra ordinem in periculo extremo virtus militum inflammanda spe prædæ: 2) sæpe etiam opus est exploratoribus, qui non nisi promissis & largitionibus possunt inescari. Sed ea potestate raro usi sunt duces sanctiores.

n. 1. Nam ritus ipse talis erat: 1) præda omnis colligebatur a duce, & in judicem referebatur vel inventarium. 2) Ea deinde adducebatur Romam, & in publico triumpho ostentabatur. 3) Peracto triumpho quaestoribus tradebatur præda cum inventario, & ab iis pecunia parata inferebatur ærario, captivi & reliquæ res publice sub corona vendebantur, & redacta inde pecunia ibidem inferebatur ærario.

n. 2. Aliquando tamen ipsi duces vendebant prædam, & pecuniam in ærarium inferebant. Sed id raro factum, nec invidia caruit. Hinc ipse Scipio, patriæ servator, quamvis tot rebus gestis immortaliter de civibus meritis, criminis tamen peculatus reus factus, quod haud pauca ex præda Africana interceptisse argueretur.

n. 1. Aliquando duces partem inter milites, virtute eminentiores distribuebant. Sed 1) primum Grotius observat, id rarius factum & visum esse ambiciosius. Cur quæso? Quia ita facile Duces de alieno liberales sibi ita devincire potuissent, ut se adversus ipsam patriam duci paterentur. Ita sane Cæsar militem præda Gallicana delinvisse credebatur.

2) Observat, divisionem factam vel per veram distributionem, vel per direptionem. Divisio vel ita fiebat a duce per tribunos, ut singuli æquales partes acciperent secundum proportionem tamen non arithmetica sed geometricam, vel

ut

ut præda in medio posita ita daretur in commune, ut quantum quisque capere posset, tantum haberet. De direptione §. seq. dicemus.

3) Observat, sæpe prædam prius venditam, & pecuniam inter milites distributam esse, quia sic æqualitas facilius poterit servari.

n. 3.

4) Habitam rationem ordinis, ut miles caperet simplum, centurio duplum, eques triplum.

5) Nec minus rationem habitam meritorum. Nam qui insigne aliquod virtutis specimen in expugnanda urbe, classe, ostendissent, ii merito partem prædæ paullo pinguiorem ferebant. Quæ omnia exemplis ex historia demonstrat GROTIUS, LIPSIVS, GABR. NAUDEUS, qui *de re militari veterum egregia ediderunt synagmata*.

6) Ducem in ea divisione habuisse præcipuum, quidquid aut ratione aut elegantia se commendabat. Apud Græcos Paulanias Dux præcipua habebat, mulieres, equos, camelos.

n. 3. 4.

7) Idem aliquando & aliis virtutis causa esse concessum, quod vocabant extra sortem ferre. Apud HOM. R. *Iliad.* λ. Nestor feminam possidebat munere Grajorum exceptam sorti, & ibid. *Odiss.* ξ. Ulysses accepit Menecœa feminam præcipuam, postea plurima sorte tulit. Quin in Israele Caleb ob navatam populo in exploranda terra Canaanea operam præcipuam, accepit Hebr.

Kk 5

8) Du-

8) Duces sanctissimos hoc quoque jure suo abstinuisse, veluti Fabricium, Furium, Camillum, L. Paullum, M. Catonem. Vid. PLUTARCHI *in eorum vitis*.

9) Aliquando & rationem habitam fuisse absentium. Sic Fabius capta Anxuram partem prædæ & absentibus seposuit. Liv. lib. 14.

10) Aliquando etiam presentium nullam habitam rationem, si vel detrectassent imperium aliove modo male se gessissent, vel ob statum, capere non possent. Prioris casus exemplum est apud Liv. l. 3, ubi Minucianus exercitus obsidebatur ab hoste, a dictatore Cincinnato liberabatur, sed deinde victo hoste poenam ferebat imprudentis militiae, nempe ut nihil prædæ caperet. Posterioris exemplum dat tribus Levi, cui nihil datum ex terra Canaan, præter suburbia quædam, ubi habitarent.

n. 6. 11) Idem jus habuisse tempore Imperatorum sequioris ævi magister militum, seu pater ex L. 36. §. 1. C. de donat. ubi imp. ea a rationum reddendarum onere eximit, quæ militibus a magistris militum sunt donata.

12) Denique & idem observat, hujusmodi donationes semper invidiæ patuisse. Nam 1) videbantur duces sibi conciliare velle militum animos, 2) speciem hoc præ se ferebat affectu gloriæ, immo & 3) avaritiæ. Nam ideo arguebantur prædæ divisisse militibus, ut immunes essent a reddendis rationibus, sibi que maximam partem impune retinerent.

Alter modus prædam concedendi militibus erat DIREPTIO, (§. 17. n. 1.) quæ in eo consistit, quod oppido vel castris expugnatis militibus sit potestas discurrendi, & sibi, quod in ædibus privatorum repererit, occupandi. Exempla plura ex vetere historia dedit Grotius. Addi possunt plura ex nova: maxime ex historia belli Germanici tricennalis, quam luculenter descripsit Pufendorfius: ubi tamen eas cautiones observant belli Duces, ut direptio concedatur tantum, 1) si militibus plura stipendia debeantur, nec in præfenti copia sit, ea exsolvendi. 2) Si constet jam hostes penitus prostratos. Alias enim, incerta adhuc victoria, facile dispersos & diripientes adgreditur hostis, & cedit ad internecionem. Unde inter stratagemata a Polyæno & Frontino descripta, & illud est, quod hostes simularint fugam, & varias res pretiosas per campos patentes sparserint, quæ dum dispersi colligunt hostes, facilem fugientibus & jam ex inopinato reversis dedere victoriam.

Sed hunc morem haud pauci improbant n. 2.
1) quia sic nulla habetur virtutis ratio. Nam ignavissimus quisque in prælio strenuum se præbere potest prædatorem, aliisque virtutis præmium præripere. 2) Plesumque cædes inter ipsos diripientes oriri si plures in eandem prædam involent. 3) Occasionem dari licentiæ non ferendam, supris, cædibus innoxiorum hominum,

infantum, mulierum. 4.) Quin & sæpe milites ex invidia res, quas auferre nequeunt, perdere, ne commilitonibus cedant.

n. 3.

Ex quo consequitur, ut vix excusanda sit direptio, nisi ubi necessitas eam defendit. Sæpe enim inter milites res ad tumultum venit, & ii despecto Ducum imperio in prædam involant. Exempla sunt apud LIVIUM lib. 6. & lib. 38.

Sed id non potest melius caveri, quam
1.) ut stipendia justo tempore solvantur,
2.) ut prostrato hoste intra castra aliquamdiu contineantur, urbe vel castris captis custodia firma munitis.

§. 19.

Extra ordinem aliquando præda aliis quam militibus data, veluti 1.) iis qui reiprediderat pecuniam, vel tributa extra ordinem majora, quam debebant, contulerant. 2.) Dii, si nimirum iis ludos voverant imperatores. Id imitantur aliquando Pontificii, qui Petro Romam, vel Mariæ Lauretum spoliatorum partem mittunt.

Magis laudanda illustrissimorum ordinum pietas, qui in bello illo ferali Hispanico haud minimam prædæ ex hostilibus partibus capte partem pauperibus concesserunt. Rem latius narrant Meternus & Aizema.

§. 20.

n. 1. 2. 3.

Observat porro Grotius, nunquam certam inter gentes observatam fuisse regulam, quia sæpe in uno eodemque bello, aliter atque aliter de præda dispositum fuisse.

1) Fu-

1) Furius Camillus victis Vejentibus, decimam prædæ Delphos Apollini misit: at idem tamen victis Faliscis prædam omnem intulit in ærarium.

2) Qu. Sabinus homines, armenta & greges militibus concessit, pecuniam & aurum intulit in ærarium. Idem in bello cum Volscis & Æquis captivos militi donavit, reliqua diripienda dedit.

Alia hujus generis, diversaque consilia in distribuenda præda observata prolixè refert Grotius. Ex quibus rectè colligitur, nihil certi ea de re statuisse gentes, nec ullam dedisse legem, a qua discedere non possent.

§. 21.

Quæritur, si quis ex præda quid surripuerit, quo crimine teneatur? Resp. crimine peculatus, quod omnibus gentibus visum est poena dignissimum, siue ab imperatore, siue a milite esset commissum. n. 1. 2. 3.

1) Quia enim præda est reip. est in dominio, adeoque res publicæ furto abripiuntur.

2) Delictum hoc eo gravius, quia hic non pauci Floreni, ut a finibus, sed immenthesauri reip. intervertuntur. Elegans notetur Catonis querela, *fures privatorum furtorum in nervo atque compedibus asinum agere, publicos in mare atque purpura.*

3) Hinc Achan supplicio capitali adfectus a Josua, quod partem prædæ interceptisset. Et a Romanis deportatione digni videbantur, qui peculatum commiserant; L. 3. ff. de pecul.

§. 22.

§. 22.

p. 1. 2.

Quæritur porro, annon lege civili vet moribus aliud quid, quam quod hæcenus diximus observatum a veteribus, introduci possit?

Et id recte affirmatur. Nam 1) ipsos veteres nihil certi observasse, demonstratum est §. 20. 2) si observassent, id esset ex moribus & consuetudinibus gentium. Mores autem & consuetudines, contrariis legibus & consuetudinibus possunt mutari.

Exemplis id illustrat. Sic nemo dixerit, contra jus gentium peccare, qui prædant addicunt pauperibus, viduis, orphanis, vel iis, qui hoc bello insignem cladem passi sunt.

§. 23.

Quæritur, quid sociis debeatur, qui nobis sine stipendio militant? Resp. his plerarumque gentium moribus prædam, quam capiunt concedi. Nam 1) opera gratis præstari non præsumitur. 2) Damnum & sociis refarciendum. 3) Eum finem habuisse videntur socii, dum operam suam nobis stipendio addixerunt.

Exemplum nobis suppeditat ultima expugnatio Viennæ Austriacæ a Turcis tentata. Quam enim Poloni, ducæ Rege suo Joanne Sobieski subsidio venient obsessis, & opulentissima Turcarum castra bis expugnarentur: immensam sibi prædam retinebant Poloni, eamque domum asportabant, non invito Imperatore, cui sine stipendiis, tanquam socii militaverant Poloni tempore quam maxime periculoso.

§. 24.

§. 24.

Qu. an & subditi eodem jure prædam exigere possint, si reip. sine stipendio militent? ut Helvetii, Poloni. n. 2.

Dux rationes hic veluti configunt. 1) Contra subditos militat, quod operam suam debeant reip. Qui vero facit, quod debet non potest capere præmium, sed dicere debet, servus inutilis sum.

2) Pro illis vero militat, quod non omnes militent, sed multi e civibus domi manent, agros colant, mercaturam faciant, lucrum capiant. Ergo illis videtur retributio deberi, ne plus aliis oneris ferri cogantur.

3) Eadem ratio, quæ pro sociis militat ne gratis operam præstent, militat etiam pro subditis, qui bello intersunt ad defendendos concives. n. 2. 3.

4) Nec desunt exempla, ubi subditis militantibus sine stipendio æque divisa præda, ac sociis. Exempla bina attulit Grotius n. 3. Unum Ebraeorum, Num. XXXI, 27. 47. 1. Sam. XXX, 22. alterum militans Alexandri, quibus Rex singulis prædam, quam fecissent, reliquit.

Sed posterius tamen exemplum huc non pertinet, partim quia Alexandri milites sine stipendio non militabant, partim quia non omnes erant subditi, sed plerique mercenarii, ex variis Græciæ civitatibus conscripti. Vid. Cæsus l. 1. c. 1.

Enimvero ad questionem ipsam responderi potest variis observatis distinctionibus.

1. Distinguitur inter ea, quæ publica vel regis devicti fuerunt, & quæ privatorum militum. Illa merito regi victori integra relinquuntur, qui in ejus locum & jura succedit. Sic regium tabernaculum semper mansit Alexandrum, quamvis prædam concederet militibus. Sic corona victi Regis victori imponebatur etiam apud Hebræos. 2. Sam. XII, 30.

n. 5. 6. Deinde distinguendum inter bella justa & civilia. In illis rarius aliquid conceditur subditis militantibus, quia reip. operas ex obligatione perfecta debent. In his autem frequentius, quia interest ducum, ut milites habeant sibi deditos. Hinc historiarum docent Sullam, Marium Cæsa-rem, Augustum victores proscriptionis edictum proposuisse, & redactam e proscriptorum civium bonis pecuniam liberaliter elargitos esse inter milites.

n. 7. 8. Porro distinguitur inter res magni momenti & exiguas, quæ digna non sunt publicari. Hæc sæpe & per leges relinquuntur militibus. Sic e. g. ap. GELLIIUM L. 16. c. 4. legimus, jurasse milites Romanorum, se nihil prædæ in rem suam converteros, præter hastam, hastile, ligna, pabulum, faculam, utrem, follem & minores numulos argenteos.

Et multis legibus nauticis maxime Gallicanis receptum, ut nautæ in publicum conferre non teneantur prædam infra 10. scutatos. Apud Hispanos vel tertia vel quinta vel dimidia regi, septima vel decima navarchæ, reliqui militi navali dantur.

Apud

Apud Italos in tres partes dividitur præda nautica, unaque tertia datur domino navis victricis, altera iis, quorum merces in nave fuerunt, tertia capientibus.

Apud Hollandos decima datur navarchæ, quinta pars reip. reliqua inter dominum navis vel pugnantem pro dignitatis & loci proportionem distribuuntur.

§. 25.

Quid ergo si de præda oriatur controversia? Resp. tunc primo omnium respicitur ad mores & leges nauticas istius populi, in quo controversia oritur: si ejusmodi mores probari nequeant, vel leges patriæ deficient, tunc sequendum est jus gentium, adeoque præda debetur reip. cujus auspiciis bellum gestum, nisi plane privatum ex. gr. adversus piratas pugnatum, tunc enim æquissimum esse, ut præda capientium sit, facile patet.

§. 26.

Quæritur porro, an res alienæ apud hostes repertæ prædæ annumerandæ? n. 1. Distinguendum utrum hostis in rebus istis alienis jus aliquod habuerit, e. g. pignoris, retentionis, servitutis, tunc non quidem res ipsæ, sed tamen jus in iis radicum ad victorem transit: an vero nihil hosti juris fuerit, e. g. in deposito, tunc res reddenda domino, cui non debet præjudicio esse bellum inter alios gestum.

Ita & facile deciditur quæstio, an extraterritorium hostis capta capientium fiant? n. 2. Resp. distingu. inter jus nat. & mores gentium.

Jure nat. locus discrimen non facit.

Quem-

Quemadmodum enim ubicumque hostem nostrum deprehendimus, ibi cum jure occidimus: ita eundem quoque jure spoliamus, ubicumque terrarum reperiatur.

At mores id non ferunt, ut hostem in alieno territorio aggrediamur, nisi volente & consentiente domino territorii, quo consentiente ipsi etiam pars prædæ procul dubio debetur, quia ei tanquam socii militamus.

Eleganter id Grotius illustrat ex L. 3. §. 1. ff. de acqu. rer. dom. Venari jure gent. ubique licet, quia fera est res nullius. Si tamen vult dominus, potest me prohibere, quo minus fundum suum, ubi fera reperitur, ingrediar. Ita & in hoste persequendo se res habet procul omni dubio.

§. 27.

Finem huic capiti imponit Grotius, addita observatione, quod quæcumque dicta hactenus de jure occupandi res hostium, ea intelligenda sint non de bello minus sollemni, sed sollemni. Quum enim bellum minus sollemne gerant ii, quibus jus nullam est bellandi e. g. cives inter se ipsos, cessare etiam oportet effectus belli legitimos, nempe acquisitionem rerum hostilium.

Multa quidem sibi tunc permittunt victores, qui & omnia capta ab hostibus sibi arrogat, sed quod de facto fit, non statim jure fieri, facile patet.

C A P U T VII.

De Jure in Captivos.

§. 1.

IN bello capiuntur non solum res, sed & personæ. De illis vidimus: jam de his queritur.

1) An servi fiant? §. 1. 2.

2) Quis ejus servitutis sit effectus? §. 3. 7.

3) An & hodie in usu sit? §. 8. 9.

1) Queritur, an homines bello capti ^{n. n.} servi fiant? Affirmat Grotius, si questio sit de jure gentium. Id probat 1) testimonio JCorum L. 4. §. 1. *f. de statu hom.* qui servitutem dicunt constitutionem juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. Ergo fatentur Juti servitutem esse juris gentium, & dum addunt eam esse contra naturam, negant, eam esse juris naturæ.

2) Exemplis gentium, etiam humanissimarum, quæ omnes captivos in servitutem redegerunt, nullo habito discrimine ætatis, sexus, dignitatis. Non enim hoc jus ex delicto est, sed ex bello. Adducit eam in rem Grotius suo more varia Auctorum loca, in quibus præcipue notandus locus POLYBII, ubi ait: *As hoc bellæ leges & illis ferenda sunt, qui nihil impio commiserunt.* ^{n. 2. 7. 4}

Ita quidem vulgo: sed si rem paullo accuratius consideremus, fatendum est, ser-
vi-

vitutem non esse nisi ex jure nat. permissivo, & ex MORIBUS gentium. Id enim ita probo. Quodcumque jus est ex jure nat. vel gentium vero & præceptivo, id commune est omnium gentium & perpetuum. Atqui jus captivos in servitutem detrudendi, nec commune est, nec perpetuum, quia hodie pleraque gentes cultiores ab eo abstinere. E. non est ex jure nat. & G. proprio & præceptivo.

§. 2.

Postquam autem semel principium hoc placuit gentibus, captivos fieri servos: colligere inde proclive fuit, etiam posteros eorum similiter servos esse. Servi enim veteribus erant res, pars patrimonii, quia præcipuum divitiarum genus. Jam in rerum acquisitione valet axioma: Cujus est principale, ejus est accessorium. Cujus est venter, ejus & foetus est. Ergo & ejus serva, ejus quoque & vernæ inde nati videbantur.

§. 3.

n. 1. II. Jam de effectibus hujus servitutis, qui se exerunt 1) in personas captivorum, §. 3. 2) in eorum res §. 4. 5. 3) in eorum statum §. 6. 7.

1) Quod ad personas captivas attinet: in eas omnia licere capientibus videbatur. Hinc gaudebant domini jure vitæ & necis, poterant servos venumdare, legare, donare, tanquam pecudes, impune in corpora servilia sæviebant, antequam Imperatores hanc dominorum crudelitatem legibus coercerent.

Ra-

Rationes varias allegabant. 1) Servi sunt res. E. domino summum in res suas debet esse arbitrium. 2) Servi bello capti vitam salvam habent precario, quamdiu domino placuerit, ergo si non amplius placuerit, jure suo utuntur adeoque occidunt impune.

2) Quod ad res: istæ quoque acquiruntur domino una cum servo. Nam 1) servus nihil habere poterat proprium, quemadmodum nec bos, vel equus. 2) cujus est principale, ejus quoque accessorium.

§. 4.

De rebus tantum incorporalibus, i. e. de juribus servi disputant, an & illæ domino acquirantur. Sed id nec affirmari nec negari potest, sine periculo. Ergo distinguendum.

Jura aut mere personalia sunt, quæ offibus inhaerent, aut admittunt vicariam operam. Priora non transeunt in dominium: posteriora transeunt. E. gr. matrimonii jus non transit in dominum, ut captivi uxore ad libidinem abuti possit: at patria potestas extinguitur & omne jus illud in dominum transit. Ita & dominus acquirit jus pignoris, servitutis &c. quod captivo servo competebat.

§. 5.

Cur vero id gentes probarunt, quam tamen vix a atrocitate excusari possit? 4.

Resp. Grotius. Sequitas gentes esse principium: Ex duobus malis eligendum esse minus. Jam supra docuimus, licere hosti hostem occidere, etiamsi se dedero vellet:

nc

de itaque promiscue hoc jure uterentur milites, maluere introducere servitutem, ut isto lucro pellecti victis parere, quam eos occidere mallerent.

Et hinc videamus, servos dictos, quasi servatos.

Veram hanc fuisse rationem, exemplo bellorum civilium patuit. Quum enim ibi civis civem in captivitatem redigere non posset, tam promiscue in victos servitutum est, ut unum bellum inter Cæsarem & Pompejum plus hominum absumserit, quam ceterum alia.

§. 6.

3) Quod ad statum attinet captivorum ex eo duplex resultat effectus, quorum prior est

Quod fugere non possit servus. Sed hic distinguendum inter jus internum, quod vocant forum conscientie, & externum, quod forum civile appellant.

Quod ad prius, illud non vetat servum captivum fugere. Quid enim vetaret hominem innoxium, quem fortuna in hanc miserriam depressit, libertatem quocumque modo recuperare? Unde etiam absurda distinctio Lessii, videndum esse, ad suos, an ad alios fugiat.

Sed jus exterius hoc non fert. Hinc servus hujusmodi fugitivus potest e fuga retrahi, vindicari, puniri, quamvis salva conscientia fugerit.

Equidem, sunt, qui negant hujusmodi distinctionem esse admittendam. Sed eos Grotius exemplis refellit, 1) testamenti, quod

quod ex defectu sollemnitatum nullum dicitur, jure externo, quum tamen, qui sine sollemnitate testatus est, non peccarit in conscientiam. 2) Præscriptionis, qua quis securus sit, possidens rem alienam, in foro exteriori, quum quoad conscientiam ratio vix reddi possit, cur salva conscientia possidere possit rem alienam.

Sed probat Grotius, hanc servi obligationem, ne fugiat, tantum ad jus externum pertinere. n. 3.

1) Ex causa, cur hoc jus introduxerint veteres, quod ideo factum, ne occiderentur captivi, sed servarentur. Atqui ad hunc finem adsequendum non opus erat jure interno, quod conscientiam obstringeret, sed externo.

2) Ex fonte hujus juris. Illud non est ex æquitate naturali, sed ex moribus gentium. n. 4.
Hos qui non observat, is quidem poenam civilem incurrit, sed non ideo peccatum sit actus in se indifferens & licitus. Quis vero licitum negaverit fugere, si quis sine delicto & culpa sua in tristem servitutem fuerit abreptus?

Objiciunt, canonicum jus etiam prohibere, ne quis servo fugam suadeat. n. 5.
Atqui jus Canonicum imprimis consulere conscientiz, adeoque & fugam servi illo jure haberi pro peccato contra conscientiam. Sed resp. 1) Juris canonici doctrinas non esse mera otacula. 2) Illud nonnunquam turbare magis, quam tranquillitas reddere conscientias. 3) Magnam esse differentiam inter servos, qui ob delictum vel ob voluntariam

tariam additionem, vel ob ipsam natalium conditionem in servitute vivunt, & eos, qui bello capti in hanc fortunam incidunt. De illis verum est, eos salva conscientia fugere non posse, de his minime. Unde Paullus ep. ad Philem. Onesimo servo Philemonis injunxit, ut ad dominum rediret, sed non injunxisset fortassis, si fuisset bello captus.

§. 7.

Porro ex eorum statu fluit, quod domino resistere nequeant. Et hoc quidem non modo juris externi est, sed & interni, quod & conscientiam stringit. Rationes sunt 1) quia dum servantur a victore, pactum inter eos & dominum victorem intercedit, quod velint ei servire, quamdiu servi sint. Atqui frustraneum esset hoc pactum, si liceret servo resistere domino. 2) Si liceret servo saltem salva conscientia resistere domino, liceret etiam resistere magistratui, dominum tuenti. Atqui id non licet salva conscientia, quia unusquisque in territorio vivens magistratui subesse & parere tenetur. E. etiam non licet domino resistere.

§. 8.

III. Jam quaeritur, an hoc jus, quod ex jure gent. venditat Grotius, semper & ubique receptum fuerit, & receptum sit etiamnum? Et id negat, adeoque tacite fatetur, non esse jure gent. Et 1) quidem demonstrat, nec olim apud omnes gentes fuisse receptum. Nam Hebraei captivos quidem abducebant, sed simul ipsis permit-

mittebant, ut confugere possent ad asyla. Quo facto liberi dimittebantur. Apud Francos quicumque terram Francorum attingerat, fiebat liber. Apud Indos plane nullam servitutem fuisse, testatur STRABO lib. XV. p. 710.

§. 9.

2) Idem dicendum de temporibus nostris. Notum enim est, hodie inter Christianos fore omnes, (exceptis Russis, qui vetus jus apud se restaurarunt,) ab usu recessisse morem captivos in servitutem abripiendi. Et quidem id suadebat 1) charitas Christiana, quæ ne minorem quidem servitiam probat. 2) Mutatio œconomiz. Hodie enim nec tanto usui nobis sunt servi, ac olim, quum maximæ divitiæ in multitudine servorum consisterent. 3) Si & gentiles inter ipsos concives ejusdem reip. bellum civile gerentes, servitutem cessare voluerunt, quanto iniquius esset, si eâ non cessaret inter Christianos, fratres spirituales, membra unius corporis myttici, socios futuræ hereditatis?

Accedit quod 4) ipsi Mahumedistæ, apud quas servitus adhuc viget, tamen Mahomedistas non rapiunt in servitutem. Quanto minus id decet Christianos?

Quo jure ergo victores utuntur in victos apud Christianos, si eos captivos abduxerint? Resp. Captivi detinentur, salvo statu libertatis, & tractantur tanquam captivi, (prisonniers de guerre,) donec lytro soluto vinculis vel carcere exeant.

C A P U T V I I I

De Imperia in Victos.

§. I.

n. 1.

Vidimus haecenus, quid liceat in victorum vitam, corpora, res, libertatem. Jam quaeritur, quid victori populo juris adquiratur in univrsum populum victum? Respondetur, jus hoc vocatur imperium. Ergo quemadmodum ex moribus gent. singuli privati capti in servitutum rediguntur: ita & univrsus populus devictus in imperium victoris concedit.

Grotius id probat suo more variis veterum testimoniis, veluti Senecae, Tertulliani, Livii, Caesaris, qui omnes fatentur bello adquiri imperium in victos. Et ista testimonia saltem evincunt, gentes ea persuasionem fuisse imbutas.

n. 2.

Sed fuere tamen revera gentes, quae non pro imperio, sed pro gloria bellum gererent. Id de omnibus gentibus antiquissimis tradit Justinus *libr. 1. cap. 2.* qui & observat, primum Ninum vicinos subjugare coepisse. Similia fere de Germanis narrat Tacitus, quod bello non fines protulerint Imperii, sed plerumque regiones circa se in solitudinem redegerint, ut exstaret victoriae & gloriae monumentum.

n. 3.

Quomodo autem adquiritur imperium in victos? Duplici ratione. Aut enim tantum rex in regis victi locuti succedit, tunc

tunc eodem jure utitur victor, quo olim utebatur victus, e. g. Wilhelmus victo Jacobo Rege Angliæ non alia jura sibi vindicare poterat, quam quæ habuerant antecessores. Cum rege enim bellum gerebat, non cum populo. Aut ipse populus plene victus est: tunc victoris ita acquiritur imperium, tanquam patrimonium, ut illud & alienare, & alio modo de eo disponere possit. Hinc priore casu regnum manet usufructuarium: posteriore fit patrimoniale.

§. 2.

Et posteriore hoc casu aliquando civitas plane extinguitur, ut victi non amplius sint cives, sed servi, & imperium non sit civile, sed herile, quale hodie in Turcia, Russia, Persia, India videmus obtinere. Id quod fit dupliciter,

1) Quando civitas victa fit provincia: adeoque accessoria fiat alterius provincie, e. g. Macedonia a Rom. victa non manebat regnum, nec resp. suis parentis magistratibus, sed provincia accessoria resp. Rom.

2) Quando manet quidem regnum, sed herile, uti Constantinopolis a Turcis capta. Quod vero regnum herile vocatur: ubi finis non est utilitas subditorum, sed principis. Ergo ibi omnia sunt imperantiam, & hi de bonis subditorum non minus libere disponunt, ac de rebus suis.

§. 3.

Quæritur, an detur etiam imperium ex civili & herili mixtum? Resp. omnino.

In vero herili omnes subditi sunt servi; solus princeps dominus, uti in Turcia. In mixto subditi gaudent libertate personali, ut sibi adquirant, sed non civili. Hinc pro lubitu possunt exhauriri tributis, in militiam adduci, omnibus juribus spoliari, quale fere est Russorum imperium. Tantum enim abest, ut ibi omnes subditi servi judicentur, ut potius quidam sint duces, principes, comites, nobiles. Ast ratione civilis libertatis omnium est idem status, tantum Imperatori Russorum licet in Ducem, quantum in rusticum & servum.

§. 4.

n. 1. Denique quæritur, an & victor succedat in jura principis vel populi devicti? Idque merito affirmatur. Aut enim per deditionem subjiciuntur, aut per victoriam. Priore casu per pactum, posteriore per vim omnia sunt victoris. Si omnia victoris fiunt, sane victi nihil retinent, adeoque nec jura, tanquam res, incorporales.

n. 2. 3. Rem variis exemplis illustrat Grotius. Alba prima olim inter populos Latinos. Ea victa hunc primatum jure sibi vindicabant Romani. Elegans quæstio circa Thebanos nata. Iis Thessali 100. talenta debebant. Expugnatis Thebis, Alexander jure victoriæ usus Thessalis hanc summam remittebat. Aliquanto post Thebani libertati suæ redditi id æs alienum exigebant a Thessalis. Quærebatur an jure? Negatur merito, quia Alexander tanquam victor

victor omnia reip. victæ jura adquisiverat. Ergo & de iis libere disponere, adeoque & debitum Theſſalis remittere & acceptum ferre poterat.

C A P U T IX.

De Postliminio.

§. I.

EX captivitate nascitur jus postliminii. n. 1.
Unde & de eo jam agitur paullo accuratius. §. 25.

1) Quando locus sit juri postliminii.

2) Quæ ejus effecta sint. 6, ad fin.

Præmittit autem Grotius quædam de ipso n. 20
vocabulo. Sunt autem duæ de ejus origine in jure nostro sententiæ. 1) Servius a post illud deducit, syllabas vero liminium nihil significare putat, quemadmodum in vocabulis testamentum, documentum, monumentum ultimæ syllabæ nihil notant. 2) Scævola a post & limine, quia captivi post captivitatem ad limina, id est ad limites reip. revertuntur. Sed utramque derivationem rejicit SALMASIUS *ad jus Ali. cap. 26. p. 568.* quia limen numquam notet limites vel fines reip. Et sane verissimam originem nobis tradit PLUTARCHUS *in Quæst. Rom. cap. 5.* ubi docet, reversos demum captivos non per fores ædes ingressos, sed post limites vel per regulas & impluviam se intromisisse, boni omninîs

caussa, & inde nomen sortitum esse jus postliminii. Conf. ÆGID. MENAGIUS *Amanis. jur. civil. cap. 39.*

§. 2.

n. 1. Quid vero est jus postliminii? Est recuperatio omnium jurium captivitate amissorum per reditum ad fines imperii nostri. Dicimus

Est *recuperatio*, non exprimentes, quis recuperaret. Nam jus postliminii & ad res pertinet, & ad personas. Ad res. Sic e. g. navis ab hoste capta, & postea vel vi tempestatum, vel alio casu in portum nostrum reversa ad priorem dominum redit, homo captivus fugiens libertatem juraque sua recuperat, simulac ad fines imp. nostri redit.

Recuperatio omnium jurium, quæ sc. captivitate extincta fuerant. Hinc fingebant Romani, eum, qui captus redisset, captivum non fuisse. Hinc reversus est civis, maritus, patria potestate gaudet, ac si nunquam fuisset captus.

Captivitate amissorum. Captivitas enim jure Rom. & veterum quorundam gentium erat capitis deminutio maxima. Unde patet, hodie personas hoc respectu opus non habere jure postliminii.

n. 4. *Per reditum ad fines imperii nostri*. Non ergo opus est, ut redeant in urbem ex qua nati, sed eo momento quo ingrediuntur præsidia nostra, omnia jura sua recuperant. Immo etiam si non nostros sed amicorum & sociorum fines attigerint, perinde est.

Et

Et ita obtinuisse apud Romanos quoque Polybius docet.

Inde vero consequitur, ut ad neutrarum partium gentem confugiens jus postliminii non habeat, sed redimendus sit. Nec enim ad nos, nec ad socios pervenit. Et hinc decidit Cuneus quaestionem bellissimam, an navis Januensium jure postliminii posset uti, quae capta a Turcis vi tempestatum in portum Venerorum, qui tunc neutrarum partium erant fuisse depulsa? idque merito negatur.

§. 3.

Explicavimus haec definitione, quid sit postliminii jus: jam porro docet Grovius, quid intersit inter has locutiones, *postliminio reverti*, & *postliminio recipi*.

Reverti dicebantur personae liberae in captivitate redactae ab hoste. Si enim se peterant ab hostili vi liberare & domum redire.

Contra recipi dicebantur res ab hoste captae, si redirent ad priorem dominum, sive virtute militum nostrorum, sive casu id fieret.

Quamvis vero hoc discrimen ex ipsa natura vocabulorum fluat, id tamen non semper servari animadvertimus apud Favium, ubi & de personis dicitur, quod recipiantur. In *L. 14. ff. de capt. & postl.* & *L. 12. cod. hae*, ut par est, accurate distinguuntur.

§. 4.

Postliminium porro aut in pace est, aut a. i.

Ll 4 in

in bello, *L. 12. p. 111.* Videbimus de pace diversos casus. *(1.)* aliqui bello capti facta pace ideo redeunt, quia in conditionibus pacis iis promissa libertas. Et hi habent jus postliminii.

(2.) Aliqui bello non capti, sed tempore pacis apud hostes peregrinantes bello subito coorto capti & retenti sunt. Hi si durante bello aufugiant, eodem jure gaudent.

(3.) Sed fuere quidam bello capti. In pacis conditionibus hæc non fuit, ut liberarentur. Nihilominus aufugiunt. Hi tantum abest, ut gaudeant jure postliminii, ut judicari possint ab iis, qui dominium in istos fugitivos habent jure belli.

n. 2.

Cur vero Romani captivos nec redemerunt, nec de iis reddendis in pacis conditionibus quidquam sibi stipulari consueverunt? Notum sane est, quod cum bello Punico I. Carth. Atilium Regulum consulem captivum remitterent Romam, ut redemptionem captivorum suaderet, hic ipse illam dissuaserit.

Rationes sunt, *(1.)* ut spes civibus in virtute bellica magis esset, quam in pace. Ita *TRIPRONIUS in L. 12.* Et hinc plerique Rom. ad extremum habitum pugnabant, & spe decollante, se ipsos interimebant.

(2.) Quia plerumque se victores sperabant, adeoque in lucro ponebant captivos quam plurimos retinere.

(3.) Quia quisque qui bellum gerit, putat sibi justam causam esse, adeoque captivos meruisse existimat captivitatem.

Inde

Inde ergo patet, 1) cur in pace semper sibi stipulati sint veteres redditionem & liberationem eorum, qui bello subito ingruente apud hostes fuerant deprehensi. Hi enim arma non gesserant, adeoque non ex fortitudinis defectu in hostium pervenerant potestatem. Neque captivitatem meruisse videbantur homines bona fide apud hostem peregrinati.

2) Cur res, & servi non reddantur facta pace, nisi expresse pactis ita convenierit? Quia hostis summo jure res hostis acquirit, sibi que retinet. Servi autem veteribus erant res.

3) Cur durante bello servi & res habuerint jus postliminii, quia erant in dominio. Jus autem omne per reditum ad fines nostros recuperari, paullo ante diximus.

§. 5.

Liber homo quando postliminio redit?

1) Si ad fines nostros rediit, 2) si eo animo redierit, ut maneat. Hinc si veniat pacis causa, vel missus ab hoste, vel hosti fidem dederit, se rediturum, non liberatur. Attilius Regulus Carthaginem rediit, quamvis sciret, se ad supplicium rediturum. Nec interest 3) vi hostium ergastula effregerit, an clam & dolo se liberarit.

§. 6.

Jam ad effectus. Horum 1) est quod liber homo se ipsum acquirit. Quum enim antea esset servus & alieno juri subjectus, jam in jus suum redit. 2) Omnes res suas, tum corporales e. g. servos, pradia,

pecunias, tum incorporales, e. g. jus civitatis, matrimonii, patris potestatis.

Ratio erat, quia hæc omnia non amisit ex defectu rerum, quia res ipsæ erant ereptæ, sed ex defectu personæ, quia persona erat subtracta rebus suis. Ea ergo redeunte, cessabat illa emissio.

n. 7. Sed quaeritur, si res occupavit victor,isque ea alienavit, an postliminio reversus habeat jus postliminii? Distinguit Grotius, an res habeant jus postliminii, nec ne. Priore casu redeunt ad dominum postliminio reversum, posteriore non redeunt. Ratio differentia est, quia priore casu venditæ censentur cum conditione, posteriore absolute. Fingi potest exemplum tempore belli Gallorum Senonum, qui Romam præter Capitolium occupaverant.

§. 7.

Diximus jura recuperari postliminio. Ea vel activa sunt vel passiva. Activa, quo alii ipsi obligantur, e. g. jus patr. p. alia, quibus ipse aliis obligatur, e. g. si creditores habet. De prioribus vidimus. An & posteriora recuperentur. Affe

1) Quia æquum est, ut si commoda recurrat, & incommoda ad eum revertantur.

2) Quia fingitur nunquam in captivitate fuisse. Atqui si nunquam in captivitate fuisset, mansisset obligatus.

3) Quia ita & leges decidunt. L. 12. §. 6. de capt. & postl.

§. 8.

Vidimus hæcenus regulam: jam exceptiones

nes expendemus. Jure ergo postliminii gaudent.

I. Personæ, quæ per deditionem in hostium potestatem pervenerant. Id probatur

1) Ex *L. 17. ff. h. t.*

2) Ex ratione pactorum, quibus pacifices contravenire nequeunt.

II. Nec gaudent postliminio ii, qui tempore induciarum aufugiunt. Ratio est, quia induciæ sunt pactum, quo convenit, ut tempore certo omnia in priore statu maneat.

Aliud si deditio tacite facta, id est, si captivi causa desperata arma abjecerunt.

§. 9.

III. Nec civitas gaudet jure postliminii, si capta non se ipsam liberavit, nec per pacem liberatur. Ratio est, quia civitas est persona moralis, adeoque eodem jure utitur ac persona physica. n. 1.

Hinc elegans illa controversia inter Frisios & Ultrajectinos, an Ultrajectum a Gallis capta locum suum in republica receperit. Momenta hujus questionis vid. apud HUBERUM in *prat. ad ff. h. t.*

IV. Excepta erant matrimonia, quippe quæ jure Rom. erant dissolubilia. n. 2.

Atqui supra non semel diximus, & matrimonii jus recuperari. Recte. Recuperatur, si uxor nondum misit repudium. Si nolit ad virum redire, non recuperatur. Cur? Maritus recuperat jura sua. Atqui, si in civitate mansisset, potuisset uxor ab eo suo jure divertere. Ergo etiam potest, postquam rediit.

LI 6 §. 10.

2. 1.

Vidimus hactenus, quid sit jus postliminii, quibus in rebus & personis locum, quaeque effecta habeat: jam quaeritur, sius juris gentium, an juris civilis?

Distinguit Grotius inter jus postliminii ipsum, & ejus limitationem.

Jus ipsum postliminii est juris gentium, id est, ut nos interpretamur, moribus omnium gentium moratorum receptum. Omnibus enim visa sunt corpora libera in servitutem per captivitatem detenta recuperare pristinam libertatem, si ad fines patriae redissent.

Sed jus civile aliquid & detrahit & addit huic communi omnium gentium principio.

1) Detrahit aliquid, dum hoc jure excludit.

a) Transfugas, in poenam. Nec enim digni erant beneficio reip. qui temp. deseruerant. *L. 19. §. 4. ff. de capt. & postlim.* Nec intererat, transfuga esset sui juris an filius familias, nam nec hic reversus in patriam potestatem redibat, quia hostis erat reip. & disciplina castrorum antiquior esse debebat parentibus Rom. quam liberorum caritas *L. 19. §. 7. eod.*

2. 2.

b) Redemptos ab hostibus, qui non prius jure civili pristinam libertatem recuperant, quam λύτρον ei, qui se redemit, restituerint, sed illi interea servire tenentur. Sed id 1) introductum, ut eo faciliores essent ad redimendos captivos, si scirent, se pecuniam non amittere, 2.) servitus haec fuit mode-

moderatioꝛ, quam alioꝛum ſervozum, quia erant ſtatu liberi, 3) ex *L. ult. C. de poſt. rer. redemſ.* durat quinquennium, 4) admittitur, ſi forte durius habeat redimens redemptum. Quæ leges tamen non ſunt Juſtiniani, ſed Honorii & Theodoſii.

a) Augent etiam Leges civiles juſ poſt. prout jure gent. receptum eſt, eique aliquid addunt,

a) Dum illud, quod apud gentes de perſonis ſtatutum, producunt ad res poſtliminio receptas, n. 3.

b) Dum ſingunt, numquam illum in captivitate fuiſſe. Fictiones enim non ſunt juris gentium, ſed civilis. Vid. ANT. DADIV. ALTESERRA de *ſtitionibus juris*.

c) Dum ex hac fictione colligunt, recuperari non ſolum jura quæ jam illo tempore, quo revertantur, ſuperſint, ſed & quæ antea habuerint, cum caperentur, e. g. bona uſucapta.

d) Dum *L. Cornelia* novam fictionem invexit, ſingens, eos, qui in captivitate deceſſerint, in civitate mortuos eſſe. Inde enim collegerunt, bona & jura ejus devolvi in ſucceſſores, ſive teſtamentum exſtet ante captivitatem conditum, ſive ab inteſtato ſuccedere velint.

Hæc omnia ex jure civili eſſe, nemo non videt.

§. II.

Jam ad res ſingulas progreditur A. & querit, in quibus locum habeat juſ poſtliminii, & quatenus illi locus ſit,

1.) Querit de ſervis & ancillis. Ser-
vi ja-

vi jure Rom. erant resp. Res ad nos re-
versæ in dominium redeunt. E. & servi.
Nec obstat

a) Eos ab hoste fuisse alienatos. Emto-
res enim aliud jus habere nequeunt, quam
quod venditores in eos transferunt. Atqui
si in potestate hostium mansissent, locus
fuisset juri postliminii. E. etiam ei locus
est, si sunt alienati.

b) Eos esse manumissos. Illa enim ma-
numissio effectum habet ratione manumit-
tentium hostium, non ratione prioris do-
mini, qui merito nullum judicat, quid-
quid hostis fecit in re sua.

n. 2. c) Servos ad hostes transfugisse. L. 19.

§. 8. ff. de capt. & postl. Quamvis enim

1) aliud obtineat in filiosfam. ratio tamen
differentiæ in prompta est. Nam filiosfam.
est membrum resp. adeoque transfugiens
hostilem animum declarat, adeoque indi-
gnus fit beneficio. Servus contra est res.

2) Filiosfam. si jure postl. utitur, benefi-
cio fruatur, servus autem reversus nullum
capit beneficium, (fit enim servus) sed
domini est hoc beneficium.

n. 3. d) Servos ab alio esse redemptos quam
a domino. Nam & hic redimens tamdiu
servum possidet, donec ei pretium a do-
mino fuerit restitutum.

§. 12.

2. Queritur de populis in servitutem
retractis, an ii jura recuperent priora ju-
re postliminii?

Dist. an prior princeps eos receperit,
ut Hungaros imperator tanquam rex Hun-
garie

garis sensim e Turcarum potestate libera-
vit: & tunc in recuperantis principis po-
testatem redeunt, & merito jura sua re-
cuperant, nisi sua culpa in hostium pote-
statem pervenerint.

An vero tertius eos receperit, veluti
imperator Siciliam a Duce Sabaudie amif-
sam. Tunc socius illam recipiens debet
dispicere, quid leges societatis vel foede-
ris exigant. Si enim ita cautum est, ut
provinciae receptae priori domino restituan-
tur, iis parendum est. Sin minus, eas re-
tinet socius victor, donec sibi de sumti-
bus satisfactum sit. Hinc facile redditur
ratio, cur Angli & Belgae Brabantiam,
Flandriam, Hannoviam restituerint impe-
ratori; imperator autem Siciliam non re-
stituerit Sabaudis, sed sibi eam retinuerit.

§. 13.

Quaeritur 3. de agris, qui jure postli-
minii omnino a priore domino recipiun-
tur, simul ac hostes expulsi.

Hic ergo ager rediisse fingitur ad fines
nostros, si expulsis hostibus fines ultra
agros occupatos protulimus. Nobile est
exemplum Justiniani imp. qui pulsus ex
Italia Gothicis agros a Gothicis possessor
prioribus dominis addixit, quamvis per
plures quam centum annos eos possedis-
sent hostes.

Ex eo autem sequitur, ut & jura rebus
istis vel agris inhaerentia simul redeant ad
priorem dominum. Hinc reviviscunt ser-
vitutes, usufructus, pignoris jus.

Ratio est 1) quia accessorium sequitur
suum

suum principale. 2) Quia jure postliminii res in priorem statum redit. 3) Quia fingitur rem nunquam in hostium potestate fuisse.

§. 14. 15.

n. 1. Quæritur de rebus mobilibus, an & in iis locus sit juri postliminii. Hic Grotius tempora distinguit.

Jure veteri distinguebatur inter res, quæ ad bellum pertinent, & aliam superlectilem, quam in castris vel in urbibus occupatis hostis abstulit.

De posterioribus negabatur, quod postliminii jus habeant. Hinc capta hosti tanquam præda acquirebantur, ab hostibus vendita emtoribus acquirebantur. A militibus nostris recuperata non præse priori domino restituantur, sed tanquam præda vel imperantibus cedant, vel dividuntur inter milites.

n. 2. Circa res bello destinatas distinguebatur inter res majoris & minoris momenti. Majoris momenti sunt naves bellicæ, tormenta, equi; minoris arma & vestes. Illæ redibant ad priorem dominum. Hæ minime. Ratio differentiæ erat, quod favore indigni videbantur, qui arma vel abjecerant, vel ea hosti reliquerant.

n. 3. Ast quod ad jus novum attinet, illud vix distinguit eo modo. Immo multis legibus plane aliud cautum, ut omnes res mobiles jure postliminii destituantur etiam naves. Constitutiones Genuensium & aliorum populorum maritimarum reperiuntur in libro quantumvis pretii, qui vocatur *Consulatus maris*.

§. 16.

Jam sequuntur quædam exceptiones . Nimirum 1) res hosti, antequam in præsidium ejus pervenerint, ereptæ redeunt quidem ad priorem dominum, sed non jure postliminii.

Ratio hæc est. Quæcumque nondum ab hoste in præsidia sua adducta sunt, illa ne capta quidem intelliguntur. Quæ capta non sunt, ea nec e dominio prioris possessoris exciderunt. Quæ non exciderunt ex dominio prioris possessoris, ea nec postliminio indigent.

2) Res a latronibus & piratis ereptæ & recuperatæ ad priorem dominum redeunt sine jure postliminii.

Ratio est, quia piratæ & latrones non gaudent jure belli, ergo nec bello adquirent. Ergo, quibus a latronibus vel piratis aliquid receptum, non magis indigent jure postliminii, quam ii, qui res furtivas sibi tanquam suas vindicant.

§. 17.

Attamen & hic jus civile potest aliud statuere. Exemplum attulit Grotius ex Legibus Hispanicis, quæ naves piratis ereptas non addicunt priori domino, sed capienti.

Similem Venetorum legem in annotatione subjecta recenset ipse Grotius.

Atqui videri hoc posset iniquum. Cur ergo id invexere leges nauticæ? Resp. ut eo magis omnes incitentur ad persequendos piratas, si videant, sibi prædam adjudicatam adiri. Sane is cui navis erepta est,

ple-

plerumque non potest piratam persequi. Alii id nollent, si prædam domino restituere teneatur, & sic in tuto futura esset piratarum fortuna.

§. 13.

B. 1.

Sub finem duplicem adhuc observationem subnectit Grotius, nempe 1) quod olim postliminii jus inter Romanos & externos populos, quamvis non hostes locum habuerit, e. g. Romanus naufragium faciebat in littore gentis extræ, non hostis. Homines nihilominus in potestatem gentis istius pervenisse videbantur, æque ac res naufragorum. Si se in libertatem vindicassent, & ad fines redirent, jure postliminii gaudebant.

Quænam ratio? Grotius eam deducit a pristina conditione Nomadum, populorum vagorum & incertæ sedis, qui sibi in omnes peregrinos aliquid licere existimabant, Ergo hostes & peregrini olim parum differabant, quamvis nullum ferretur bellum. Et jam a Cicerone aliisque observatum est, hostem olim dictam, qui nunc peregrinus, veluti in XII. Tabulis. Adversus hostem æterna auctoritas esto.

A. 2. 3.

II. Quod postliminii jus etiam esset inter foederatos, si ex iis aliquis apud nos serviisset, & domum rediisset. Sic sane censet *ÆLIUS L. 7. §. de capt. & postl.* sed dissentit *CICERO de Orat. 1. 1.*

Grotius distinguit fœdera, an tantum veluti inducias contineant, qualia sæpe superiore sæculo intercedebant inter imp. & Tur-

& Turcis, an perfectam pacem intendant, ita ut gens cum gente tuto negotiari possit, quale foedus jam est inter imp. & Turcas.

Priore casu locum habet jus postliminii, quia qui sine fide publica (passeport) ad gentem illam proficiscitur, in captivitate redigi solet. Posteriore cessat, quia ipsum cessat jus capiendi. Et jam intelligimus L. 5. §. 2. ff. de capt. & postl.

§. 19.

Sed quaeritur, an hæc jura postremo §. recensita etiamnum recepta sint. Resp. distinguendum esse, quali cum gente nobis res sit.

Inter gentes humaniores tempore pacis cessat captivitas: quod & Mahomedani hodie observare solent. Ergo nec opus est jus postliminii.

Ast barbaræ nationes adversus peregrinos, etiam non hostes, omnia sibi indulgent. Ergo & sæpe in pace jus hospitalitatis violant, & peregrinos detrudunt in servitutem. Quare his casibus merito servatur jus postliminii. Utilis hæc doctrina Belgis, qui sæpe & pacis tempore ab Algiriensibus, Tuncetanis, Tripolitanis, Indis & aliis Barbaris patiuntur injuriam.

CAPUT X.

Monita de his, quæ sunt in bello injusto.

§. I.

n. 1. **Q**uid hosti in hostem liceat hæctenus per partes ostendimus. Sed quum Grotius eam imberit sententiam, quod hæc omnia permilla sint jure tantum externo, non interno: hæc paullo accuratius jam explicare, & exceptiones ac temperamenta quædam commendare conatur juris tam rigidi. Ergo hoc capite

1) Exponit, quid pudor vetet vel permittat in bello §. 1. 2.

2) Quid in bello injusto fieri possit vel non possit? §. 3. fin.

3) De reliquis juribus temperamenta quædam commendat capitibus sequentibus.

n. 2. 3. Aliud leges; aliud pudor prohibet. Leges quod prohibent, illud dicitur injustum; pudor quod prohibet, inhonestum vel indecorum adpellatur. Si quis contra sanctionem legis facit, is punitur. Qui contra pudorem non punitur, sed improbus habetur. Leges enim improbos; pudor tantum viros bonos coercet. Potest id illustrari exemplo pactorum, fideicommissorum, quæ jus civile permittebat violari, ast non pudor & honestas.

Et hinc est quod *SENECA lib. 1. de ira cap. 7.* distinguat inter viros ad legem bonos, & vere bonos, inter jus ad officium, inter

Monita in bello iniusto. 807

inter ea quæ virtus exigit, & quæ publicæ exigunt tabulæ. Priora ad justiciam, posteriora ad pudorem & honestatem pertinent.

§. 2.

Jam hæc applicat bello, & demonstrat, hanc distinctionem etiam in bello obtinere. Nimirum jus strictum & leges permittunt omnia in infinitum adversus hostes non autem idem permittit pudor & honestas. Id variis testimoniis demonstrat Grotius veluti Senatus Romani in causa Marcelli. Hic Syracusas destruxerat. Syracusani de crudelitate ejus conquerebantur. Senatus rem putabat cognitione dignam. Marcellus se jure belli defendebat. Non autem eam exceptionem admittebat senatus; nec putabat tantum inquirendum, quid jure belli liceret, sed quid victi parti meriti. Alia addit testimonia Aristotelis, & Thucydidis, quæ eodem fere redeunt.

Sed & ad Jctos provocat, qui ideo captivitatem bellicam modo jus vocant, modo injuriam *L. 19. pr. ff. de capt. & postl.* Eodem modo loquuntur Livius, Dio Chrysostomus, Lactantius. Quæritur ergo, quid de hac doctrina sentiendum? Resp. negamus nos, jus belli tantum esse externum, non internum. Et jam supra ostendimus, hæc si vera essent, tunc neminem salva justitia bello interfuturum. Immo ne salva quidem conscientia quemquam tunc bella gesturum, quum tamen & jus nat. bella confirmet, & ipse Deus

tam.

tanquam summus Judarum imperans bella gesserit,

Sed tamen vera est altera Grotii distinctio. Nec negari potest, aliud prohibere leges, aliud pudorem, etiam in bello. Sic e. g. leges permittunt, ut victos spoliemus, ut iis vita juribusque privemus: sed pudor tamen vetat scire in eos, qui arma nec gesserunt adversus nos, nec gerent unquam, e. g. feminas, infantes. Pudor vetat sine necessitate obruncare cives victos, incendere urbes & ædificia, vastare terras, victos omnes in servitutum abripere. Et hinc veteres gentes, quæ sibi hæc omnia in victos permiserunt, non quidem injusti fuerunt, sed tamen adversus pudorem & honestatem peccarunt.

§. 3.

Jam ad bellum injustum, ubi queritur, quæ hosti in hostem liceant in bello injusto?

Respondemus cum Grotio nihil. Sed ante omnia hic videndum, quid sit bellum injustum? Bellum dicitur injustum vel ratione causæ, quia nulla adest causa ad bellum sufficiens, sed bellum tantum geritur ex ambitione, libidine: vel ratione personarum, quia qui gerunt, non gaudent jure gerendi bellum, e. g. subditi, vel ratione modi, quia ita geritur, ut non satis humanitatis rationem habeant victores, vel ratione sollempnitatum, quia non est indictum. Nos hic bellum injustum accipimus in duobus prioribus significationibus. Nam quod ad tertiam attinet, victor, qui paullo
du-

durius consulit in victos, non contra justitiam, sed contra honestatem peccat. Et postrema injustitia plane tantum ex decoro est, non ex justo.

Ast qui bellum gerunt sine causa, vel quum sint personæ, quæ jure belli non gaudeant, de iis observanda regula: iis nihil in hostes licere. Ubi enim cessat causa, ibi & effectus cessat. Atqui hic cessat causa, bellum, (id nomen enim non meretur hujusmodi concertatio,) ergo & belli effectus cessant.

§. 4.

Jam videbimus consecutaria ex hoc principio fluentia, quorum 1) est, quod ad restitutionem omnium obligentur tam injusti bellatores. Ratio in promptu est. Ubicumque quis extra bellum alterum lædit & damno adficit, ibi committitur delictum. Hic vero ubi jussu bellum non geritur, aliquis extra bellum alterum lædit, & damno afficit, ergo delinquit. Ast ex delicto omni obligatio & ad pœnam & ad restitutionem nascitur, ergo & ex hoc.

Quomodo tenentur autem? Ratione personarum omnes duces æque ac milites, illi, quatenus jusserunt: hi ex ipso damno dato, & quidem, si actus sit dividuus singuli pro rata, si individuus in solidum, quod ex natura damni dati fluit.

§. 5.

Restitutio vero damni, quum vel æstimatione præstita fieri possit, vel ipsa re reddita in specie, quaritur an præcise posterior requiratur, si res bello injusto captæ

captæ vel corruptæ? Adfirmat Grotius, modo culpa adfit. Casum enim nemo præstat, de dolo nemo dubitat. Id fuit 1) ex natura damni injuria dati, unde & culpam levissimam vindicat L. Aquilia. 2) Quia id gentes inter se servant, inter quas plerumque restitutio exigitur eorum, quæ bello injusto abrepta. Idque exemplo Samnitium probat Grotius.

u. 2. 3) Id illustratur exemplo contractus, ubi inæqualitas est, quæ si enormis fit, datur remedium ex L. 2, C. de resc. vendit, & contractus rescinditur. Si id in contractu obtinet ex æquitate: quantum magis in bello injusto, id est in delicto, ut alter alteri resarciat damnum, culpa sua tam injuste datum?

Objicitur, gentem, dum cum altera bellum injustum suscipit, ei illatum propulsat, videri donasse res bello captas. Sed absurda sane objectio. Sic donatio enim hæc vel expressa est, vel tacita, vel præsumta. Non expressa, quia nunquam hostis hosti declarat, se ipsi, quæ capturus sit, donare, nec tacita, quia signa nulla adsunt, ex quibus colligatur hujusmodi donatio. Nam hostis potius hosti prædam agenti resistit, eamque recuperare studet. Non denique præsumta: quia donatio nunquam præsumitur. Nemo præsumitur suum jactare, inquit lex etiam civilis.

§. 6.

u. 1. Sed difficilior est questio, an & is detineatur, qui prædam non ipse hosti sur-

furripuit, sed detinet tamen? Resp. aut queritur an teneatur ad restitutionem ex delicto, an ex alio fundamento? Non tenetur ex delicto, quia ipse nec bellum gessit, nec damnum dedit, sed rem ab alio justo forte titulo adquisivit. Sed ex alio tamen fundamento tenetur. Et ex quo vero? Quia possidet rem alienam. Qui prædam hosti bello injusto extorsit, non factus est dominus, per §. 2. Ergo & dominium in alium nullo titulo transferre potuit. Si dominium non translatum est, possidens vero domino vindicanti tenetur ad restitutionem.

Ex quo consequitur, ut eodem jure utatur hic possessor restituens, quo utitur is a quo res evincitur. 1) Quemadmodum enim hic vindicanti tenetur rem restituere cum fructibus exstantibus, sed non cum perceptis, ita & hic qui prædam possidet, modo in bona sit. 2) Quemadmodum possessor, a quo res evincitur, jure suo impensas in rem evictam factas exigit, ita & possessor prædæ. 3) Quemadmodum qui rem alienam b. f. possedit, plane non tenetur, si ea vel casu apud se perierit, vel si sine dolo malo alienata sit in tantum dumtaxat, in quantum factus est locupletior. Ita idem obtinebit in eo, qui prædam justo titulo adquisivit, & bona fide.

C A P U T X L

*Temperamentum circa jus interficiendi
in bello justo.*

§. 1.

n. 1. 1.

H Actenus de bello injusto: jam de ju-
sto, de quo docet

- 1) Non omnia licere secundum justi-
tiam internam. §. 1.
- 2) Quinam occidi possint. §. 2.
- 3) Quibus honestas parcere jubeat?
§. 3. fin.

I. Non omnia etiam in bello justo lice-
re victoribus, variis veterum testimoniis
probat auctor. Nos argumenta quarimus:

1) Quis resp. tota consideratur quidem
tanquam una persona, sed illa considera-
tio est fictio. Non autem possumus occi-
dere, quos nobis fingimus hostes, quum
non sint, ut infantes, foeminas, &c. 2)
Quia quod judicia sunt in civitate, id bel-
lum est in statu naturali. Quemadmodum
ergo in illa iudex modum puniendo exce-
dens peccat: ita & in hac victor, si mo-
dum excedet savienda. 3) Quia non sem-
per vincit, cui causa est iustissima. Ergo
vinci est infortunium, ob infortunium poe-
nas dare nemo debet.

§. 2.

II. Quis occidi potest salva conscientia?
Resp. Grotius, is, qui deliquit. Sed id ni-
hili. Nititur enim falsa hypothese, quam
supe-

superiore libro destruximus, quod bellum
in poenam geri possit.

Nos potius ita ratiocinamur. Bellum
geritur vel defensionis vel juris sui repe-
tendi causa. Quicumque ergo nobis peri-
culum intentat, vel vi prohibet nos, quo-
minus nostra repetere possimus, is occidi
potest jure defensionis. Inde sequitur, ut
occurri possint,

1) Milites & duces hostium, quamdiu
adversus nos pugnant, non si deditioem
fecerunt.

3) Qui hostium exercitus, classes, ca-
stra sequuntur, quamvis non sint milites,
ut ministri ecclesie, medici, chirurgi,
tympanotribae, tubicines, calones. Nos
enim distinguere a militibus inter praelian-
dum vix possumus. Si tamen agnoscuntur,
servandi sunt.

§. 3.

III. Vidimus qui occidi possint, jam
qui non possint? Grotius eximit 1) eos,
qui coacti sequuntur. 1) Quia hi nihil
peccent, adeoque ob solum infortunium
puniri nequeant. Tales sunt ab hostibus
nostris oppressi. Sic Romani obsidebant
Athenas, quum Athenienses essent Roma-
nis amicissimi. Tenebantur autem a Mi-
thridate, hoste Romanorum. An non in-
juriam fecissent Atheniensibus, si eos oc-
cidissent?

2) Qui sub aliena potestate sunt, non
agunt suo arbitrio, sed jussu & coactione
domini, saepe inviti. Qui vero non suo
arbitrio aliquid agit, non est auctor actio-

n. 2.

M m 2 nis,

nis, ergo nec potest poena affici. Id quod hoc n. 2. multis exemplis & testimoniis probat Grotius.

Sed in eo cum Grotio facimus quidem, quod his hominibus, qui inviti hostem sequuntur, parcendum sit, si id fieri possit commode. Sed Grotii rationes non sufficiunt, quia semper bellum sibi tanquam poenam concipit.

Nos dicimus. Qui nos occidere vult, eum antevertere possumus, siue delictum in eo sit, siue non, e. g. si aggressor meus sit furiosus. Ergo hostes occidere possum, siue invito siue sponte me occidere tentent, & exercitum hostilem sequantur. Si autem constet eos invitos id agere, parcere possum, si jam victoriam reportaturi, non in ipso praelio.

§. 4.

n. 1.

Hinc facile patet nullius hic momenti esse tractatum hujus prolixissimi §. de variis delinquendi modis. Alia inquit committuntur ab invitis, tunc non delictum est, sed infortunium, alia a volentibus & scientibus, & tunc dicitur injuria vel delictum, maleficium &c. In aliis voluntas est mixta & auctor actionis nec sciens & volens nec plane ignorans dici potest.

n. 2. 3.
4. 5.

Et id Arles vocat ἀμαρτία peccatum. Id prolixo loco ex Aristotele illustrat Grotius. Nos tantum exempla quaedam ex eo & interpretibus ejusdem adjiciemus. Si quis fame urgetur, ut aliquid furripiat esculentum, tunc id fit ab invito, sine proposito peccandi, quamvis sciat, se furripere

pere rem alienam. Ergo est actio mixta. Si quis ostium aperit, & patrem pene adstantem lædit, actio est invita, quia nec scivit, nec voluit, adeoque infortunium. Si quis furtum deliberato animo facit, est verum delictum.

Hanc differentiam etiam agnoscunt leges nostræ *L. de poen. Delinquitur aut proposito* (en delictum, ut latrones qui factionem habent,) *aut impetu*, (per actionem mixtam, e. g. per ebrietatem,) *aut casu*, per infortunium, e. g. si telum venandi causa emissum feriat hominem.

Quæ casu fiunt non sunt delicta, quæ impetu leviora, quæ proposito gravissima.

Diximus, quæ impetu levium esse. Rationes sunt 1) quia hic non est consilium sed culpa. 2) Quia ea delicta quodammodo excusat necessitas, cui natura humana non semper resistere potest. Id quod variis testimoniis illustrat Grotius.

Hæc omnia recte, sed quid ad rem? n. 8.

Inde ergo jam concludit Grotius, occidere licere eos, qui sponte arma corripunt, non eos qui inviti. Hinc laudat Themistium, qui ducem expendere jubet, quid distent injuria, culpa & infortunium. Hinc laudat Titum imp. qui victis Judæis in criminis duces animadvertit re ipsa, in multitudinem verbis tantum. Hinc denique laudat Val. Placcii testimonium, ubi victor idem observasse discrimen fingitur.

Hæc omnia probanda, excepta una hypothesis, quod victor poenas sumat a victis.

§. 5.

Parcendum 2) multitudini, 1) quia saepe invita bellum sequitur. 2) Quia illa raro dijudicare potest belli justitiam vel injustitiam, sed ea in re imperantis iudicium sequitur.

Ita Grotius denuo ex hypothesis. Nos distinguimus, an multitudo illa adversus nos pugnet, an non. Si prius occidi possunt, non quia peccant, sed quia nobis jus est defensionis. Si non pugnant, sed victoriam jam reportavimus, tunc parcendum iis dicimus, 1) quia infortunium miseratione dignum, 2) quia jam nobis nullum jus defendendi, ubi nemo oppugnat, 3) quia & victor contra utilitatem propriam ageret, si multitudinem victam occideret. Quis erit tunc, cui victor imperet?

§. 6.

n. 1, 2, 3. Parcendum 3) iis quibus probabilis fuit arma arripiendi causa. Nam 1) difficile est dijudicare, uter hostium justa causa utatur, 2) nunquam principi deest color, quo causam suam incrustet. 3) Errantes non merentur poenam. Hic denuo uberissima seges testimoniorum veterum, sed quae nil probant, sed illustrant.

Nos rem ipsam probamus, quia errare humanum est, sed rationes, quibus Grotius utitur, non omnes admittimus, quia jus occidendi hostem non ex delicto ejus est, sed ex-jure me defendendi.

§. 7.

Parcendum saepe 4) ipsis nocentibus ex humanitate, modestia, magnitudine animi.

1) Vir-

1) Virtutes enim hæ in victore maxime laudantur. 2) Pulchrum est se ipsum vincere. 3) Quia semper cogitandum, quam lubrico folio insistant fortuna, & quam facile eadem nobis contingere possint. Nota sunt hanc in rem exempla Adonibeseæ, Cræsi, & aliorum,

Ea occasione merito invenitur in Romanos, qui captivos reges bellicæ duces occidere solebant, postquam eos duxerant in triumpho. Iste mos nec moraliter nec politice bonus. Non moraliter, quia repugnat clementiæ, humanitati, non politice, quia interest omnium civitatum, imperantes etiam hostes Sacrosanctos haberi, & tam contumeliose non tractari, ut taceamus, ejusmodi morem hostes abstergere a deditioe. Quis enim rex tam ignavus esset, ut non ad extremum habitum mallet pugnare, quam a carnifice mactari,

Inde ergo recte colligit Grotius, laudandam etiam in victore clementiam. Pertinet huc insignis Ciceronis oratio pro M. Marcello, ubi eleganter docet, Cæsarem hostibus parcendo majorem consequutum gloriam, quam tot victoriis, & Xenophontis Cyropœdia, ubi docet, Cyrum tot Asiæ provincias non tam victoriis, quam clementia occupasse.

§. 8.

Danda 5) opera, ne inimici homines occidantur casu. Hinc 1) inculcandum militibus, ut inimicis parcent. Cæsaris vox nota: Miles parce civibus. 1.) Non temere & præter necessitatem iis utendum

mediis, e quibus innoxiiis & nocentibus eadem imminet perniciēs, e. g. veneno inficiendo fontes &c. 3) Disciplina militaris stricte observanda, ne impune milites caedes, latrocinia, furta committere possint.

§. 9.

n. 1. Jam ut ad specialia perveniamus, parcendum erit 6) pueris & infantibus, 1) quia isti infra iram sunt, quia Deus ipse in bellis iis parcere iussit, Deut. XX, 14.

Objici huic 2. rationi posset Num. XXXI, ubi ne infantibus quidem parci vult Deus. Sed resp. Deus supremus arbiter vitae nostrae est, adeoque non est quaestio, quid ipse possit, sed quid hominibus permiserit. Gentes illas idololatricas internecioni destinaverat.

n. 2. 3) Quia ipse Deus misertus infantum Jonæ IV, 2.

4) Quod jus in hostes, ut heri diximus, descendit ex jure defensionis, defensio ex offensione imminente. Jam vero pueri & infantes nec volunt nec possunt nos offendere. Elegans dictum Camilli apud LIV. quum ludi magister pueros Faliscorum in castra eduxisset: Non adversus eam aetatem &c.

n. 3. 4. 7) Parcendum etiam foeminis ob eadem rationes 1) quia minus generosum, cum imbelli sexu bellum gerere, 2) quia ipse Deus Deut. XX, 14. iis parcere iussit, 3) quia ordinarie non arma adversus nos gerunt.

Et hinc omnino cessat hæc regula, si ipsæ virilia officia usurpent, & armis se tuean-

tueantur, veluti amazones, & ut sæpe
fœminæ faciunt in urbibus obsessis. Ta-
men & hoc casu, quia de salute sua sol-
licitæ id agunt, parcendum iis est, parta
victoria, quamvis ægre ferre non debeant
si inter præliandum occidantur.

§. 10.

Parcendum 8) & iis, quorum genus vi- n. 1.
tæ ab armis abhorret. Quum enim defen-
sio cesset, ubi offensio non metuitur, quis
ferret sævitiam in eos, qui de armis capien-
dis nunquam cogitarunt. Tales sunt

1) Qui sacra obeunt, a quorum sangui-
ne & feroces gentes abstinere consueve-
runt, veluti Philistæi. 1. Sam. X, 5. Cre-
tenses, PLUTARCH. in *quæst. græc.*

2) Viri litterati.

3) Monachi, & pœnitentes. Hi omnes n. 2.
enim abhorrent ab armis, nec ea hostibus
obvertere solent ordinario.

Dico ordinario. Nam si & ea in re le-
ges & consuetudines ordinis sui violent,
inter præliandum jure occiduntur. Non
ignota sunt exempla Episcoporum & Car-
dinalium, qui ordines duxerunt in bello,
de quibus singularis exstat, & perelegans
tractatus CASP. ZIEGLERI, sub titulo *Gle-
riens Miles, item Clericus Percussor.*

§. 11.

Parcendum porro 9) agricolis. 1) Quia
hi ob genus vitæ innoxium & simplicitatem
raro distinguere possunt justitiam vel inju-
stitiam belli. 2) Quia interest reip. ne agri
inculti maneat & silvescant, id quod contin-
gere oporteret, si occiderentur a victoribus.

Mm 5 Et

Et hinc plerumque honestiores gentes in bellis proponere solent edicta, quibus rusticos fugientes domum revocant promissa securitate, additisque minis de incendiis eorum pagis, nisi revertantur.

Sed & hic tamen eadem locum invenit exceptio, si armati adversus nos procedant, tunc enim in præliis salva conscientia occidi possunt. Post victoriam iis parcendum.

§. 12.

Idem dicendum 10) de mercatoribus. Hi duplices sunt, vel enim castra sequuntur, qui vocantur *marquetainers*. Isti si inter prælium occidantur, id sibi imputare debent, maxime quam plerumque sint milites, vel saltem ab iis tam accurate discerni nequeant: vel vitam stabilem in urbibus & emporiis agant. His parcendum 1) quia ab armis alieni 2) quia alias magis expositi forent militum injuriis ob divitias, quas possidere solent. 3) Quia interest reip. ut commercia non pessumdentur, quo semel facto non facile ad pristinum florem redeunt.

§. 13.

R. 1. 2. 3. Haecenus actum de illis, qui non nocuerunt: jam vero pergimus ad eos, qui arma gesserunt, inter quos præcipui sunt captivi. Quæritur itaque, an eos occidere possimus salva honestate? Dicimus salva honestate. Nam quid jus strictum permittat, supra vidimus.

Et primo quidem observat Grotius, omnes gentes honestiores abstinentes ab occiden-

dendis captivis. Inter Græcos eminentia exempla Pyrrhi & Alexandri M. qui se negabant bellum cum captivis gerere, Agefilai qui captivos, non tanquam fontes puniendos, sed tanquam homines custodiendos dicebat.

De Romanis exstant exempla innumera. Et laudat Tacitus Duces Vespasiani, qui ultra aciem non sevant.

De Ebræis notabilis est quaestio Elisai Prophetæ 2. Reg. II. *an tu quos captivos gladio tuo & arcu tuo abduceres insorimur, vos?* Talis est poene omnium gentium humaniorum persuasio.

§. 14.

Inde ergo sequitur 1) ut recipi debeant, qui se dedere cupiunt, 2) quia sic finem suum sine sanguine adsequitur victor. 3) Quia poenitentia & in hoste veniam meretur. 4) Quia sic cessat offensio, ergo & defensio, quia hanc regulam gentes moratiores omnes probarunt.

Qu. an idem in expugnatione urbium observandum? Pleraque gentes olim distinguebant, an deditio statim fiat, priusquam aries muros pulsaret, an postea. Priore casu deditis parcebant, non item posteriore.

Sed hodie distingui solet, an urbs insultu capiatur, an nondum factus insultus. Nam hoc casu deditio admittitur, sed quo diutius se opposuerunt, eo duriores accipiunt condiciones salva tamen deditis vita & libertate. Sin insultus jam factus & expugnata urbs, tunc non amplius de

deditioe cogitandum, sed victoris est, leges dicere victis.

Enimvero & hic humanitas & honestas jubet abstinere manus a victis, quibus ipsa fortuna las poenarum irrogat.

§. 15.

Qu. an occidi possint, qui se sine conditione dederunt? Jure stricto eos occidi posse, supra dixerat Grotius, quia vita illis non promissa.

Sed æquius est, id negari. Nam qui deditos recipiunt, tacite iis vitam promittunt, adeoque si occidantur, id non solum honestati repugnat, ceu fatetur Grotius, quia vita illis non promissa, sed & juri. Quis enim eo sine se dederet, ut penes victorem velit esse arbitrium, velint se mactare an vivum servare? Quis non potius pugnans moreretur? Si vero is finis non est se deditum, sed ut conserventur, sane victor dum deditos recipit, in hunc finem videtur tacite consensisse.

§. 16.

n. l. 2.

Solent hic nonnulli, qui de jure belli scripserunt, exceptiones quasdam addere, quarum

1) Est, si jus talionis vel ultionis id exigat, e. g. hostes deditos nostros occiderunt, ergo & nos possumus. Resp. 1) non hic queri quid fiat, nec quid jure strictissimo fieri possit, sed quid honestas permittat. 2) Jus talionis locum tantum habere inter easdem personas. 3) Idem pertinere tantum ad delicta, de quibus in bello est questio.

2) Exci-

2) Excipiunt casum, si ex hac severitate ingens utilitas speretur, veluti si hostes terrore afficiantur, ut eo facilius a nostris manus abstineant. n. 3

Sed resp. 1) non omne, quod utile, honestum est. Utilitas jus non tribuit occidendi, alias & latro excusari posset. 2) Ille terror hanc utilitatem certe non promittit, sed hostes saepe eo obstinatiores facit.

3) Excipiunt, qui obstinatius in partes suas ferebantur. Sed id quoque falsum, 1) quia causae belli plerumque sunt dubiae. 2) Quia ignoscendum naturali amor in patriam & principem vel rempa. 3) Quia fides laudem potius meretur, quam supplicium. n. 4

4) Si clades magna antecesserit. Tunc enim dolorem excusare ultionem. Resp. qui jure suo utitur, nemini facit injuriam. An irascemur hosti, quod nobis cladem intulerit? An ideo saeviemus in captivos, quia nos paullo ante succubimus? Siccine illi poenas dabunt ignaviae nostrae, vel factum infortuniae? n. 5

§. 17.

Illustrat Grotius exemplo delictorum. Si multitudo delinquentium est nimia, parci illi solet. Et hinc si e. g. totae legiones peccarint, e. g. seditionem movendo, decimus & vicesimus quisque forte duci solet ad supplicium.

Sed id in delictis fit, quanto magis in bello, ubi captivi nullius delicti rei sunt? An non ipsa multitudo iis esset praesidio?

§. 18.

§. 18.

n. 1. Gravior est quaestio de obsidibus, an ii occidi possint? Obsides sunt, qui veluti pignori dati sunt in securitatem pactorum.

Jam veteres, si hostis pacta violasset, obsides occidebant. Id vero fieri jure posse recte negat Grotius.

1) Quia nemini est jus in vitam suam, adeoque & nemo se ea lege potest pignori dare, ut occidendi facultatem det hosti.

2) Quia nemo potest supplicio adfici, nisi ob delictum proprium, quale hic nullum est.

n. 2. 3. 3) Quia obsides plerumque inviti dantur.

Objiciunt cum Menochio, valere tamen hujusmodi conventionem, si moribus confirmetur. Resp. Mores rem in se injustam justam facere nequeunt, sed tantum impunitatem tribuere, de qua jam non agitur.

§. 19.

Denique concludit Grotius, Christianos decere ab omni inutili sanguinis humani effusione abhorreere. Et recte quidem, quia 1) ipsi Deo sanguis humanus tam pretiosus est, 2) quia vita semel erepta restitui nequit, 3) quia charitas Christianorum veluti propria esse debet. Charitas autem non favit, non irascitur, non occidit, maxime sine ratione.

C A P U T XII.

Temperamentum circa vastationem & similia.

§. I.

Vastatio veluti proprium belli effectum est. Vastantur urbes, agri, provinciae. n. i.
 Queritur an iuste? Grotius ostendit, non nisi tres esse causas, ob quas excusari possit rerum alienarum corruptio.

1) Necessitas, ipso J. N. concessa, e. g. si gladium aggressoris quis frangat, vel in animum projiciat.

2) Debitum aliquod antecedens, in quod posset res perdita imputari, e. g. in repressaliis.

3) Delictum ob quod poena infligitur. Sed hic tamen proportionem aliquam inter delictum & poenam observandum putat Grotius, quemadmodum in casu restitutionem deberi existimat. Neutrum recte, quia ubi delictum non est, restitutio cessat, & proportio inter poenam & delictum locum tantum habes inter personas diversas.

Hæ sunt causæ justificæ, ob quas res aliorum corrumpi possunt: sequitur causa impulsiva.

Ubi regula? Non debet quis ad id extremum provolare, nisi utilitas quaedam suadeat. Talis est

1) Si videamus ex ratione bellum citius finitum iri.

2) Si res hosti subtrahamus, quibus nos impugnare possit.

3) Si

3) Si res servari melioribus usibus nō possint, sine periculo quod hostis eas occupaturus sit.

Ergo non ferenda vastatio ex solo odio, crudelitate, & sine omni ratione suscepta.

§. 2.

¶ 1.

Ex eo ergo deciditur quæstio, quando abstinendum sit a vastatione, de qua §. 2, 7. Respondet Grotius, excipiendos quosdam casus & quasdam res. Videbimus prius de casibus.

Primus est, si res nobis fructuosa sit, nec in hostis potestate. Hinc abstinere Deus jubet ab 1) arboribus frugiferis, agris frugiferis. Nam 1) iis hostis non sit fortior, 2) ita impugnamus posteritatem, immo & 3) nos ipsos, si hostili terra potituri sumus.

¶ 2.

Eadem est ratio 2) animalium, quorum in bello nullus usus, 3) ædificiorum, 4) esculentorum & poculeatorum. Cui bono enim cum his bellum geramus?

Sed tamen hæc omnia tam crude non accipienda. Aut bellum gerimus, aut reportavimus victoriam. Si prius, tunc si videamus hostem arboribus, agris, animalibus frui, & inde victum & comætarum habere, vel ædificiis eum uti ad munitiones, quis neget ea excindi posse? Sane ne quidem tempore pacis obligor ad id, quod mihi nocet & alteri prodest, quanto minus in bello?

¶ 1. 4.

Ast si de victoria sit quæstio, tunc facile largior, injustissimam esse rerum hostilium devastationem, 1) quia tunc nulla cogit

cogit necessitas, 2) nulla utilitas suadet, 3) immo in nos ipsos tunc favimus, qui fructum jam ex rebus illis capere possumus post victoriam.

Obiiciunt hinc denuo bella cum Cananæis gesta, Jos. VI. 2. Reg. III, 19. ubi Danus ipsas res corrumpi iussit. Sed quod ex supremo Dei in res omnes dominio fuit, id ad homines non posse applicari, jam antecedente capite diximus.

§. 3.

Abstinendum 2) si spes sit celeris victoriz. Tunc enim ut dixi res non alienas, sed suas futuras perderet victor. Addantur elegantia dicta Alexandri & Croesi.

n. 1.

Sed hoc merito non admodum opus est, cum propria utilitas facile unumquemque permoveat, ut res hostium superatorum non corrumpat, sed abripiat.

§. 4.

Tertia Grotii exceptio est 3) si res aliunde habeat, quo se sustentet, e. g. si mare vel fines alii pateant. Nam

1) Tunc frustranea esset vastatio, qua hostis ad famem non adigitur.

2) Majorem fructum capere possumus, si agros tutos præstemus, usque imponamus certum tributum. Quod in ultimis bellis fere ubique observatum est.

3) Ita moribus aliarum gentium receptum, ut apud Indos, Persas, Græcos, & hodie Europeos humaniores tantum, non omnes. Ex quo consensu Gentium Grotius quidem suo more jus gent. arguit, sed

n. 2. 3. 4.

sed nihil ille consensus probat, nisi morem hunc pluribus gentibus placuisse.

Melius num. 4. a minore ad majus concludit, si gentes profanæ religioni deditæ tam humanæ fuerunt, multo magis id decere Christianos.

§. 5.

Abstinentum a vastatione 4) si res ad bellum fovendum nullius sit usus, tales statuae, imagines, horti, ædificia elegantiora. Ita enim nec debiliorem hostem reddimus, nec nos fortiores.

Meretur hic conferri Rhodiorum oratio, & quantam invidiam in superiore bello conflavit Gallis, quod Sabaudia Ducis hortos & palatia voluptatis causa exædificata sine ratione corruerint.

§. 6.

Hactenus de casibus: jam de rebus, quas vastationi exemptas esse decet, quales sunt 1) sacris usibus destinatae,

Sunt qui id negant, Ajunt enim falsum & superstitiosum esse, quæ jura asserrunt, res has esse nullius, divini juris, sacras: revera enim esse vel publicas vel universitatis, a quibus nulla ratio nos jubet abstinere.

Sed hic pro rebus istis militat, 1) quod sine innoxia, 2) quod earum devastatio cum scandalo conjuncta, 3) quod videatur ea contumelia in cultum ipsum redundare.

n. 2. 3.

Accedit consensus gentium tam gentili superstitioni addictarum, Græcorum, Romanorum, Gallorum, quam Christianorum,

rum, inprimis Francorum: ex quibus sal-
tim id fuit, humanitatem hanc semper
placuisse gentibus honestioribus.

Enimvero distinguendum tamen, 1) an
res vere sacris usibus destinatae nec ne.
Sic enim innumeri thesauri qui servantur
in quibusdam templis non sunt res sacrae.
2) An pertineant res ad ecclesiam, an quod
sit, privati eas ibi deposuerint. 3) Sitne
hostis eorundem sacrorum ac nos, nec ne?
Hinc Franci Saxonum delubra, statuas,
simulacra violarunt. Et notum est Chri-
stiani Ducis Brunsvicensis grave scisma;
qui in bello tricennali capta Paderborna,
quum 12 statuas argenteas apostolorum re-
pperisset, eas conflare & pecuniam inde fieri
iussit, addita ratione, apostolis non deli-
tescendum esse Paderbornae, sed eundem
in mundum universum.

§. 7.

Ejusdem generis sunt res religiosae, id
est, sepulcra. Nam quamvis profana sit
persuasio, ea esse loca religiosa, quum
nos nullos Deos Manes statuamus, 1) va-
statio tamen sepulcrorum nullam habet
justam rationem. 2) Redundat ea contu-
melia in ipsos mortuos, quorum honori
destinata sunt, & quibuscum bella ge-
rere, plus quam stolidum est.

Hinc jure reprehensa Gallorum insania,
qui capta Spira sepulcra imperatorum ve-
terum violarunt, ipsaque ossa ejecerunt,
& cineres. Humaniores sane ipsi gentiles,
quorum testimonia & exempla gregatim
suo more adducit Grotius. Nos addimus
testi-

testimonium Caroli V. qui quum Wittebergam cepisset, & ministri suaderent, ut Lutheri corpus paullo ante sepultum effodi curaret & comburi, respondit, Lutheri cadaveri se non irasci, animam vero jam coram tribunali Dei rationes actuum suorum reddituram.

§. 8.

n. 1. Quemadmodum autem & saluberrimæ admonitiones parum ponderis habere solent, nisi insignis inde utilitas effulgeat, hinc Grotius jam usum insignem hujusmodi moderationis addit sub finem hujus capituli,

1) Ita eripitur hosti magnum telum, desperatio. Ea magis armat hostes, quam copiarum & gladii. Exemplum Numantinorum notum est.

n. 2. 30 2) Ita magnam præ nobis ferimus fiduciam de victoria. Id quod & fortiores reddit milites nostros, & hostes tardiores.

3) Faciliores hostes erunt ad ditionem, si moderationem victoris videant. Ita Cyrus, ita Cæsar pleraque occupavit.

n. 4. 4) Maximus autem fructus est tranquillitas conscientiarum, cujus præcipue rationem habere decet Christianos principes & republicas. Ipsos gentiles nonnunquam morsus conscientiarum sensisse legimus, si in vastandis urbibus & terris modum excessissent; veluti Alexandrum captis Thebis: quanto minus Christiani conscientia feret eam crudelitatem, maxime in alios Christianos exercitam?

C A P U T XIII.

Temperamentum circa res captas.

§. 1.

IN bello & res hostium capi solent: unde
 1) quæritur, an permittenda sit illa re-
 rum hostilium occupatio? Si de justo quæ-
 ritur, ipse Grotius jam supra id concessit:
 aliud esse existimat de honesto responden-
 dum: Hinc 2) tantum causas esse existi-
 mat, ob quas in bello abripi possint res
 hostiles:

n. 10

- 1) Si nobis hostis aliquid debeat, quia hoc & in pace licet.
- 2) Si securitas nostra id exigat, e-
 g. si arma, pulverem pyrium &c.
 intercipiamus.

Debitum iterum duplex, vel ex pacto,
 vel ex delicto. Ex utroque res intercipi
 posse hostiles, sed observato tamen discrimi-
 ne, quia ex pacto debitum & subdito-
 rum tanquam fidejussorum bona obliget:
 ex delicto autem id non procedere.

n. 10

§. 2.

Nam quod ex delicto debetur, sive ad
 restitutionem sive ad poenam tendat, a solo
 delinquente repeti debet.

1) Quia poena est obligatio odiosa, nec
 adeo per interpretationem extensivam ab
 alio, quam delinquente exigi potest.

2) Obligatio ex pacto in bonis est. Et
 &c vicariam admittit præstationem; obli-
 gatio ex delicto in bonis non est.

3) Quia

3) Quia poena est malum passionis, quod infligitur ob malum actionis a superiore. Ergo tertius puniri nequit, qui non commisit malum actionis.

§. 3.

Quod ex debito debetur, ad illius satisfactionem & res hostium, tum imperantis, tum subditorum occupari posse jam concessit Grotius. Sed quam debitum vel ante bellum natum sit, vel durante bello: de illo nemo dubitat, quia ob id res hostiles occupari queant, de hoc autem quaeritur, an & ob id liceat?

Et id recte affirmatur. Nam tunc aliquid solutum intelligitur, quando mihi satisficit de eo, quod debetur, ut nihil debeatur amplius.

Jam vero si e. g. Galli nobis debeant milena millia expendimus, in eoque bello occupavimus res hostiles millenorum millium, tunc sane nobis non est satisfactum, quia tantum impendimus, quantum cepimus.

Ex quo consequitur, 1) ut capta in bello non compensentur cum debito principali, sed cum impensis & sumptibus bellicis.

2) Ut si nihil ceperimus, bello finito non solum debitum principale solvendum, reddendumque sit, verum etiam ea pars, quae injustum bellum gessit sumtus belli restituere teneatur.

3) Ut etiam in bello justo non solum tantum hosti juste eripi possit, quantum nobis debetur, sed & quanti sumtus belli sunt.

§. 4.

§. 4.

Haftenus quid & jure stricto & ex honestate liceat, vidimus: jam quid charitas permittat, videndum. Ea de jure suo aliquid remittit, & non considerat, quid hostis mereatur, sed quid Christiano dignum sit. Idque probat

1) A minore ad majus, exemplo fidejussoris privati. Si creditor jure stricto usus fidejussorem pauperem ad extremum usque numerum excutit, jure quidem stricto utitur, sed id miserum est, dum nihil in rem fidejussoris versum sit. Quanto miserius, temp. excutere subditos alienos ob debitum principis?

2) Illi, quos excutimus, subditi alieni n. 2. difficilius carebunt re sua, quam nos debitor. Charitas vero jubet, ne magno alterius detrimento locupletiores fiamus. Unde laudatur a Xenophonte Cyrus, quod praedam agentes milites represserit, eosque humanitatis rationem habere jusserit.

3) A natura fidejussionis. Fidejussor tenetur in subsidium, si spes non sit, nos res nostras a debito principali recuperaturos. Atqui, quamdiu bellum gerimus, spes est, nos res nostras ab ipsa rep. debitrice, vel principe debitore recuperaturos. Ergo ad haec extrema non provolandum, ut subditos tanquam fidejussores pro debito imperantium excutiamus. n. 3. 4.

4) Addit Grotius varia hujus humanitatis exempla, veluti Romuli, & Alexandri M. qui quum profanae religioni fuerint

ad-

addicti, merito in ruborem dant principes & resp. Christianos, quibus multo sanctior præscripta est lex charitatis.

CAPUT XIV.

Temperamentum circa captos.

§. 1.

u. 1. **C**irca captivos supra vidimus duplex jus introductum esse, moribus gentium. Aliæ gentes captivos salva libertate detinent quidem, sed restituunt soluto pro iis lytro, ut gentes Christianæ fere omnes. Jam in utroque jure temperamenta quædam observanda monet, & quidem

1) Circa captivorum servitutem. §. 1. 8.

2) Circa captivos non servos. §. 9.

u. 2. Servos quod attinet, distinguit Grotius inter id, quod licet justitia externa, id est, ut impune sit, quidque justitia interna, ut salva justitia fieri possit.

Justitia externa permittit, ut indistincte omnes captivi in servitutem redigantur, si semel hujusmodi mos invecus sit.

Ast interna jubet personas distinguere; sintne vere hostes, nec ne. Hinc salva conscientia vix capi & in in servitutem detradi patitur 1) feminas, quæ se armis non defendunt, 2) infantes & pueros, 3) agricolas & turbam imbellem, 4) eos, qui coacti castra sequuntur. Quale discrimen & a Philippo Macedone observatum, laudat Demosthenes, cujus locus apud Grotium.

§. 2.

§. 2.

Eadem justitia interna observanda circa ^{n. 1.} statum captivorum. Nam 1) non ex delicto in servitatem incidunt, sed ex infortunio. 2) Pares sunt hujusmodi captivi iis, qui se pro debito ad perpetuas operas creditori addicunt. Ex quo sequitur,

1) Ut misericordia potius, quam odio digni sint.

2) Ut benignior eorum debeat esse servitus, quam eorum, qui ex delicto in servitatem inciderunt.

3) Ut nihil domino capienti debeant, ^{n. 2. 3.} quam operas perpetuas pro alimentis, adcoque ejusdem conditionis esse debent, ac mercenarii nostri servi & ancillæ. Quod & Deus inculcat. Deut. XV, 18. 40. 53. & Paulus Coloss. 4, 1.

§. 3.

Ex hoc principio patet, non omnia quæ in hujusmodi servos licent, etiam honesta esse. Sane jure stricto externo conceditur jus vitæ & necis in servos, ceu ex *tit. Inst. de his qui sui vel al. jur. sunt*, patet. An vero id & honestas permittit in servo ab hostibus capto? Neg.

1) Quia ut §. 2. demonstratum, est mercenarii instar. Mercenarios occidere nefas est.

2) Quia jus vitæ & necis est veluti domestica jurisdictio. Jurisdictio autem, etiam publica, non est promiscue occidendi licentia, sed animadversio in facinorosos.

3) Quia æquum est delicta privata
Hein. de Jure Belli, &c. Nn non

non capitali supplicio, sed castigatione moderata expiari.

§. 4.

In ista quoque castigatione multum differt iustitia externa & interna.

Iustitia externa Romanis & aliis gentibus omne truculentiae genus permittebat, ut possent totos virgarum fascēs in tergo servi frangere, eum per integras noctes e manibus suspendere, pedes ponderibus immentis onerare. Qua de re MAURITIUS in *Auliano elegantis libelli* de Gloria permulta erudite disserit.

Ast iustitia interna exigit castigationem moderatam, 1) ut ratio habeatur delicti, 2) virium servi, 3) ut ejus sanitati parcat, 4) ne voluptas capiatur ex ejus dolore, siquidem haec omnia inhumana sunt.

§. 5.

Porro servus debet operas, & quidem jure stricto qualescumque. Ast iustitia interna, & conscientia & hic jubet rationem humanitatis habere.

1) Ne perpetuis & continuis laboribus opprimatur, e. g. nec die solis ipsi ad quietem & cultum divinum concessio.

2) Ne domini obliviscantur, se esse patresfam. servos esse pueros.

3) Ut rationem habeant virium, pristini status, artis ac ætatis servi capti. Hinc iniquum esset captum belli ducem detrudere ad harenam, vel culinam, iisque operis eum fatigare, quibus nunquam adjuvis.

§. 6.

§. 6.

Eadem iustitia interna jubet, ut alimenta n. 1.
sufficiens concedantur servo. Est enim
instar mercenarii. Immo ipsa æquitas jubet,
ut quo plus operarum a servis exigimus,
eo liberalius alimenta iis adsignemus.

Hinc Romani adsignabant servis suis in
mensem quatuor modios frumenti, & apud
Orientales certæ libræ panis & carnis in
diem. Unde & eleganter quidam interpre-
tantur quartam precationem Orationis do-
minicæ: *Panem nostrum quotidianum da no-
bis hodie.*

Humanitas porro exigit, ut hujusmodi n. 2. 1.
servo peculium relinquatur. Tale erit

1) Si quid fecit, quod servilis officii
modum excedit, & inde præmium tulit.

2) Si quid ex demensu suo, genium de-
fraudans comparfit.

Sed tamen eatenus manet peculium,
quod 1) servus in eo nihil potest contra
domini voluntatem, 2) quod in casu ne-
cessitatis dominus eo ipse jure uti potest.

Humanitas jubet, ut summi imperantes n. 4.
hujusmodi servorum curam suscipiant, ne-
que eos a dominis intolerabili injuria affici
patiantur. Hinc apud Græcos licita erat pro-
clamatio ad venditionem. Apud Romanos
servi inhumanus tractati apud Præfectum
urbi poterant conqueri *L. 1. ff. de off. præf.
urb.* poterant ad statuam Principis confuge-
re. Et tunc cogebantur domini inhumanio-
res servos bonis conditionibus vendere §. 2.
Inst. de his qui sui vel al. jur.

Denique æquitas jubet, ut hujusmodi n. 5.
servi,

N n 3 servi,

servi, si frugi fuerint, tanto citius manumittantur. Servus enim aliud præmium nulum ferre potest, non honores, qui in servum non cadunt, non divitias, quia sibi nihil acquirit. Quum vero omnis virtus præmium mereatur, nihil sane æquius est, quam ut servus, qui liberaliter servavit, a domino manumittatur.

§. 7.

Quæstio incidit, an & fugere hujusmodi servo liceat? Negat id Grotius: & quidem ex ea ratione, quia ex conventionione debet operas. Perinde enim est, ac si cum victore pactus esset, serva mihi vitam, & ego tibi operas præstabo. Si vero fugeret, jam ageret contra pactum, adeoque contra jus naturæ.

Sed potest tamen objici, vix posse fugam hanc quasi delictum reprehendi aut damnari. Nam 1) præter delictum qui in infortunium incidit, is potest quocumque modo se inde expedire. 2) Pactum illud per ipsam naturam non potest aliter explicari, quam, quod se servitutum promittat captivus, quamdiu servus futurus, nec libertatem recepturus sit. Et hoc ipse supra factus est Grotius l. 3. c. 7. §. 6. ubi hanc quæstionem plane aliter solvit.

§. 8.

n. 1. 2.

Porro & id jubet humanitas, ut posteris hujusmodi servorum parcatur, neque illi in eandem detrudantur servitutem. Id probat ex fundamento hujus juris, quod posteris eorum qui ex delicto ad mortem condemnati fuissent, non futuri fuissent in rerum

rum natura. Sed id negat in bello captos quadrare, qui capiuntur tanquam obligati ex debito civitatis, ceu heri diximus. Ast nondum nati civitate obligari non potuerunt. Ergo nec possunt in servitutem detrudi.

Sed hic quidem non adeo accurate ratiocinatur Grotius. Nam 1) si pater huiusmodi vernæ fuisset in bello occisus, nec a victore servatus, ipse quoque non fuisset in rerum natura futurus: adeoque idem fundamentum adest.

2) Nec adeo crude dici potest nondum natos obligari non posse. Quid enim frequentius inter resp. & privatos, quam ut obligationes concipiantur pro se & posteris? Ergo si semel admissum est principium, quod servi liberi & ipsi servi sunt: non video, quomodo liberi dici possint captivorum liberi.

§. 9.

Altera capituli parte quaeritur de iis, qui ^{n. 1.} capti non detruduntur in servitutem, sed detinentur donec dato lytro redimantur. Hic humanitas suadet,

1) Ut captivi ejusdem conditionis permittentur.

2) Ut deficiente permutationis occasione redimantur.

3) Ut pretium non ita intendatur, ut captivus deinde egere cogatur. Et hinc fit, ut inter gentes humaniores iniri soleat pactum, quod vocatur un Cartel, quo exprimitur, quantum unusquisque secundum ordinem & conditionem suam solvere, pro

lytro debeat. Gregorius plerumque solvit stipendium menstruum.

4) Ut interea tolerabilem habeat conditionem & hospitaliter habeatur.

n. 2. 5) Omnium generosissimæ indolis esse, captivos salvos dimittere. Quod quidem verum; & merito laudantur, qui id fecerunt: sed ideo non potest aliis regula præscribi. Qui suo jure utitur, nemini facit injuriam.

C A P U T XV.

De temperamento circa acquisitionem Imperii.

§. I.

Bello & imperia adquiruntur. Quin plerumque ea vel præcipua bellandi causa est. Quæritur an id liceat?

Supra justitiam in externam distinximus. De externa justitia nemo dubitat. Hosti enim in infinitum omnia licent.

Quod ad internam, Grotius negat plus posse ex rebus hostilibus occupari, quam vel delictum vel debitum exigat. Sed id nemo temere probaverit. Nam

1) Bella non geruntur ex delicto vel in pœnam, quia gens ratione gentis non est superior.

2) Belli præcipuus finis est securitas reip. nostræ. Quamdiu vero hostis mei vires non infringo, tamdiu securus esse non

non possum. Atqui si tantum ab eo occupem, quantum debitum vel delictum exigit, ejus vires non infringerem. Ergo securus esse non possem. Cur aliter se res habeat in statu civile potest ostendi, quia ibi judicis auxilium in promptu est.

§. 2.

Et hinc laudandum jam porro dicit Grotius, si quis hoc jure absteineat. Hinc ipsi maxime placent effata Sallustii, Aristotelis, Ciceronis, qui hujusmodi quid inculcant. Etque n. 2. accumulatur dictis theologorum & patrum primitivæ Ecclesiæ, qui idem suadent. Sed resp. n. 1. 2.

1) Pleraque illa dicta quæ a Romanis proficiscuntur factis Romanorum contraria sunt, quippe qui universum fere orbem occuparant.

2) Nec prudentia patitur a conquestione imperii hostilis abstinere, si sit occasio. Nam aut nos habebimus, aut prior imperans, aut quisquis id occupaverit. Si prior imperans vel alius occupans illud eadem conditione tenet, tunc non magis securi sumus quam antea, adeoque bellum frustra gessimus. Ergo nos potius illud jure occupabimus.

§. 3.

Sed alia temperamenta omnino commendanda sunt. Tale est 1) ut victi si fieri possit, victoribus misceantur. Sic Romulus, quum videret urbem suam non admodum populosam esse, victos plerum-

que vel in urbem transtulit, vel civitatis jure donavit.

Ita & posterī sæpe cum integris Provinciis jus civitatis communicarunt.

Denique Antoninus cum universo urbe Romano *L. 17. ff. de stat. hom.* quod maxime laudat Grotius.

Sed quamvis humanitas victoris laudanda semper videatur: in eo tamen errat, quod Antonini factum laudat, qui orbem civitate donavit non ex benignitate, sed ex avaritia, ut eo plures vicesimam hereditatis penderent. *EZ. SPANHEM. in orbe Rom. exercitatus. II.*

§. 4. 5.

n. 1. 2.

Laudanda quoque moderatio 2) si imperium priori domino relinquatur. Quod multis exemplis heroum & victorum illustrat Grotius. Sed hic plures cautiones observandæ.

1) Ne hæc liberalitas reip. nostræ damnosa sit, ex. gr. si sic nulla nobis securitas sit.

2) Ut novum imperantem novis conditionibus obstringamus, ut nobis fere sit stipendiarius. Ita Romani Judæam Herodi, Galatiam Amyntæ, Cappadociam Archelao regibus reliquerunt.

3) Ut non semper id pro liberalitate habeatur, sed pro prudentia. Archelaus ab Augusto Cappadociam accepit, quia Augustus evitabat bellum cum Parthis. Melius ergo putabat fines a rege defendi, quam a Romanis.

§. 6.

Inter temperamenta est 3) ut tributum potius injungatur victis, quam ut iis omne adimatur imperium. Ita Romani cum Carthaginensibus & aliis egerunt. Nam

1) Sic satis consulitur securitati.

2) Ita locupletatur ærarium.

3) Ita fines tertii sumtibus defenduntur, ut jam exemplo Archelai Cappadocis docuimus.

§. 7.

Utilitatem hujus consilii non unam promittit Grotius, veluti

1) Quod pax cum ejusmodi victis eo firmior futura. 2) Quod ita non opus est præfidiis & sumtibus ad subditos coercendos. 3) Quia ista moderatio gloriam victoris auget, eique plures consiliat.

4) Quia sæpe magis interest reip. fines regere imperii, quam illud nimium proferri. Hadrianus omnes provincias trans Euphratem deseruit. Idem & alii fecerunt. Nam a) ubi imperium nimium, ibi seditiones eo plures. b) Ibi magis timendi provinciarum præfides. c) Ibi eo pluribus bellis immiscemur, & eo pluribus locis invadimur. Ego sane Hispaniæ Regem hodiernum amissis Neapoli, Sicilia, Mediolano & Belgio opulentiorē arbitror, quam ejus decessorem.

§. 8.

Ea quoque moderatio notanda, quod mutatur quidem a victore reip. forma, sed non ipsum imperium victis eripitur.

Nn 5

Eo

Eo consilii usi Athenienses & Lacedæmonii. Quoties illi civitatem expugnabant, formam introducebant democraticam, quam ipsi elegerant. Si hi victores essent, optimatibus concedebant imperium, & sic & moderationis exemplum dari, & periculum seditionis evitari, siquidem plebs semper optimates, & optimates plebem odio habeant.

§. 9.

Porro si imperium in victos suscipiendum sit, suadet Grotius, ut subditis vel pars imperii relinquatur, quod fit: 1) regem illis imponendo socium & amicum, vel ut vere dicamus, stipendiarium, quales sub Romanis in Judæa Herodes, in Cappadocia Archelaus, in Galatia Amyntas, in Numidia Masanissa. 2) Ut regnum quidem victis relinquatur, sed nobis jus sit legiones & præsidia in terra victa habendi.

§. 10.

Immo si & omne imperium sibi victor condicat, moderationis tamen laudem feret, si ipsis relinquat *autonomia*, id est, ut circa res privatas & publicas minores victi suis legibus patriis uti possint. Sic Romani Bythyniæ civitatibus omnibus concesserant jus suas constituendi resp. suos eligendi decuriones, decreta & leges faciendi. Et tamen hoc delusi simulacro libertatis omnes parebant præsidii provinciarum.

Explicandum hic ex politica, quid sit simulacrum libertatis.

§. 11.

§. 11.

Inprimis laudanda victoris moderatio, n. 1.
qua victis avitam religionem salvam ac
illibatam relinquit. 1) Nihil enim est re-
ligione cuique charius, 2) Nihil ad sedi-
tionem excitandam proclivius.

Tantum religio potuit suavis-
simorum.

3) In se religio non potest coactioni
subesse, quia in intellectu consistit. 4) Ex-
empla principum humaniorum evincunt, id
fieri posse. Augustus fere omnibus victis
suum cultum reliquit. Vid. BYNKERSHOEK
de religione peregrina.

At objicitur sæpe religionem falsam &
obscuram esse. Resp. 1) ita omnibus fere n. 2.
alienam religionem absurdam videri: in
ea re errari facillime. 2) Dare potest ope-
ram victor, ut ne veræ religioni noceant.
3) Potest de eorum conversione sollici-
tus esse, sed non de violenta, verum
de vera, quæ fit per prædicationem ver-
bi.

Interim si religio in quibusdam juri nat.
repugnet, potest id mutare legibus. Sic
ipsi Romani non passi sunt Aëtos & alios
barbaros homines sacrificare.

§. 12.

Ultima denique moderatio est, ut si vel n. 1.
maxime omni imperio potiantur victores,
eo tamen non in modum herilem & ty-
rannice utantur, sed prout deset æquos
imperantes. Hoc modo Romani consequuti
sunt, ut rarissime provinciæ rebellarent.

Ubicumque enim vicerant, ibi bonis legibus temperabant rempublicam, urbes & frequentiores & opulentiores reddebant, subditos ad cultum vitæ elegantiore[m] traducebant, adeo ut plerique gauderent provinciales, se sub tam clementibus esse dominis.

n. 2. Et id vel politica suadet ratio. Nemo amat dominum si servus sit, sed amat imperantem, sub quo felicior sit & opulentior. Et hinc firmissimum provinciarum servandi præsidium est benevolentia. Hinc elegans illud legati Prævernatis dictum, qui victa civitate sua, quaesitus, qualem pacem expectet? respondit: si bonam dederitis, firmam & perpetuam, sin. malam, haud diuturnam.

C A P U T XVI

Temperamentum circa ea quæ jure gentium jure postliminii carent.

§. 1.

n. 1. **S**UPRA ubi de jure postliminii actum, diximus multas & personas & res esse, quæ illo jure non gaudeant. Sic non gaudent eo jure captivi pace facta, si eorum inter condiciones nulla sit facta mentio, nec eo gaudent res mobiles, præter naves, quippe quæ semel captæ manent captivorum, &c. Ergo jam & hic temperamentum commendat Grotius.

I. Pri-

I. Primum est, ut omnia bello injusto capta, & in quemcumque translata possessorem restituantur priori domino. Nam 1) quod ad ipsos capientes, cessante causa, nempe bello justo, cessat etiam effectus, jus res occupandi vel capiendi personas. 2) Quod ad alios possessores, illi causam habent a victore, qui jure non habuit dominium, adeoque nec transferre ille potuit.

Illustrat id Grotius exemplo liberi hominis a latrone vel pirata capti, qui quamvis in servitutem abreptus non tamen fit servus, adeoque nec libertinus est, si manumittatur, sed ingenuus. Quid vero interest inter eum qui injustum bellum gerit & latronem? Recte Scythæ Alex. M. vocabant latronem gentium. n. 2.

§. 2.

Idem Grotius illustrat exemplis. Æquæ & Volsci vicinos injuste spoliaverant, Lucetius Rom. Cos. eos fudit, & prædam recepit, & eam omnem publice exposuit, ut quisque suam abduceret. Liv. 1. 3. Eandem æquitatem servavit Postumius dictator, teste Liv. 1. 10. Immo quid celebrius exemplo Abrahami, qui victis quinque regibus, qui Sodomam spoliaverant & recepta præda, juravit conceptis verbis se ne corrigiam quidem ex præda retenturam, sed omnia Regi Sodomorum restituit, quamvis ipse illa concedere vellet Abrahamo. Gen. XIV, 16. seq. n. r. 2.

§. 3.

a. 1. 2. Sed quæritur, an non aliquid deduci possit a tertio possessore, ex. gr. si b. f. rem a victore emerim, an non si restitutam, pretium repetere possim. Respond. Grotius.

1) M. f. possessorem nihil deducet jure. Ex. gr. si sciat victorem bellum injustum gerere, & tamen ab eo prædam emat.

2) B. f. possessor deducet 1) aliquid, si ipse victus a victore sine impensis quibusdam rem recuperare non potuisset. 2) Deducit impensas, si bello vel vi victori res extorsit. Ita ipse Abrahamus, quamvis vero domino omnia redderet, deduxit tamen decimam Deo dandam, & præmia sociorum.

§. 4.

Æquitas eadem jubet, ut & populi victi ab hoste nostro sibi suæque libertati reddantur. Non enim, ut diximus, potest successor verum dominium habere, quod is non habuit, a quo causam habet. Et hinc iniqui Romani, qui Mithridate victo, qui Seleuco Syriam injusto bello eripuerat repenti Seleuco illam restituere noluerunt.

§. 5.

Quid vero si præscriptio obstet? Eam hac in re notum est producere jus externum, sed non internum, 1) quia est ex jure mere civili, 2) quia plerumque victus rem suam recuperare non potuit. Non

valenti agere, ne jure quidem civili currit
præscriptio.

§. 6.

Quid si causa belli dubia? Eo casu res
ad transactionem redit, cujus elegans ex-
emplum ipse adfert Grotius.

C A P U T X V I I .

De his qui Bello medii sunt.

§. 1.

Medii bello dicuntur, qui neutri bel-
ligerantium suppetias ferunt, adeo-
que plane extra bellum sunt.

His nihil omnino eripiendum esse tradit.

1) Quia in pacatos nihil licet, nisi urgen-
te necessitate, quæ hic nulla est. 2) Quia
necessitas quidem excusat si sumamus, non
si sine pretio sumamus. 3) Quia jus belli
non nisi contra eos, qui bellum gerunt,
locum habet.

§. 2.

Id suo more exemplis illustrat Grotius, n. 1. 6.
ut doceat, gentes in hanc doctrinam con-
sensisse. Sed quid opus exemplis gentium,
dum ipsa ratio hanc doctrinam probat?
Non ergo ea repetamus, quæ ab unoquo-
que legi possunt, sed præcipue tantum de-
libabimus, quæ vim probandi habent. Ho-
rum præcipuum est, quod §. 4. adfertur
dictum Joannis Baptiste: *A concussione a*
ca-

calumniis in quosvis abstinere, contenti esse se stipendiis vestris. Luc. II, 14. Hæc disciplina militaris divina est, tam rationi consentanea, ut vel solum hoc dictum sufficiat ad hanc doctrinam demonstrandam.

§. 3.

n. 1. Quemadmodum ergo pacificos lædere non licet, ita nec iis licet ullo modo lædere belligerantium alterum, aut unum plus quam alteri favere. Hinc

1) aut neutri aut utrique æquis conditionibus concedendus transitus.

2) Utrique petenti dandus comitatus æquo pretio: si vero existent edicta de non advehendis muneribus prohibitis, neutri.

3) Subditos prohibere ne militent alterutri. Hinc parum ex fide fecit Rex Galliarum, qui quum Regi Hispaniarum promississet, se causam Lusitanorum non suscepturum, maximam exercitus partem dimisit, sed clandestinis mandatis instructam, ut stipendia faceret Lusitanis.

n. 2. Ratio est, quia qui hostem meum juvat, hostis est, ex quo sequitur, ut qui alterutri belligerantium plus favet, non sit neutrarum partium, sed hostis, adeoque ei, si hostis loco habeatur, non fiat injuria.

n. 3. Sub finem id temperamentum commendat Grotius, ut foedus cum utroque belligerante ineatur, quod vocant Neutralitatis-Tractaten.

Hujus foederis ea utilitas est, 1) ut non possint cogi ad arma pro alterutro sumenda.

da. 2) Ut eo magis ad liquidum perdu-
catur, quid facere liceat durante bello,
vel non liceat. 3) Ut commerciorum li-
bertati consulatur.

C A P U T XVIII.

*De his qui in Bello privatis
sunt.*

§. I.

Hosti in hostem in infinitum omnia li-^{n. 1.}
cent in bello publico, id est in pœ-
liis, in expugnationibus urbium, terra ma-
rique, sed sæpe hosti & extra bellum pri-
vatim damnum inferri potest, e. g. si sub-
diti nostri subditos hostis spolient, occi-
dant &c. si privatorum naves navibus ho-
stilibus insidias struant &c. Quæritur ita-
que, an id juris sit?

Negabant Romani eum jure cum hos-
te pugnare, qui sacramento militari se non
obstrinxisset. Hinc Cato filium missione
impetrata negavit cum hoste jure pugna-
re, nisi novo Sacramento se obstringat.
Sed Grotius considerat, sintne arma pri-
vatorum juxta jure gentium & naturali.

Quod ad jus gentium, i. e. mores gen-^{n. 2.}
tium attinet, nihil prohibet, & privatos
hosti nocere, 1) quia bellum gerit tota
resp. adeoque & singuli inter se hostes sunt.
2) Quia declarationibus belli plerumque
addi-

additur adhortatio, ut subditi arma corripiant, & se suaque tueantur, & quocunque modo hosti incommodent.

Hinc quæ Cato ad filium scribit, non sunt ex jure gentium, sed ex disciplina militari Romanorum, cujus tam tenaces erant, ut Manlius Cos. ideo filium securi feriret, quod privata auctoritate, se absente hostem esset adgressus.

At jus nat. concedit quidem inquit Grotius, ut privati hostibus incommodum adferant, non autem, ut res captas sibi vindicent. Cuicumque enim nihil debetur, iste nihil potest sibi eripere. Sed tamen ne cui ea occasione jus sit homicidia præter-jus & fas committere, hodie non temere id permittitur, nisi præcedat mandatum reip.

n. 4. Id vel generale vel speciale est. Generale locum habet 1) in periculo subitaneo. Quicumque rempubl. salvam esse volunt, se sequantur. 2) in defensione. Hinc in bello, si cohors hostilis pagum vel oppidum invadat, & civibus licet se suaque tueri.

§. 2. 3.

n. 1. 2. Speciale mandatum habent 1) stipendiis conducti, 2) suo sumtu militantes, les volontaires, 3) qui naves armant suo sumtu & consentiente rep. ut iis hostibus insidiantur. Qui id singulare habent,

1) quod iis pars prædæ pro sumtibus concedatur,

2) Quod ipsi contra partem prædæ debeant sisco vel reip.

3) Quod si

3) Quodsi naves amittant, vel capiantur ipsi, indemnitatem a rep. eligere nequeant.

§. 4.

Hæc J.N. & gent. recepta. Jam quidquid Christiana charitas suadeat, Grotius commendat hanc moderationem,

1) ne innocentibus ista prædatio noceat, sed hostili reip. vel ejus principi.

2) Ut ea omittatur, si hostium vires eo ipso non insigniter occidantur.

3) Ne crudelitati indulgeant victores. Leges probæ & Christiano Doctore dignæ, sed quæ plerumque silent inter arma.

§. 5.

Observat porro Grotius, aliquando occasione belli publici privatum nasci, id fit, 1) si quis in hostes inciderit, e. gr. si navis mercatoria ab hostilibus impugnetur, si iter faciens a cohorte hostili petatur. Tunc quælibet honesta est ratio defensionis. 2) Si tempore belli damnum insignne passi a magistratu impetrent jus repressaliarum.

Sed posterior casus vere non privatum est bellum sed publicum, quia non privata auctoritate, sed publico arbitrio geritur.

§. 6.

Ast queritur sub finem, si quis privata auctoritate hosti damnum intul. ad quid obstrictus sit?

Resp. aut sine necessitate id fecit, & tunc ad restitutionem non tenetur, quia hosti
non

non facta injuria, sed ad pœnam, quia leges reip. violavit.

Sin justa causa defensionis adfuit, & pœna cessat, & restitutionis obligatio, ob jus inculpatæ tutelæ, quæ cuivis tempore pacis, adeoque multo magis tempore belli promittenda est.

C A P U T XIX.

De Fide inter Hostes.

§. I.

11. 1. **C**aput hoc 1) probat, hostibus quoque servandam esse fidem, §. 1, 6. & 2) in quibus rebus habenda sit, docet §. 7. ad fin.

1) Prius Grotius demonstrat 1) variis testimoniis Sillii Italici, Xenophontis, Aristidis, Ciceronis, quæ tamen in se illustrent potius quam probant.

11. 2. 2) Fides est vinculum non solum civitatum, sed & totius humanæ societatis. Atqui hostes etiam pertinent ad humanam societatem. Ergo fides ipsis habenda.

3) Hosti in hostem in infinitum omnia licent, immo cum stratagematibus quoque & falsiloquiis circumvenire licet, ceu supra diximus, verum dum cum eo agimus tanquam cum hoste. Ast si cum eo paciscimur, cum eo non agimus tanquam cum hoste, sed tanquam cum amico & pari.

Ergo

Ergo obligatio hic manet, ut fidem servemus.

4) Denique & ab absurdo probari potest. Bella geruntur, ut pax fiat. Pax vero nunquam fieri posset, si nullum pactum inter hostes initum obligaret. Ergo obligat omnino.

§. 2.

Sunt tamen qui id negant. Et hi maxime utuntur exemplo prædonum & latronum, quibus negant fidem esse servandam. Talis est sententia ipsius Ciceronis & Senecz.

Iidem uti solent exemplo tyrannorum; cui nihil deberi ait MICH. EPHESIUS in *Comm. ad Aristotelem*, adeo, ut nec in ejus uxorem adulterium committi putet.

Denique & ad Judæos provocant, quorum magistri alienigenarum conjugia pro nullis habent, & adversus eos negant violari posse fidem.

Sed responderetur 1) quod ad latrones, distinguendum esse, an pactum nobis vi & metu extorserint, an sponte iis quidquam promiserimus. Si prius: nulla est obligatio, non quod cum prædonibus vel latronibus pacti sumus, sed quod pactum debet esse consensus liber. Sin posterius, obligatio omnino valida producitur, ex gr. si magistratus prædonibus impunitatem promiserit. Quod fecit Pompejus in bello piratico. 2) Quod ad tyrannos absurda est sententia. Tyrannus est, sed homo tamen, & quis homini neget fidem esse ser-

servandam. 3) Judæorum sententia de alienigenis falsa est, nec ex Scriptura S. sed ex magistrorum lacunis fluit. Ergo nihil probat.

§. 3.

n. 1. 2. Equidem sunt qui objiciunt: latrones a quovis puniri possunt. E. & a quovis possunt dolo circumveniri, ut puniantur, adeoque fides iis impune non servatur. Ita Cicero.

Resp. 1) falsum est, latronem a quovis puniri posse. Poena est superioris. Occidi potest, sed per modum defensionis, non puniri.

2) Non sequitur, puniri potest. E. & pactis decipi. Puniri enim potest, si occidat in manus magistratus, magistratus vero impunitatem promittens renunciavit juri suo, adeoque eum punire amplius non potest.

3) Decipi potest latro, si eum tanquam hostem persequamur, tunc licet stratagematibus quibuscumque uti: non autem si cum illo paciscimur.

§. 4.

Atqui ipsi facti sumus promissum metu extortum non valere. Quid vero latronibus promittitur, annon metu extortum est? An non magistratus ideo promittit, quia metuit, ne latro plures homines occidat?

Resp. Promissum metu extortum liberat promittentem, si illi ipsi promittenti vis illata. Hic autem latro vim non intulit ma-

magistratui, sed privatis quibusdam. Ergo magistratus dicere non potest promissum sibi metu extortum esse.

§. 5.

Addit Grotius, & promissum metu extortum servandum esse, si jusjurandum accesserit: quia quamvis homini non teneatur promittens, tenetur tamen Deo, cui juravit.

Sed hoc, quod probe notandum 1) falsissimum est, & nititur falsa juris canonici doctrina, quod jusjurandum novam producat obligationem, quum tamen tantum accessorium sit obligationis. Si ergo accessorium est, sequitur suum principale. Ergo si obligatio nulla est, per jusjurandum nulla introducitur. Deinde 2) jurejurando obligamur Deo, si acceptat jusjurandum. Quis vero dixerit, Deum acceptare jusjurandum vi & metu extortum?

§. 6.

Inde ergo colligit Grotius, etiam fidem habendam esse subditis bellum cum rege gerentibus. Bellum enim gerunt aut justum cum tyranno, aut injustum tanquam rebelles. Si prius, quis negaverit iis fidem servandam, qui justii hostes sunt? Sin posterius, sane nulla ratio denegandi fidem subditis rebellibus, quam ne latronibus quidem denegari posse demonstravimus.

§. 7.

Obijciunt, quod ad subditos dominium eminens. Eo jure possunt agere omnia.

Pria-

Principes, quæ exigit reip. utilitas. Ergo & pacta cum rebellibus inita possunt rescindere, si salus reip. exigat.

Resp. 1) Dominium eminens est jus, non ergo verti debet in injuriam. 2) Locum non habet nisi in casu extremæ necessitatis. 3) Juri in suum favorem introducto unusquisque potest renunciare, Ergo & Princeps. Renunciat vero, dum paciscitur cum rebellibus.

§. 8.

n. 1. 2.

Inprimis id observare oportere ait, quod promissum est rebellibus, si jusjurandum vel principis vel civitatis accesserit, cujus eadem est ratio, quod ita non rebellibus, sed Deo non obligentur.

Sed id quoque nihili est. Jusjurandum enim nihil novæ obligationis introducere, jam paulo ante vidimus. Ergo æque promissa rebellibus servanda sunt, si injurata sint, ac si jurejurando firmata.

§. 9.

Verius est, quod hoc §. ait Grotius; multo magis valere promissum, si tertio intervenienti factum sit. Nam tertio, qui metum nullum iniecit, exceptio quod meus causa obstare non potest. Hinc e. gr. quum Macedones bellum cum Rege suo Philippo gessissent: Romanis pollicitus est Rex, se subditos suos ob hoc bellum non persequaturum. An contra Romanos habebat exceptionem, pacta cum rebellibus inita, tanquam vi & metu extorta non obligare? Negatur, Romani enim, quibus promiserat non erant rebelles, nec in hoc

hoc pactum vi metuque injusto extorserant.

§. 10.

Porro & ideo pacta cum subditis inita absurda non sunt, quia mutatio reip. non absurda est. Alio loco demonstravimus, temp. vel civitatem pactis inter Principem & subditos constitui. Quis vero negaverit, pactum contrario pacto tolli & mutari posse?

Ergo nec absurdum est, cum subditis, in quos antea imperans pleno imperio utebatur, ita pactum iniri, ut in posterum restrictior sit imperantis potestas, vel ut pars subditorum plane libera sit?

§. 11. 12.

Jam ex his quae dicta sunt colligit Grotius. Si ergo pacta servanda sunt latronibus & rebellibus, multo magis servanda erunt hostibus justis.

n. 1. 2.

Nam hic cessat exceptio, quod metus causa, quia hoc medium coercendi inter gentes aequum habetur, ac inter cives judicium.

Quicumque vere non est injustus, iste nec obligationem reddit irritam. Illustrari id potest exemplo civis a magistratu metu carceris adacti ut promitteret, se intra mensem quod debeat, soluturum. Hic sane exceptionem quod metus causa non habet. Ergo nec is, qui bello justo adactus promittit.

Ergo hoc non pertinet ad promissa vi non bellica sed illicita extorta, e. g. si quis reginam victam metu stupri adegerit ad

Hein. de Jure Belli, &c. Oo pro-

promittendum. Non enim vis bellica in stupris, sed in armis consistit.

§. 13.

n. 1. 2. Quæritur, an & perfidis servanda fides? Affirmat Grotius, ideo laudans Romanos, qui fidem servaverint Poenis, toties foedifragis, itemque eosdem vituperans, quod Lusitanos toties foedifragos, nova perfidia uli sint.

Sed distinguendum, an in aliis pactis perfidi sint, an in hoc ipso. Si in aliis, id non prohibet, quo minus ipsi fides servanda sit. Sin in eadem, perfidia alterius nos quoque liberat. e. g. Hannibal aliquoties deceperat Romanos. Jam hi cum illo inducias faciebant, an poterant eas ideo violare Rom. quia Hannibal antea fuerit perfidus? negatur. Sed si fingamus, Hannibalem contra has ipsas inducias fecisse: nihil prohibet, quo minus & Romani jam possent iis ruptis Hannibalem bello persequi.

§. 14.

Vidimus hætenus regulam: Hosti servanda fides: sequuntur exceptiones, quarum duæ sunt, conditionis defectus & compensatio.

I. De conditionis defectu res clara est. Promissi enim conditionalis non præsens est obligatio, sed futura. Nec prius incipit obligatio, quam existiterit. Ergo sequitur, ut si conditione non existente promissum non adimpleo, non perfidus sum, sed jure meo utar.

Est vero conditio vel expressa, vel tacita.

Per

Per tacitam hic non intelligitur ea, quam quis dicit se in mente retinuisse. Nam sic nulla obligatio valeret, quia unusquisque dicere posset, se hanc vel illam conditionem in mente habuisse: sed talis, quæ ex ipsa natura negotii fuit, e. g. dotem tibi dabo: subintelligitur, si tibi nupsero. Dos enim sine nuptiis non intelligitur. Adimplebo pacis condiciones, subintelligitur: si & tu adimpleveris &c.

§. 15.

Altera exceptio est compensatio, quæ est mutui debiti & crediti contributio. Valet 1) si debitum utrinque liquidum est, 2) si mutuum est, 3) si certæ æstimationis. Si ita fiat compensatio, tunc recte dicitur obligationem promissi cessare, si sit jus compensandi.

Hinc elegans casus. Titius a me mutuum sumpsit pecuniam, & juratus promisit, se eam restitutum. Interea & ipse tantundem debere cœpi ex vendito. Non solvit. An periurus est? Negatur, quia compensare est solvere.

§. 16.

Nec interest, utrum ex eodem contractu nascatur debitum mutuum, an ex alio diverso. Sufficit enim adesse debitum mutuum. Hinc paullo ante dedimus exemplum, ubi unus ex mutuo, alter ex vendito debebat.

Objici quidem posset, jure civili in quibusdam contractibus & causis locum non habere compensationem, e. g. in deposito. Sed facilis responsio: jus nature

gentium hoc discrimen non agnosceret; quippe ideo inventum a legislatoribus, ut omnem prætextum non reddendi depositum excluderent.

§. 17. 18.

Immo & non interest, an alter mihi debeat ex contractu an ex delicto. Nam & ex hoc naturalis nascitur obligatio tum ad restituendum, tum ad poenam. Sed id modo discrimen in statu civili observatur, 1) quod quum debitum ex contractu plerumque liquidum sit, ex delicto quod debetur, fere judicis officio definitur. 2) Quod quum ex contractu privatis æque ac reipublicæ deberi possit, multa plerumque hodie non privatis, sed reipubl. debeatur, excepta fere æstimatione, quam actione injuriarum consequimur.

§. 19.

n. 1. 2. 3.
4. 5.

Quemadmodum ergo hæc in statu civili locum habent, ita & inter gentes bellum gerentes observantur. Sed id tamen non intelligendum de controversia primaria, de qua bellum geritur, sed de aliis specialibus, quæ durante bello incidunt. Sic e. g. si bellum geratur ob debitum 300. millionum, & subditi nobis tributa promiserint durante bello, non possunt nobis tributa negare sub prætextu, quod ipsis 300. milliones debeamus. Hæc enim est controversia, de qua sub gladio iudice lis est. Ast si e. g. bellum geramus diversis locis, & alio loco victores adgerimus hostes ad promittenda tributa, alio loco victi ipsi tributa promiserimus, nobis

nobis non solventibus ipsi quoque sua jure compensationis merito retinent.

Addit & hic Grotius monita quædam, veluti generosi animi esse & compensationi renunciare: id quoque exigere aliquando Christianam charitatem &c. Quæ quidem vera sunt, sed in bello raro observantur, ubi plerumque sufficere creditur, si non injuste agant belligerantes.

C A P U T XX.

De Pace.

§. I.

Prolixe hætenus egimus de bello. Jam de pace agitur, vel de pactionibus cum hoste. Pactiones illæ aut expresse fiunt aut tacite. De fide tacita agitur cap. 24. Expressæ pactiones sunt vel publicæ vel privatæ. De privatis agitur cap. 23. Publicæ sunt aut summarum potestatum aut inferiorum. De pactionibus inferiorum potestatum agitur cap. 22. Denique superiorum potestatum pactiones vel bellum componunt, quales pactiones de pace, de quibus hoc capite 20. vel suspendunt belli actus, ut induciæ, de quibus cap. 21. De pace queritur,

1) Quis eam inire possit? §. 2, 4.

2) Quibus conditionibus §. 5, 26.

3) Quomodo pax violetur vel rumpatur §. 27, 41.

O o 3 4) An

4) An & aliis modis finire possit bellum §. 42. fin.

§. 2.

Si quaeritur, quis pacem possit inire & resp. summus imperans. Qui enim habet jus belli, idem & jus pacis, 2) in pace quaeritur, de rebus reddendis, de cedendis urbibus & provinciis. De his rebus nemo praeter summum imperantem statuere potest.

Ergo sequitur, ut in statu vere monarchico solus rex pacem faciat, quia solus summus imperans. Dicimus *vere monarchia*. Saepe enim reip. forma exigit, ut rex nihil possit sine consensu statuum, ut in Polonia.

§. 3.

n. 1. Quum vero pax ineatur per pacta, pacifici vero non possint impuberes: quaestio est, an rex impubes pacem facere possit? item an furiosus? denique an captivus?

De impubere & furioso id negatur, quia illius nullus consensus. Ergo aut cum tutore ejus paciscendum, cujus plena est potestas, aut cum tutore & ordinibus imperii simul: aut, quod rarius, induciae fieri possunt, usque ad pubertatem regis.

De captivo incidit quaestio, quum Carolus V. cum Francisco I. Rege Galliae in carcere Inadritano fecisset pacem. Et recte quidem negatur, captivum pacem facere posse, quia quamvis rex sit, exercitium tamen regii imperii cessat.

n. 2. Ergo distinguendum, an de rebus privatis

ris paciscatur, an de regno & rep. Priores portiones valent, non posteriores.

§. 4.

In statu Aristocratizæ proceres pacem ineunt: in democratico totus populus per suffragia in comitiis. Inde sequitur, ut

1) dissentientibus proceribus vel civibus plura suffragia vincant pauciora.

2) Ut pacta tunc obligent & eos, qui non consenserunt.

3) Ut iidem etiam profit.

§. 5.

Hactenus de personis paciscentibus, jam ^{n. 1. 2. 3.} de rebus vel conditionibus, de quibus pacta ineuntur, quæ vel publicæ vel privatæ.

Publica res est regnum ejusve pars, unde quaritur, an id vel totum vel ex parte per pacem alienari possit?

Distinguitur & hic, an regnum patrimoniale sit? an usufructuarium. Si usufructuarium, rex illud alienare non potest, adeoque nec per pacem concedere hosti, nisi accedat ordinum totius regni consensus.

Si pars hosti concedenda, distinguendum denuo an ea jam ab hoste armis occupata sit, an de novo illi sponte concedenda. Si prius, sufficit in regno usufructuario consensus principis & ordinum regni, nec opus est consensu eorum, qui hosti conceduntur. Sin posterius, & rex, & ordines, & illi ipsi, qui alienantur, consentire debent.

Ratio ex pacto primævo, quo resp. hujusmodi constituuntur petenda, quo sane

facultas non alienandi sed regendi data est principi.

n. 4.

Si vero regnum patrimoniale est: ipsa natura hujusmodi imperiorum docet, ea libere alienari, ita ut nec ordinum, nec partis alienandæ consensu opus sit, sed sola sufficit principis voluntas.

§. 6.

Ex quo simul patet, quomodo decidenda quæstio: an & quatenus subditi regum pactionibus teneantur? Nam eadem obtinet distinctio. Si regnum patrimoniale vel plane herile, quidquid pactus est rex, & subditos obligat. Sin usufructuarium, subditi tenentur, quatenus rex egit secundum leges fundamentales regni & imperii. Non enim plus habet hujusmodi rex, quam quod ipsi datum est.

§. 7.

B. I. 2.

Jam de rebus privatis: An & de his valet pactio? e. g. si princeps prædia & agros privatorum cedit hosti in satisfactionem, an id ratum est? Resp. affirmando, quia imperantes in subditorum rebus gaudent dominio eminentæ. Respublica æque habet dominium in rebus civium ac ipsi cives, si necessitas reip. id exigat. Jam necessitas reip. id sæpe exigit, ut potius res privatæ, quam publicæ hosti concedantur. E. id potest resp. ejusque victor.

Interim omnino & reliqui cives his, quorum res hosti concessæ sunt, tenentur ad resarciendum damnum, 1) quia nec reliqui cives cum unius damno fieri debent locupletiores, 2) quia inter cives debet

debet esse æqualitas, nec unus plus contribuere debet ad tuendam republ. quam alter.

§. 8.

. Nova quæstio est, an si cives nostri damnum ingens tempore belli passi sunt, iis restitutio quædam a republ. debeatur? Vasquius in controversiis illustribus negat, ex ea ratione, quod jus belli talia promittat. Sed id recte absurdum dicit Grotius. Jus belli enim excusat, non quæ civibus fiunt, sed quæ hosti nocentur.

Ergo omnino reliqui cives debent refundere damnum, quod ex concivibus unus vel alter extra ordinem passus est, ex eadem ratione, ob quam contributio fieri solet ex *L. Rhodia de jactur.* si unius merces in mare projectæ sint, ut aliorum res serventur.

§. 9.

Sunt qui distinguunt inter ea, quæ jure gentium & quæ jure civ. nostra sunt. Hæc dicunt subesse arbitrio principis vel reip. ita, ut possit in illa dominium eminens exercere. Illa non æque. Quæritur itaque, an recte ita distinguant?

Negatur. Nam 1) dominium ex qualicumque causa nascatur, est dominium. Non ergo ad causam domini, sed ad effectum respiciendum. 2) Quæ jure civ. nostra sunt, eo minus alterius arbitrio subesse debent, quia plerumque titulo oneroso adquiruntur, quum quæ jure gent. adquiruntur, maximam partem titulo benefico.

Ergo maneat hoc, temp. posse urgente necessitate de rebus etiam privatis dispo- nere, easque hosti tradere in satisfactio- nem. Sed distinguendum tamen jus hostis & nostri principis.

Hostis potest accipere salva conscientia, quæ ipsi in satisfactionem offeruntur, sive sint publica sive privata.

Princeps vero noster vel republ. non potest promiscue res privatorum tradere, sed 1) urgente necessitate, 2) oblata sa- tisfactione dominis, qui rerum suarum jacturam pariuntur.

Incidere hic solet questio de interpreta- tione conventionum pacis. Interpreta- tio quum vel extensiva, vel restrictiva, vel declarativa sit, queritur quæ hic lo- cum habeat.

Inhæret Grocius regula vulgari: Favo- rabilia late; odiosa stricte sunt interpre- tanda, quæ & falsa, & hic applicari ne- quit. Nos ita dicimus. Jura magis fa- vent illi, qui de damno vitando certant, quam qui de luero captando.

Inde sequitur, ut pacis conventiones ratione ejus, qui inde lucrum habet, stricte interpretanda sint, ratione ejus, qui iis damnum patitur, late. Ex hac regula facile componi potuisset contro- versia inter Gallos & Germanos, an pa- ce Westphalica cum Alsatia etiam de- cem civitates imperii in Alsatia cessæ es- sent.

Si neuter lucratur, regula plerumque est: Uti possidetis ita possideatis, adeoque interpretatio in dubio pro possessore facienda.

§. 13.

Nonnumquam in pace convenit, ut omnia restituantur in statum, qui ante bellum fuit, ubi tenenda regula: Respicitur tunc ad possessionem ultimam, non anteriorem, quia de ea paciscentes cogitasse non præsumuntur.

Inde lucem capit Art. 4. Pacis Ryswicensis, Protestantibus tam infestus, ubi cautum ut status religionis in locis cæsis & restitutus sit, qualis fuerit ante bellum. Id pontificii interpretabantur de religione antiquiore pontificia, protestantes de ea, quæ proxime ante bellum fuerit, nempe Evangelica.

Interim antiquioribus possessoribus, si quod jus habent, solum debet esse jus, via juris suum consequendi.

§. 14.

Fieri etiam solet, ut tempore belli populus liber alterutri parti belligerantium sponte se subjiciat. Quæritur itaque, an tunc in pace, si omnia ad priorem statum redire jubentur, etiam hic populus libertati suæ reddendus sit?

Resp. distinguendum, an ita expresse convenerit, nec ne. Priore statu standum est pacto. Posteriore non præsumitur ita convenisse. Nam 1) hunc populum nemo possedit, adeoque nemini reddendus. 2) Ipse sui juris sponte se nobis dedit,

00 6 potuit-

potuitque suo juri renunciare. Ergo tertium nihil interest.

§. 15.

Q. porro, an post pacem & damna invicem refarcienda? Resp. aut ita convenit, tunc pacto standum; aut non convenit, & tunc damna sibi invicem censentur remississe.

- 1) Quia bellum sine iis geri nequit.
- 2) Quia & in statu civili in dubio litis impensæ compensantur.

§. 16.

Quid vero de privatorum debitis, an illa quoque bello exspirasse censentur? e. g. si ante bellum Gallus mercator debuerit Amstelodamensi.

Negatur, ea bello exspirare, 1) quia liberatio a debitis privatis non est belli causa, 2) quia belli jus debita non extinguit, quamvis durante bello occasio exigendi debita cesset.

§. 17. 18.

Quid vero de pœnis? Aut illæ debentur ob delictum hosti illatum, tunc remittendæ pœce inita, aut ex alio quocumque crimine, tunc pax nihil mutat.

E. g. si cepimus hostilem piratam vel prædonem, qui nobis multum damni intulit, vel proditorem, qui munimentum hosti tradidit, ei pœna remittenda facta pœce: non qui condemnatus ob furta, adulteria, rades.

Ratio prioris decisionis est lex amnestiæ, quæ semper primum pacis articulum constituit.

§. 19.

Queritur porro de prætensionibus, quæ ante bellum urgebantur, an ex per pacem cessent?

Resp. id ex ipsis articulis judicandum. Aliquando illis sollemniter renunciatur, tunc res clara. Aliquando tacite, dum alterius jus agnoscimus, e. g. Imperator in pace nupera agnovit jus Regis Hispaniæ, aliquando sibi reservat titulum, ut idem Imp. dicatur Rex Hisp. aliquando res dubia relinquitur, ut pace Rysvicensi controversia inter Ducem Aurelianensem & Elect. Palat.

§. 20.

Aliquando contingit, ut pace nondum publicata exercitus noster urbem, homines, res capiat quamvis vere pax contracta sit. Si ergo de istis in pace nihil convenit, an reddenda erunt? Affirm. 1) quia per pacem expiravit belli jus,

2) quia cessante belli jure etiam cessat jus occupandi.

§. 21.

Plerumque etiam in pacis articulis convenit, ut res captæ reddantur. De his hæc regulas tradit auctor.

1) Mutua hujusmodi conventio late; unilateralis stricte interpretanda, quia hic de lucro capiando certat.

2) Restitutio hominum latius interpretanda, quam restitutio rerum. Quia pro hominibus captis militat misericordia.

3) Immobilium restitutio majoris momenti quam mobilium, quia dubiæ æstimationis.

4) Re

4) Restitutio a republica magis urgenda quam a privatis, quia hi plerumque titulo oneroso adquisiverunt.

§. 22.

Si res restitui jubentur, an & fructus? Resp. Distinguendum inter fructus a tempore possessionis, & a tempore pacis. Illi non restituntur, quia victor fuit b. f. possessor. Hi exiguntur, quia a momento pacis initæ rem alienam possedit.

§. 23.

Si regio restitui promissa, an intelligendum antiquum, an novum nomen? Controversia hæc incidit inter Hispanos & Gallos, quum Neapolia inter se dividerent, ubi Galli regiones novo, Hispani antiquo nomine vocabant. GUICCIARDIN. *Hist. L. V.*

Sed recte Grotius, nomina regionum accipienda esse ex usu præsentis. Usus enim interpretatur vocabula, quem penes est vis & norma loquendi.

§. 24.

Sæpe in pace fit relatio ad pactum antecedens aut vetus. Quo factio, omnes conditiones videntur repetitæ, quæ non excipiuntur speciatim.

Sæpe etiam promittitur factum, tunc quæritur, an in mora sit, qui paratus est facere, quum per alterum licet, quo minus fiat? e. g. si promiserit rex regi copias 10000. & hic bellum non gerat.

Negatur. Quia facti promissum obligat tantum ut faciamus, si alter jus interfit. Ergo ubi alterius non interest, vel ubi ipse,

ipse, cui promissum factum impedit, cessat obligatio. Exemplum habemus in iure privato. Titius si filiam meam uxorem duxerit, 1000. habeto. Ducere voluit, sed hæc noluit, conditio pro adimpleta habetur.

§. 25.

Si vero in mora vere sit promittens, potestne illa mora purgari? e. g. promittit rex alteri suppetias, simulac bellum ingruat. Orto bello non mittit, sed exacto anno mittit, an mora purgata? Minime. Nam ubi non perinde est, quando promissum præstetur, ibi mora tardius præstando non purgatur. Atque in promissis subsidiis non perinde est, quando promissum præstetur, siquidem causa semel vulnerata, victori resistere non tam facile est, quam sub initium bellæ. Ergo mora tardius præstando subsidium non purgatur.

§. 26.

Interpretatio contra quem fieri debet in dubio? an contra promittentem, an contra eum cui promittitur. Resp. contra eum cui promittitur, 1) quia hic conditiones exigit, 2) quia sibi imputare debet, quod clarius non sit loquutus, 3) quia quod non exegit, remisisse videtur: e. g. Imperator Russiæ vict. Svecis conditiones pacis præscripsit, ut Livonia & Ingermannia caderent, ipse Finnoniam redderet. Quærebatur, an & Wiburgum reddi debeat? Procul dubio. In dubio enim contra eum fieri debet interpretatio cui promissum.

§. 27.

Sequitur tertia pars capituli, quo quaeritur, quomodo pax rumpatur & violetur? Primo ergo omnium distinguenda hæc duo, an pax rumpatur, an nova bello causa præbeatur.

Nova bello causa præbetur, quoties controversia nascitur, de qua superiore pace nihil plane decisum est. e. g. Bellum de successione Hispanica ex nova plane oriebatur controversia, de qua pace Risovicensi nihil statutum. Ergo nec pax Risovicensis rumpi videbatur.

Pax contra rumpitur tribus modis 1) faciendo contra id, quod omni paci interest. 2) Faciendo contra conditiones pacis expressas. 3) Faciendo contra id, quod tacite ex pacis conditionibus fluit.

§. 28.

I. Faciendo contra id quod omni paci interest. Omni paci hoc inest, ut sine nova causa bellum non moveatur, nec vis alteri ulla inferatur. Ideo enim pax initur, ut bellum ex ista priore controversia naturum cesset. Ergo si paciscens revocat antiquam prætensionem, & ideo arma corripit, pacem procul dubio rupit. Sic recte Romani arguebantur, quod pacem violarent, bello Punico III. moto. Pace enim antecedente controversia fuerat definita, nec Carthaginenses contra pacem quidquam admiserant, sed Romani tantum præ se ferebant, quod securitatis suæ causa urbs esset destruenda.

§. 29.

§. 29.

Potest autem aliquis contra id, quod omni paci interest facere, 1) si vel ipse, vel focii, vel subditi vim inferant, 2) si vel nobis, vel subditis, vel focii nostris vis inferatur.

Perinde est, five ipse, qui nobiscum pactus, five focii vim intulerint. Sed hic distinguendum tamen, an focii sint æquales, ita ut aker alterius imperio nullo modo subfit, an inæquales, ut alter alterius certo modo sit superior. Priore casu pax rupta non videtur a nobis, si focii nostri bellum moveant, e. g. si jam imperator bellum inferat Gallis, nec Britanni, nec Belgæ dici possent pacem rupisse, quamvis imperator sit eorum socius. At posteriore casu omnino pax rupta, si socium nostrum arma moventem non prohibuerimus, ego focii Russorum sunt Cosaci, sed ita ut Russi sint superiores. Jam si Cosaci impressionem faciant in Poloniam, & illi non prohibeant, nemo dubitarit, quin Russi pacem ruperint.

§. 30.

Perinde quoque est, five nos, five subditi nostri lædant eos, quibus cum pacem iniimus. Sed hic denuo distinguendum. Aut jussu publico id faciunt, aut privato ausu. Si jussu publico, tunc quod quisque per alium facit, illud ipse fecisse videtur; sin ausu privato, tunc aut sciente aut ignorante imperante id factum. Si prius, & imperans sciens non impedit, pacem rupit. Sin posterius, tunc tertio distinguendum,

dum, paratine sint imperantes ad satisfactionem, & supplicium a subditis sumendum, an illa denegent. Priore casu non rupisse censetur Pacem, posteriore ruperunt procul dubio.

§. 31.

Quid si subditi nostri damnum intulerint, sed aliis militantes e. g. Helvetii multi stipendia faciunt Gallis. Fingamus Gallos militibus istis Helvetiis uti ad invadendam Germaniam, an Helvetii fractæ pacis argui possunt?

Et hodie quidem distingui solet, an militia illa auspiciis publicis alteri stipendia faciat, an privato consilio. Si prius: tunc denuo videndum, an id foederibus repugnet, nec ne. Si prius, pax rumpitur, non si posterius. Sic e. g. nullum existat pactum, nullum foedus, quo Helvetii Germanis promiserint, se contra Germanos alteri non militaturos. Si privato consilio, tunc pax rumpi non censetur, nisi simul sint e gente socia. Hæc enim obstricta est ad milites illos hosti stipendia facientes, sub pœna proditoris & confiscationis bonorum domum revocandos.

§. 32.

n. 1. 2.

Perinde porro est, siue nobis vis contra pacem inferatur, siue subditis nostris. Ubi tamen distinguitur, an subditis nostris nocitum sit ultro, an defensionis causa. Si prius, pax rumpitur, nisi statim detur satisfactio. Sin posterius, non rumpitur, e. g. si subditi nostri exercent piraticam, & alii eos capiant, navibus spolient. Sec.

§. 33.

§. 33.

Periade porro est siue nobis siue sociis n. 8. 2. nostris vis inferatur. Socii enim in pace comprehensi nobiscum communem causam habent. Distinguendum tamen, an socii sint pace comprehensi, de quibus jam diximus, an tantum cognatione, affinitateve juncti. Si prius, pax rumpitur, non si posterius, tamen bellum inferatur cognato vel adfimo.

§. 34. 35.

II. Rumpitur pax faciendo contra expressas pacis conditiones, siue id fiat faciendo, e. g. tributum imponendo sociis, quod non impositurum se promiserat.

Nec interest, conditio sit magni an parvi momenti, non enim hic queritur, quantum damni feramus ex conditione pacis violata, sed an non alter sit perfidus. Quemadmodum ergo in statu civili æque injustus est, qui 100. florenorum debitum non solvit, quam qui 10000. non solvit: ita & in pace violata perinde est, siue levior, siue majoris momenti conditio violetur.

Alia questio est, an charitas Christiana, an prudentia ferat, ob levem quamvis injuriam pacem pro rupta habere, & arma corripere. Id enim nemo dixerit. Sed si quis tamen corripiat, ideo non injuste egisse censetur.

§. 36.

Aliquando in eum casum poenam nobis stipulamur, si alter, quocum paciscimur, pacem rumpat, & tunc poenam
com-

committi, si quid contra pacis conditiones fiat, nemo dubitat. Poena enim hujusmodi non est satisfactio, quam exigit superior, sed quam per conventionem constituit ipse paciscens. Pacta vero & J. N. servanda sunt.

Quum vero exsequutio hujusmodi poenae conventionalis admodum sit difficilis: ita stipulari solent principes & respublicae, ut hujusmodi summa interea apud tertium deponatur, donec conditionibus pacis ab utraque parte satisfactum sit.

§. 37.

Quid si res casu perierit, quam in pacis conditionibus alter alteri promisit? Tunc alias quidem promittens speciem, jure civili liberatur, si species perierit: sed aliud jure gentium. Quia enim sic pax fieret inutilis, hinc inter gentes moribus receptum, ut aestimatio praestetur.

Ergo regula juris civilis tantum valet, si quid promissum, quod aestimationem non recipit, e. g. restitutio captivorum. His enim interim mortuis in captivitate, ne aestimatio quidem debetur.

§. 38.

Observat hoc §. auctor, integrum esse parti laesae, etiam post laesam ab altera parte fidem pacem continuare, idque illustrat exemplo Scipionis, quem Carthaginiensium perfidia non impedivit, quo minus ex sua parte pacem satis diu servaret. Sed haec res dubio caret. Quod enim alter nobis in pacis articulis promisit, id in favorem nostrum promissum est. Quisque vero

vero potest juri in favorem sui introducto renunciare.

§. 39. 40. 41.

III. Rumpitur pax faciendo aliquid contra id, quod ex pacis conditionibus fuit. Sic e.g. ex pace fuit amicitia. Hæc exigit,

- 1) ut legati utrimque recipiantur, & amice tractentur.
- 2) Ut subditi utriusque partis possint per utriusque provincias tuto peregrinari & iter facere.
- 3) Ut non prohibeantur commercia mutua, si non repugnent foederibus & pactionibus anterioribus.
- 4) Ut justitia administretur tam subditis exterorum, quam nostris.

Si quid ergo post pacem secus fiat, nec satisfactio offeratur, dubitari nequit, quin pax rupta sit.

§. 42.

Sequitur quarta pars: an non & aliis modis, quam pactionibus pax iniri possit? Sane veteres aliquando usi sunt hujusmodi compendiis, de quibus jam differit Gro-tius.

1) Aliquando gentes belligerantes rem forti commiserunt, id est, ita inter eos convenit, ut de jure controverso sortes jacerent, & cuicumque fors faveret, is pro victore haberetur.

Egregium sane compendium 1) quia ita sanguini humano parcitur, & 2) res vere judicio Dei committitur, cujus in manu fors est, teste Salomone.

Sed distinguendum tamen, an res de qua
liti-

litigatur, sit in commercio & arbitrio imperantium, ut oppida, pagi &c. an non sit, e. g. vita, pudicitia, libertas subditorum. Priore casu, forti locus est, non posteriore, quia obligantur imperantes potius ut hæc defendant, quam ut submittant alicui.

§. 43.

II. Aliquando pacem fractam novimus per bellum representativum. Tale est, si ex utriusque partis exercitu, felociti quidam juvenes congregiantur, eo inter utramque remp. interposito pacto, ut utra pars vicerit, ista pro victricis rep. habeatur. Exempla jam collegit Grotius, sed nullum est solemnius, quam bellum representativum inter Curiatios Albanos & Horatios Rom. apud LIVIUM.

Quæritur, an talia certamina sint licita? Distinguit Grotius inter jus gentium & naturale. Jure gentium id licitum esse concedit, non jure naturali, quod & supra Lib. II. cap. 1. §. 12. sequi docuerat. Videbimus rationes:

- 1) Peccare contra Deum, qui ob res, quibus carere possumus, hominem occidit.
- 2) Peccare in Deum & seipsum, qui vitam tam vili aestimat, et eam exponat periculo.

Sed eadem rationes ipsum quoque bellum injustum redderent. Ratio ergo, quæ nimium probat, nihil probat. Potius dicemus:

- 1) Quæ fieri possunt per plura, ea & per pauca possunt. Jam non est nefas, si res

res publica 100000 hominum vitam periculo opponat: ergo nec nefas erit, si 3. homines mittat in certamen.

2) Quocumque medio innumeræ strages & calamitates impediuntur, illud non est in se moraliter illicitum. Atqui hoc bello repræsentativo id fit. E. in se non est moraliter illicitum. Quod demum ipse Grotius n. 4. 5. concedit.

Alia quæstio est, an prudentiæ conveniens sit hujusmodi bellum, id enim non dixerim, quia hic semel victus nullam spem reliquam habet, quæ reliqua est in bello justo.

§. 44.

Quid vero si rex ita pactus sit, ut controversia bello repræsentativo finiatur, an tunc subditi, si male res cesserit, pacto huic summi imperantis stare tenebuntur? Recte Grotius distinguit inter formas eorum. Regnum vel patrimoniale est, vel usufructuarium. Patrimoniale rex pro libitu potest alienare. E. & hujusmodi pacto intercedente de eo pacisci potest. In usufructuario autem non valet hujusmodi compromissum sine consensu populi. Si regnum sit feudale, e. g. Neapolitanum, tunc & domini consensus requiritur.

§. 45.

Sæpe in his præliis æque ac in bello justo dubia est victoria: quæritur ergo, quis pro victore habendus? Victi censentur,

1) Qui omnes amiserunt, e. g. Albani cives Curios quos miserant, amiserunt: ex parte Rom. unus Horatius victor supererat.

2) Qui

2) Qui omnes in fugam acti, nec se stiterunt iterum. Neuter victor est.

1) Si nox ancipiti adhuc victoria pugnantes separat.

2) Si majore imminente periculo, salvis viribus cessim se receperunt pugnantes. (la retraite & bonne ordre.)

3) Si uterque pars paria damna passa discedat. Reliqua signa incerta sunt, e. g. spolia legere, campum in quo praelium factum occupare &c.

Quodsi ergo vere dubia victoria, res manet integra in eo statu, quo antea fuerat.

§. 46.

III. Aliquando bellum finitur per arbitrium, si belligerantes compromittant in tertii sententiam.

Arbitri vero duorum generum sunt, aut enim lecti, tanquam mediatores, quos vocant, seu conciliatores: aut tanquam iudices controversiæ, ob quam bellum geritur. Efectu utrumque arbitrium ita differt, quod illius arbitrio non pareamus necessario, sed æqua suadere videatur: hujus sententiæ abscisse & absolute parendum.

Et de his hic sermo est. De his unica observanda regula. Parendum esse ei, quod edixerint arbitri, qui utrique parti placuerunt. Est enim hæc natura compromissi, ut quod ab initio fuerat voluntatis, id ex postfacto fieret necessitatis.

§. 47.

Sed quaeritur, quam normam tunc servare debeant arbitri? Resp. Distinguendum inter modos compromittendi. Aliquando enim

enim illos eligimus, ut secundum certum jus iudicent, aliquando ut ex sola æquitate.

Si prius arbiter obligatus est, ut ex illo jure rationes decisionis suæ ostendat: sin posterior, satisfecit officio suo, modo non aperta sit iniquitas.

§. 48.

An vero hujusmodi arbitri de possessione, an de causa primaria pronunciare debent? Resp. de causa primaria. Nam 1) divisio judiciorum possessoriorum & petitoriorum ex jure civili est, eamque J. G. plane ignorat. 2) Jure N. & G. nemo est jure possessor, nisi qui dominus. Ergo si de dominio res ad liquidum perducta, de possessione etiam res clara est.

§. 49.

IV. Modus pacem constituendi est deditio, quæ vel pura, vel conditionata, de qua §. 57. Pura dicitur, quando victus victori de se plenum arbitrium permittit. Conditionata, quando dedens se certas sibi conditiones stipulatur.

n. 1. 21

De pura ergo quæritur, quid tunc victor possit in deditos statuere: Distinguit Grotius inter deditos & victores. De deditis existimat, quod omnia pati teneantur, quippe subditi. Hinc vitam, opes, libertatem in victoris arbitrio esse.

Sed id falsum videtur. Nam qui se etiam pure dedunt, id faciunt, ut vitam servant. Ergo tacita deditio huic inest conditio vitæ retinendæ, & victor dum deditos recipit sine injuria eripi non potest, licet se pure dediderint.

Hein. de Jure Belli, &c. Pp §. 50.

Quid vero victor salva conscientia potest? Recte hic Grotius.

1) Non potest ipsis eripi vita, nisi in justam poenam, nempe si bellum ex insigni delicto natum sit. Jam vero victor est superior, ergo in subditos potest poenam statuere.

2) Non potest opes auferre. Sunt enim subditi. Subditos spoliare non potest Princeps, nisi iterum in poenam.

3) De libertate & conditione eorum potest statuere, prout mereri videbuntur, neque injuriam facit deditis, si ipsis paulo durius jugum imponat, quam civibus reliquis, ex. gr. plus tributorum pendere jubeat.

4) Clementia & charitas Christiana hic quoque suprema lex esto. Homines sumus. Hodie victor, cras fortassis victoris cursum sequitur. Moderato ergo utendum victoria.

De deditioe conditionata una est regula, quae ex ipsa pactorum natura fuit: conditiones deditis concessae accurate servandae sunt.

Addit sub finem Grotius quaedam de accessoris pacis, qualia sunt obsides & pignora.

Obsides sunt homines, qui pro reipubl. sponcione in pignus traduntur. Ii aut sponte se dant, aut inviti dantur ab imperante. Quaeritur ergo, an imperans possit subdi-

nam

tum invitum dare? Aff. quia imperans in casu necessitatis habet jus vitæ & necis in subditos. Quemadmodum ergo jubere potest, ut omnes subditi arma corripiant, & ad extremum halitum pugnent: ita potest etiam subditum dare hosti in pignus.

Sed quum hoc ex dominio eminente fluat, sequitur ut respubl. damnum huic obsidi datum reperfere teneatur.

§. 53.

An vero obses occidi potest, si civitas pacto non steterit? Negatur. 1) Oppignoravit libertatem & bona, non vitam, quam ne potuit quidem oppignorare. 2) Crudele est consulere dirius in innocentes ob perfidiam alienam.

§. 54.

An vero fugere licet obsidi? Distinguendum: aut fidem dedit hosti, sive se sponte offerendo, sive postea patiscendo, ut laxius haberetur, aut fidem non dedit. Si prius, fugere non potest ex pacto. Sim posteriori, vix ratio est cur fugere nequeat, quum nec ipse, nec respubl. cum ad id obligaret, ne fugeret.

Alia quaestio est, an civitas fugientem obsidem recipere possit? Negatur. Nam pignus semel datum, licet furto creditori subreptum quocumque titulo ad me redierit, reddendum est creditori. Ita & obses si fugiat: & sui ipsius furtum faciat, & ad nos revertatur. Hinc Cloelia obses fugiens reddenda erat Porfennæ.

Subnectit jam Grotius quædam, quæ ad jura obsidum pertinent, veluti.

1) cessare obsidis obligationem, si satisfactum sit promisso pro quo dati sunt, adeo ut ne ob aliam quidem causam retineri possint, quod jure civ. licet in pignore.

2) Qui pro homine obses datur, e. g. pro captivo, eo mortuo liberatur. Quia enim, ut supra diximus, captivus mortuus non reddi potest, hinc & obligatio obsidis cessat.

3) Ergo &, qui regis persona datur, mortuo rege, liberatur. Pro regis persona dico, nam si pro rege, tanquam capite regi, simul pro republ. datus censetur. Ergo etiam non potest liberari rege mortuo.

§. 59.

Alterum pacis accessorium sunt pignora, similia quodammodo obsidibus. Sed hoc singulare & proprium habent, quod quum obsidum obligatio stricte admodum interpretanda sit, in pignoribus locus sit interpretationi extensivæ. Pro hominibus enim oppignoratis misericordia militat, non pro rebus.

§. 60.

Quæritur postremo, an jus luendi pignoris tempore expiret? idque negatur 1) quia pignus datur in securitatem promissi. Promisso præstito pignus ipso jure liberatur. 2) Quia si debitor in mora sit, sufficit si usuras præstet, nec æquum, ut simul

simul pignus amittat. 3) Quia lex commissoria in pignore nunquam æqua est, ob pretium pignoris debitum plerumque excedens.

C A P U T X X L

De Fide manente Bello, ubi de induciis, com meatu, captivorum redemptione.

§. I.

Constat hoc caput 3. partibus. Et prima quidem agitur de induciis, §. 1, 13. secunda de com meatu §. 14, 22. tertia de redemptione captivorum §. 23, 30. Omnia enim hæc pacta in eo conveniunt, quod durante bello ineantur. n. 1. 4

Induciz sunt pactum per quod actibus bellicis manente bello ad aliquod tempus abstinetur. Bellum enim est status societatum liberarum de jure controverso per vim inter se certantium, aut certandi propositum retinentium. Si ergo vere inter se diglantur, bellum est. Si non certant, sed tamen certandi propositum retinent, induciz sunt, sed tamen bellum.

Et inde facile deciditur quæstio, sintne induciz ad pacem, an ad bellum referendæ? Resp. ad bellum:

1) Quia pax jus controversum decidit, adeoque bellum tollit, induciz id non faciunt.

Pp 3

2) Quia

2) Quia status esse potest sine actu. Sic e. g. servus fugitivus in statu servitutis manet, quamvis actu non serviat: febricitans manet in statu morbi, quamvis paroxysmus actu non adsit, ita & bellum manet, quamvis actu inter se non certent belligerantes.

Obiici posset, aliquando tamen inducias admodum diuturnas esse, e. g. centum annorum. LIV. lib. 1. cap. 21. Sed resp. brevius aut longius tempus non variat rem. Inde tamen est, quod induciæ dividi solent in *bellicas* & *pacificas*.

Bellicæ, ubi cessat certamen, sed manet tamen apparatus bellicus, exercitus, castra &c. quod fit si breves sint admodum.

Pacificæ, quando apparatus bellicus æque ac in pace cessat, e. gr. si sint 100. annorum induciæ. Vere tamen omnes induciæ ad bellum pertinent.

§. 2.

Quærit jam Grotius, unde vocabulum *induciæ*? Duplicem adfert etymologiam: alteram GELLII l. 19. c. 8. qui ab *introitus* id est *introitus* derivat, quia quasi introitus ad pacem fit; alteram ab *inde* & *otium*, quia inde, id est, a certo tempore otium fit, de qua etymologia prolixè. Inde ergo etiam confirmatur, quod diximus, inducias ad bellum pertinere. Non enim inde pax est, sed otium, manente bello, quale etiam esse solet hieme, si per frigus hostes inera hiberna continentur. Otium tunc est, non pax.

§. 3.

§. 3.

Quando ergo quaeritur, an elapso induciarum tempore nova indictione belli opus sit? id merito negatur. Nam

1) ubi bellum non cessat, ibi non novum bellum incipitur, sed superius continuatur. Ubi superius continuatur, non opus est nova indictione.

2) Induciae sunt tantum impedimentum temporale actuum belli. Cessante impedimento, status belli ipso jure reviviscit.

Romani tamen aliquando, induciis finitis, de novo indixere bellum. Liv. lib. 4. Sed indictio illa fuit superfluum, & ideo procul dubio facta, ut Veientes, si viderent, novum sibi bellum imminere, metu periculi deterriti satisfactionem offerrent.

§. 4.

Sed quomodo tempus induciarum computandum?

1) Tempus aut generaliter per numerum designatum, e. g. centum dies, aut specialiter indicato die, quo finiri debeant, e. g. usque ad Kal. Martias.

Si prius, tunc tempus computatur a momento in momentum, & centesimo die elapso, bellum reviviscit.

Posteriore casu quaeri solet an Kal. Martias, tanquam terminus ad inducias adhuc referendae? an jam illo die bellum reviviscit? Et magis est, ut ad inducias pertineat, 1) quia magnus est induciarum favor, 2) quia neutrius partis interest, eas die citius vel tardius rumpi, 3) quia vulgaris usus loquendi terminum ultimum

tempori conjungit. Ex. g. loco ædes ad Kal. Martii, nemo dixerit conductorem ipsis illis Kal. expelli posse.

§. 5.

Quando vero incipiunt induciæ? Resp. a die scientiæ, vel publicationis. Ergo sequitur

1) ut ipsos contrahentes statim obligent a momento, quo pactio perfecta est, quia statim sciunt.

2) Ut reliquas a loco pactiois remotiores demum obligent a die publicationis, adeoque

3) ut si quid interea post inducias hostile fecerint, id impune fecerint.

Ratio est, quia induciæ quoad ipsos paciscentes sunt pactum, aut quod ad subditos paciscentium, sunt lex, qua edicit imperans, ut belliactus suspendantur. Lex vero non obligat, nisi a die publicationis.

§. 6.

n. 1. 2. 3. Queritur porro, quid per inducias liceat? Resp. ex ipsa definitione patet, omnes actus belli suspendendos esse, perinde ac si pax esset. Ex quo sequitur

1) ut cessare debeat jus occidendi hostem, oppugnandi castra, urbes spoliandi, prædas agendi.

2) Ut si res hostiles raptæ sint, ex illis reddi, & raptores puniri debeant.

3) Ut liceat ultro citroque ire & redire, modo periculum non immineat ex multitudinem e. g. si aliquot hostium millia in castris nostris libere vagantur.

§. 7.

An & futuræ defensionis curam gerere licet

licet tempore induciarum? Omnino, quia bellum imminet post inducias. Ergo

1) exercitum possum introrsum in locum tutiorem reducere

2) Moenia reficere

3) Militem conscribere &c. Ii enim non sunt actus bellici, sed belli præparatio, quæ quum in ipsa pace licita sit, quidni & durantibus induciis?

§. 8.

An & loca quædam vel hostium præsidia invadere licet? Resp. quæstio nimis obscura est. Distinguendum, sintne loca jam ab hoste occupata, & præsidiis custodita, an incustodita, & veluti nullius. Si prius, occupari nequeunt, esset enim hic actus bellicus: posteriore possunt, quia locum nullius occupare non est hostile. n. 1. 2.

Ergo 1) perinde est, sive tempore induciarum prodicione aliena invadamus, sive armis. Utrumque illicitum.

2) Non excusandi, qui loca hostium minus custodita, e. g. pagos, oppida, castella præsidiis nudata occupant. Requisivimus enim, ut sit locus nullius, qualis est derelictus, e. g. si hostis oppidum nostrum tempore belli occupasset, idque tempore induciarum ultro desereret, tunc illic præsidium nostrum inducere possumus, quia res pro derelictis habitæ sunt nullius.

§. 9.

Quæritur jam an is, qui tempore induciarum iter per hosticum fecit, & morbo aliove casu retentus ibi, donec induciæ exspirarent, jus ad suos redeundi habeat? n. 1. 2.

Pp 5 Resp.

Resp. negatur : idque probatur a pari. Nam si novum bellum ingruit, omnes apud hostes deprehensi retineri possunt, & jus postliminii habent. Ergo & qui reviviscente bello ibi deprehenduntur.

Sed vi majore & divina impeditus est. Resp. atqui omne infortunium est a vi majore, & divina. Talis vero captivitas non poena est, sed infortunium, ergo nihil interest, culpa accesserit nec ne.

§. 10.

Hactenus de induciis generalibus, quae omnes actus bellicos suspendunt. Sunt etiam speciales, quae illos actus suspendunt qui certum finem impedire possent. e. gr. induciae fiunt ad sepeliendos mortuos.

Haec stricte interpretandae. Ergo nihil quidem tunc agere possumus, quo hostis cadavera sepeliens, impediatur, sed non prohibemur tamen interea alias urbes invadere, & aliis locis bellum persequi.

§. 11.

Quaeritur, si hostis inducias rumpat, an & nos obligatione liberemur? Affirmatur.

1) Perfidia enim unius alterum obligatione absolvit in obligationibus bilateralibus.

2) Defensio ubique & semper licita, ergo multo magis, si me quis contra pacta vi adgrediatur.

3) Ita fructum ferret hostis perfidiae suae, dum nos defensionis jure destitutos, intra inducias opprimeret.

§. 12.

Paciscentes inducias addidere poenam con-

conventionalem, si alteruter eas violaret. Hostis violavit, poenam solvit, an jam bellum continuare potest?

Negatur. Nam poena additur, ut hostis violationem præteritam luat, non ut in futurum impune perfidus esse possit. Et hoc fluit ex natura omnis poenæ, tum jure superioritatis, tum jure pacti inflictæ. Ea enim punitur præteritum delictum, non licentia peccandi in futurum conceditur. Sane absurdus esset fur, si putaret se jam impune imposterum furari posse, quia poenam fustigationis ob furtum sustinuerit.

§. 13.

An & ob privati factus rumpuntur induciæ? Negatur, sed privatus, qui violavit ad poenam obligatus est. Potest tamen & privati hujusmodi delictum imputari ipsi imperanti & pro ruptis induciis haberi, 1) si ratum illud habeat imperans. 2) Si datum damnum resarcire nolit, 3) si violentem inducias ad poenam poscantus, & impetans eum protegat.

§. 14.

II. Sequitur altera pars capituli de **Commeatu**. Commeatus est privilegium, quo per scriptas litteras (passeports vocantur) subdito hostis conceditur facultas ad nos commeandi, commercia tractandi &c.

Quæritur an ipse commeatus late, an stricte interpretandus. Late, inquit Grotius, quia privilegium. Sed privilegia potius stricte interpretanda esse omnes hodie consentiunt, Nos ergo potius stricte commeatus interpretationi favemus. 1) Res enim

Pp 6 est

est cum hoste. Ergo nihil ipsi indulgendum, quam quod in litteris commertus expressum. 2) Res periculo non vacat. Facile enim ejusmodi peregrinus per urbes nostras impune vagatus, posset hosti enunciare statum Provinciæ, proditiones fovere, litterarum commercia cum hostibus inire &c. Id ne fiat, nihil ipsi indulgemus, quam quod litteris expressum.

§. 15.

Quid si militibus commertus datur? an & summi duces intelliguntur? an & nautici milites? Adfirmat Grotius, ex ea ratione, quod verbi proprietatem eam significationem admittat.

Sed quia 1) jam §. 14. vidimus, commertum stricte esse interpretandum, 2) quia in sensu strictissimo per milites nec belli duces intelliguntur, nec turba nautica, 3) quia res periculo non caret, si belli duces in regiones & urbes nostras recipiantur, ut & occasionem & vires nostras speculari possint, magis est, ut commertum militibus datum ad duces porrigi non debere dicamus.

§. 16.

u. l. 2. In litteris commertus uti solent formula: *ut libere ire & redire possint*. Quæritur itaque, quomodo hæc verba intelligenda?

Per *itum* intelligitur tum iter ad locum quotendit, tum commoratio in illo loco, donec negotium, cujus causa pervenerit, per *reditum* intelligitur iter a loco isto in patriam, usque dum eo pervenerit, ubi in tuto sit.

Ergo

Ergo 1) nec in itinere violari possunt, quod fecit Alexander, nec in loco, ubi aliquamdiu commorantur, nec ubi ad fines nostros pervenerunt.

2) Ergo si vel maxime ommissa clausula, *no redire possit*, ea tamen tacite inesse censetur. Alias enim sine effectu esset comneatus.

3) Contra si abitus concessus, non ideo data censetur libertas redeundi: nec cui itur, facultas alium mittendi, quia stricte interpretandum esse comneatum, §. 14. ostendimus.

§ 17. 18. 19.

Queritur porro, an & ad alias personas & res extendatur comneatus? id est, an si cui ea libertas data, is alios quoscumque tanquam comites secum ducere possit? item an qualvis res secum ferre?

Resp. Quae ad iter necessaria sunt, ea simul concessa intelliguntur, si iter concessum. Hinc sequitur

1) filios, uxores eo comneatu non frui, quia & sine iis peregrinari solemus. At si jus commorandi vel jus domicilii Titio conceditur, etiam familiae concessum intelligitur, quia sine familia habitare non solemus. Hinc porro

2) Famuli an comitari debeant eum, cui comneatus datur, & quo numero comitari debeant, ex ejus statu & dignitate judicandum.

3) Bona ei conceduntur ad iter necessaria, veluti suppellex, esculenta, potulenta, vestes, pecunia, non item mercēs vitæ, (concrebando.)

4) Si comites concessi, tamen non

Hein. de Jure Belli, &c. Pp 7 ad.

adsumendi, qui delicti causa odiosi sunt, ut proditores, piratae, exules, transfugae, desertores.

5) Si gentis nomen expressum, ex. gr. Hispani, tunc comites ex alia gente adducere nequit. Quia strictam interpretationem in comitatu adhibendam diximus.

§. 20. 21. 22.

Quæritur denique, quando cesset jus comitandi, semel datum? Resp. quando, qui accepit, in tuto esse coepit. Ergo

1) non cessat morte concedentis principis vel summi imperantis. Is enim non ratione personæ concessit, sed ratione summæ potestatis, quæ est perpetua.

2) Si datus cum clausula: quamdiu volero: potest quidem Princeps, quando-cumque libuerit, jubere, ut migret, sed tamen eum violare non potest, donec ad præsidia sua pervenerit.

3) Si comitatus datus, is valet in omni territorio, ratione concedentis. Et hinc excusanda non esset e. g. Gallorum perfidia, qui dato comitatu Germano, eum per Helvetiam euntem in itinere opprimerent.

4) Addendum tamen, quod omisit Grotius, ob novum delictum cessare comitatum. Hinc si hostilis dux, qui in Regnum comitatu instructus venit, homicidium ibi commiserit, vel prodicionem conflagaverit, comitatus cessat, 1) quia delictum omne privilegium tollit, 2) quia comitatus semper concessus intelligitur sub conditione, si pacifice & honeste se gesserit.

§. 23.

§. 23.

Sequitur III. pars capituli de redemptione captivorum : nam & de ea pacta durante bello iniri solent, quæ vocantur *carrels*.

Hic 1^o observat Grotius, redemptionem hanc esse summe favorabilem, a) quia ex charitate Christiana fluit, b) quia captivi sæpe in corporis & animæ periculo versantur, c) quia & res sacræ per leges alienari possunt, ut redimantur captivi.

§. 24.

Hinc 2) quærit, an ea redemptio lege publica prohiberi possit? Id sane factum apud Romanos, qui nunquam captivos suos redimebant, etiamsi ab hoste offerrentur, ut ad fortitudinem inflammarent homines, eosque adsuefacerent, ut mori mallent, quam capi. Vid. Liv. lib. 22.

Sed hanc legem trucem merito appellat Grotius 1) quia charitati Christianæ repugnat, 2) quia non semper culpa captivorum intercedit, quandoquidem & viri fortissimi capi possunt. 3) Quia hujusmodi lex ducit ad *αὐτοχρησίαν*, ut homines ab hoste non occisi, se ipsos occidant, quæ desperatio & absurda, nec reip. utilis est.

Non ergo hujusmodi lex excusari potest nisi necessitate, ut docet Grotius, sed talis necessitas, quæ jubeat hujusmodi legem ferre vix potest excogitari.

§. 25. 26.

3) Quæritur, si tertius captivum redimat, an jus in captivum consequatur? Idque affirmatur, si redemptus ipse non habeat, quo restituat pretium pro se solutum.

Nam qui non habet in ære, merito operas debet, quibus pretium quocumque modo repensetur.

Objici quidem posset, apud nos tamen servos non esse, & ne captivos quidem servos fieri. Triste ergo esse captivi factum, qui in conditionem deteriore[m] detrudatur, & jam servus fiat, quum captus esses liber.

Sed resp. falsum esse, quod in servitatem detrudatur. Operas enim & sine servili conditione præstari posse, vel mercenarii nostri docent.

Idem juris est, si sapius captus, sapius redemptus sit, tunc enim pluribus in commune operas præstare tenetur.

§. 27.

4) Queritur, si captivus pauper creditus levi pretio dimissus sit, an si locupletiore[m] eum esse adpareat, retineri possit, & pretium intendi?

Negatur. 1) Quum enim æstimatio captivi incerta sit, non potest dicere capiens, se læsum esse. 2) Pretium non ex divitiis, sed ex statu æstimari solet, e. g. an miles gr. garius sit, an centurio, an tribunus &c. 3) Dolus his non adest, quia nemo tenetur facultates suas alteri indicare, ne amico quidem, nedum hosti. Ergo pacta semel inita servanda.

§. 28.

5) Sed annon bona captivi captorem sequuntur? Resp. Negatur. Nam aut servus sit captivus, aut non sit. Si sit servus, capite deminuitur, adeoque & dominium rerum

rerum domi relictarum amittit, idque nec domino captori adquirere potest. Si non sit servus, ut hodie inter Christianos, cessat etiam jus acquirendi. Nec aliud dicendum de rebus quas secum fert captivus, e.g. de nummis aureis, quos in veste celavit. Si enim manent captivi, adeoque & illis se liberare omnino potest, quia servus non fuit, adeoque nec dominium rerum suarum amittit.

§. 29.

6) Quæritur, an heres debeat pretium, a defuncto promissum? Distinguendum, in carcere mortuus sit captivus, postquam pretium promisit, an jam fuerit dimissus. Si prius nihil debetur, quia sub conditione promissum, nec conditio existit. Posteriori casu debetur 1) modo vere sit heres, nam si in servitutem quis reductus fuit, is heredem habere nequit, 2) modo non enorme sit pretium, & dolose promissum, vel vi metuque extortum.

§. 30.

Demum 7) quæritur, an in carcerem redire debeat, sub conditione dimissus, ut & alius pro eo dimittatur, si conditio hæc non adimpleatur?

Hic pro captivo militat, 1) quod nunquam promisit se in carcerem rediturum, 2) quod, qui factum tertii promittit liberetur, si præstiterit omnem diligentiam.

Ast contra eum militat, quod libertatem lucrifacere non debeat, quia ita nunquam convenit, ut gratis liberaretur.

Ergo

Ergo inde sequitur, ut non quidem redire teneatur in carcerem, sed tamen æstimationem captori præstare debeat arbitrio boni viri, eaque præstita plenam libertatem consequatur.

C A P U T X X I I .

De Fide minorum potestatum in Bello.

§. I.

HActenus de pactis a summo imperante initis: jam de iis, quæ a belli ducibus ineuntur.

Quum Ducès a ducendo dicti sint: ita vocantur omnes, qui ordines ducunt, sive cum summo Imperio, uti apud nos Marefcheaux, Generals de camps, sive vice summi Ducis, uti Legati, Lieutenants Generals.

Differunt tamen quoad præsentem materiam Duces summi & eorum legati. Illi libere agunt, hi ex præscripto: illi semper, hi si ille absit aut impediatur. Ergo pactum a Legato cum hoste initum non valet; præsentem summo Duce, nisi hic vel jusserit pacisci, vel pactum ratum habuerit.

§. 2.

De his ergo pactis queritur, 1) an summum imperantem obligent? §. 2, 9. 2) an ipsos belli Duces obligent? §. 10. ad fin.

Quod ad 1) quæstionem, præmittenda regula: obligari per alios non possumus,
nisi

nisi quatenus illum voluntatis nostræ magistrum constituimus, quod fit per mandatum.

Mandatum duplex est, aut expressum, aut tacitum. Expresso mandato instructi paciscuntur legati, in aulas missi, si ipsi conditiones pacis præscribuntur: & hæc absolute obligant Principem.

Tacitum mandatum est, quod ex officio demando colligitur. Quemadmodum enim e. g. qui institorem tabernæ præposuit, voluit etiam ut emeret & venderet, quamvis id expresse non mandavit, ita & qui e. gr. Ducem belli constituit, tacite etiam mandasse censetur, ut paciscatur cum hoste, si bellum aliter geri non possit.

Ergo obligatur Princeps, quando Dux belli egit secundum officium, non obligatur, si ejus limites excessit.

§. 3.

Aliquando & obligatur Princeps, quamvis nec expresse mandavit, nec tacite, idque

1) Propter ratihabitionem, quia ejus effectus retrahitur ad initium, adeoque perinde est acsi ab initio consenserit.

2) Propter rem ipsam, si ex pacto Ducis sui commodum sensit Princeps. Nemo enim tenetur cum alterius damno locupletior fieri. Sic e. g. fingamus pactum initum esse de tradenda urbe, cum omnibus tormentis & navibus, nos hosti promisimus, quod salvi exituri sint. Princeps jam id negat se ratum habiturum, quum tamen nec vires, nec urbem, nec tormenta reddere velit. Absurdum!

§. 4. 5.

• 1. 2. 3.

Quid vero si contra mandatum pactus sit dux? Resp. tunc ipse obligatur, non Princeps. Ipse, quia principalis est contrahens, quando non mandatarius est, non Princeps, quia ex promisso alieno nemo obligatur, nisi mandatum dederit, secundum §. 2.

Hinc supra multis diximus, hujusmodi pacta dictas esse sponsiones, & si Princeps vel resp. apud Rom. eas ratas habere voluerit, tunc ducem illum sine mandato paciscentem hosti traditum esse nudum, revinctis in tergum manibus.

§. 6.

Sed porro quaeritur, an & ducum pactum obliget inferiores magistratus? Saepe enim belli duces in urbibus obsessis pacta cum obsidentibus ineunt, & civibus vel aliquid stipulantur, e. g. certam pecuniae summam; an tunc obligantur magistratus inferiores?

Resp. dist. an aliquid ipsis stipulatus sit Dux, tunc ex hoc pacto utilitatem capiunt, quia hostis ex promisso suo tenetur: an eorum nomine aliquid promissum, tunc non obligantur, nisi consenserint.

Objici posset, magistratus tamen esse Duce inferiores, superiores autem pro inferioribus pacisci posse. Sed resp. Superiores sunt in iis, quae ad defendendam urbem pertinent: non ut possint illis pro lubitu tributa & onera imponere.

§. 7. 8. 9.

Quum vero supra dixerimus obligari Prin-

Principem, si dux pactus sit secundum officium: quæritur, quæ ergo pacta inire possit, quæ non possit sine expresse mandato.

Resp. 1) non potest sine mandato pacem inire, 1) quia ut supra cap. 20. §. 1. diximus, qui bellum gerere, idem & pacem facere potest. 2) Quia belli dux ad bellum administrandum mittitur, non ad pacem in eundam, 3) quia hic duci, si pax offeratur, non deest occasio, a Principe suo mandata exigendi. Hinc Caudina & Numantina sponso Rom. non obligavit, de qua supra.

2) Inducias dare potest dux, sed breves & speciales, e. gr. mortuorum sepeliendorum, vel morbi in castris grassantis causa, non autem generales & diuturnas, nisi mandato Principis, quia hic ducem non oculi sed belli gerendi causa misit.

3) Non potest de Provinciis, oppidis, agris bello quæsitis pro lubitu disponere, quia eas non sibi, sed Principi acquisivit, nec Princeps eum rerum suarum arbitrum, sed belli ducem constituit.

4) Potest tamen pacta inire de conditionibus deditiois, quia id mandatum sibi intelligitur.

§. 10.

II. Quæritur an ipse dux obligetur, si Principem non obligat? Resp. quatenus officium fecerunt, non obligantur paciscendo, 1) non enim possunt alienam præstare perfidiam. 2) Non locum habet in pactis ducum interpretatio extensiva, ut ipsi se ultra promissum obligarint.

§. 11. 12.

Quid si ita pacti sint, ut Principi rem integram servarent? Id fit dupliciter 1) per deditionem. Accipio vos in deditionem, & Principi meo reservo arbitrium de vobis statuendi. 2) Per conditionem rati. Promitto si Princeps meus ratum habuerit.

Utroque casu nec Princeps obligatur, nec dux belli. Non Princeps, qui nec promittit, nec promittere iussit, nec dux belli, qui disertis verbis principi suo omnia integra servavit, nec cum pacto suo obligare voluit.

§. 13.

Ceterum & hic valet regula, qui potest antecedens, potest & consequens. Ergo quia duci belli fas est, tradere urbem obsessam, etiam sine speciali mandato, si res ad extrema pervenerit, poterit etiam praesidium dimittere, vel illud alio ducere.

C A P U T XKIII.

De Fide privata in Bello.

§. 1.

SAepe & privati paciscuntur cum hoste, ex. gr. miles captus ante dimissionem jurat, se intra 6. menses non arma gesturum, an tunc teneatur?

Fuere qui id negarent, maxime Jcti celebres, Bartolus & Zasius, ex ea ratione, quia

quia mandatum paciscendi non habeant a Principe.

Sed confundunt hi quæstiones. Mandato opus est, si quis pro alio velit promittere vel stipulari. At nemo dixerit, privatos pro Principe suo pacisci posse sine mandato. Hic autem quæritur, an non pro se ipsis pacisci possint? Id negari nequit, quia ad paciscendum de rebus privatis mandato opus non est.

§. 2.

Addit Grotius & aliud argumentum a minore ad majus. Si latroni data a privato fides, servanda: multo magis justo hosti. Sed eo argumento uti non possumus sine distinctione. Aut ultro aliquid latroni promittimus, non tanquam latroni, sed tanquam homini, tunc fides data servanda. At si vi metuque nobis promissum extorqueat, non obligamur, quamvis juramentum accesserit, quidquid videatur Grotio.

Hosti contra obligamur, si ve ultro, si ve metu adacti promiserimus, quia metus, quem hostis hosti incurrit, non est injustus.

§. 3. 4.

Rectius Grotius quæstionem, an omnes privati obligentur? solvit. Obligantur omnes, quibus intellectus & voluntas. Ergo non obligantur furiosi, mente capti, infantes, impuberes. Obligantur vero 1) minores, quia a) intelligunt quid agant, b) quia beneficium minorum ex J. civili est, non ex J. N. & G. nec 2) errantes, si error sit in essentia rei, non si erratum circa rei accidentia.

n. 1. 2. 3.
4.

His, quæ diximus, objici solet publica utilitas. Sed cadit ea objectio, si dispiciamus; quousque se illa pacta privatorum extendant. Nimirum pacisci non possunt

1) De rebus publicis, e. g. se tradituros urbem.

2) De factis, quæ absolute debent reip. e. g. se nunquam principi suo tributa duros tempore belli.

3) Non de factis prohibitis, e. g. se occisuros hominem.

4) Sed de iis, quæ sunt in privati cujusque arbitrio, e. g. se nolle intra tantum temporis spatium arma ferre, se hosti 100. duros.

Objici posset, militem in potestate non habere, an arma ferre velit, an nolit. Resp. verum id esse de milite, qui est in exercitu nostro: non de eo, qui ab hoste captus, quem & invito duce nostro cogere potest hostis, ne arma ferat, si nimirum eum non dimittat.

His 4. §. sequuntur aliquot exempla patetorum licitorum, veluti

1) Si quis captivus promittat, se in carcerem rediturum, nihil enim promittit injustum, quia jam in carcere est, nec promittit vi & metu injusto adactus. Exemplo Attilii Reguli notum.

2) Si quis promittat se in certum locum non venturum. Id pactum valet ob easdem rationes,

3) Si quis captivus promittat, se non velle fugere, quod sæpe faciunt duces bellici capti, ut ex carcere dimittantur.

4) Non

4) Non autem potest captivus cum tertio pactum deditiois inire. Dedere enim se potest si liber & sui juris. Talis non est captivus. Nec cuiquam invito jus suum auferre possum.

§. 10.

Quæritur jam, quod effectum sit hujusmodi pactorum? Resp. ut serventur. Sed si servare nolint, an a magistratu suo cogi possunt? Et id affirmatur, quia hosti quoque jus dicendum. Et ita etiam obtinet inter gentes honestiores. Exemplo sunt decem captivi sub promissione reditus ab Hannibale dimissi, qui cum pactum servare vel redire nollent, a senatu invito duci jussi sunt.

§. 11.

Addit Grotius quædam de pactorum hujusmodi interpretatione, & commendat regulas:

1) *Non recedendum esse sine ratione a proprietate verborum.* Nam verba explicanda ex usu.

2) *In dubio interpretationem faciendam contra eum, qui clarius loqui debuit.* Is enim sibi imputare debet, quod non perspicue mentem suam exposuit.

§. 12. ad fin.

Has regulas jam exemplis illustrat Grotius, & quærit,

1) An qui vitam sibi pactus est, & libertatem sibi pactus censeatur, idque negat, quia in dubio interpretatio facienda contra eum, qui clarius loqui debuisset. Nec proprietas verborum patitur, ut per vitam libertatem intelligamus.

2) Si

2) Si quis vestes sibi pactus est: an & arma intelliguntur. Negatur ob eandem rationem.

3) Si quis dicat, se seditionem facturum, nisi auxilium venerit, an sufficit si copiae auxiliares in conspectu sint, an requiritur, ut & impressionem faciat? Resp. sufficere prius, ob usum loquendi.

4) An rediisse censeatur ad hostem, qui clam eo fuit, & clam discesserit? Negatur, quia redire ad hostem ex usu vulgari dicitur, qui se ejus potestati permittit.

5) An pactum ideo cessat, si de executionis modo quid convenit, quod jam adimpleri non potest, ex. g. si quis solvi promisit Heidelbergæ, eaque interea in cineres conversa? Negatur: sufficit enim si promissum in loco propinquo præstetur.

6) An, si obsides dati, illi ut accessio obligationis primariæ obligantur, an primario? Resp. in dubio ut accessio, quia ita natura hujus negotii exigat.

C A P U T XXIV.

De Fide tacita:

§. I.

PACTA vel expressa sunt, vel tacita. Expressa, ubi utrinque consensus per verba litterasve declaratur. Tacita, ubi per alia signa, c. g. nutum, silentium.

Quemadmodum ergo hoc obtinet inter pri-

privatos : ita & cum re publica , immo & cum hostibus hujusmodi pacta possunt iri : id quod jam exemplis quibusdam illustratur .

§. 2.

Primum exemplum est ejus , qui se in temp. contulit, ibique vel civitatis jus impetravit, vel saltem domicilium constituit. Quamvis enim is non expresse promiserit, quod velit secundum leges istius reip. vivere, nec quidquam contra statum illius agere : vel tacite tamen videtur se ad id obligasse : quum qui vult finem , vult etiam media.

§. 3.

Alterum exemplum est ejus, qui colloquium cum hoste postulat. Quamvis enim iste non promittat, se alteri securitatem præstiturum, videtur tamen id tacite promississe: ob eandem rationem. Hinc nec *On. Domitii* nec *T. Labieni* facinus ferendum, qui hostium reges & duces in colloquium evocatos vinculis constrinxerunt.

§. 4.

An autem durante colloquio hostis uterque rem suam agere, castra movere, munimenta absolvere, prælium committere potest? Distingue an simul induciæ factæ, tamdiu duraturæ, quoad colloquium finitum sit, an hujusmodi induciæ factæ non sint. Priore casu potest quidem uterque hostis castra movere, munire, munimenta absolvere, sed non committere prælium. Posteriore casu & hoc potest, modo collo-

loquentibus fides & securitas præstetur, nec illi vel eorum comites violentur.

§. 5.

Tertium exemplum est, quoties signis voluntatem sibi invicem declarant hostes.

Talia signa olim erant vittæ & rami olivarum, apud Rom. fersa capiti imposita; apud Macedones hastarum erectio: quibus indicabant, se ad deditionem paratos esse.

Hodie talia signa sunt

1) Vexillum candidum, quo petitur colloquium.

2) Certus sonus tympani (la chamade) quo se offerunt ad deditionem æquis conditionibus faciendam.

3) Projecta arma, quibus se sine conditione dedunt.

§. 6.

Quartum exemplum est reip. tacite approbantis sponsonem a ducibus factam.

1) Si sciat eam factam, nec contradicat.

2) Si condiciones quasdam adimpleat.

3) Si quod ea sponsonem promissum, præstari sibi patiat, & quod ideo datur, acceptet.

§. 7.

An & poenæ remissio ex sola dissimulatione colligitur? Negatur, nisi accedat actus ex quo tale quid colligatur, e.g. si Princeps delictum sciens delinquenti tamen officium vel honorem contulit, si processum adversus eum institutum abolevit, &c.

911^r

C A P U T X X V .

Conclusio cum monitis ad Pacem.

§. 1.

Caput hoc ultimum vere oratorium est , n. 1. 2. 3.
complectitur enim parænesim elegantem , ad fidem servandam §. 1. 2. ad pacem §. 2. ad fin.

1) Fidem & hosti servandam recte suadet. 1) Quia ut vinculum reip. est , ita & totius generis humani. 2) Quia laudem conciliat bellum gerenti , & homines promovet , ut eo facilius se ejus fidei permittant. 3) Quia perfidia Deo & hominibus invisa est.

Cavere ergo debent Reges , ne ministros perfidiam suadentes audiant . Qui enim tale vitium suadent , ipsi eodem laborant.

§. 2.

Deinde & 2) sapienter suadet , in bello Principes de pace cogitent. 1) Est enim pax finis belli , propter eam nisi bellum geritur , ferarum more geritur. 2) Bellum semper alex plenum & periculosum , pax semper tuta est.

§. 3.

Suadet 3) ut & pax non admodum pinguis bello præferatur. Recte 1) est enim hic status statui Christiano accommodatissimus. 2) Pace etiam non pingui parvæ
res

res bene administratae crescunt; bello etiam triumphis pleno opes maximae dilabuntur.

§. 4. 5. 6.

Idem suadet utriusque partis utilitas. Aut enim quis cladem bello passus est: tunc ipsi utilissima pax, quia periculosissimum cum valentiore terramen, & vana sine viribus ira: aut victoriam reportant: tunc nullum fructum victoriae dulciorera expectare possunt, quam pacem, maxime, quum Martis fortuna admodum anceps & varia: aut denique adhuc pares sunt belligerantes, pares utriusque vires: tunc optimum tempus est pacem faciendi, aequalque impetrandi conditiones.

§. 7.

4) Suadet Grotius, ut pax semel facta religiose servetur. Nam 1) fide nihil sanctius, perfidia nihil homine & maxime rege indignius est. 2) Non potest sperare benedictionem Dei, qui fidem violat, ruptaque pace ad bellum ruit.

Triste exemplum Ludovici Hungariae Regis, qui cujusdam suasu pacem cum Turcis sine ratione ruperat. Quum Turcarum Imperator cum exercitu praelium inireturus esset, prius instrumentum pacis sinu extraxit, sublatisque in coelum manibus: Deus inquit, si vere Christianorum Deus es, in populo tuo vindica perfidiam. Paulo post Rex cum universo exercitu misere cecidit, & totum fere regnum Turcis cecidit.

§. 8.

Subiicit denique Auctor elegans & pius

votum, ut Deus hæc monita inscribat cor-
dibus imperantium, ut iis det mentem ju-
ris divini intelligentem, quæque semper
cogitet, Reges regere homines, charissimum
Deo animal, ne vilem existiment huma-
num sanguinem, ne bellum solius ambi-
tionis, & cupiditatum causa gerant. Pium
sane votum, cui & nos ex animo subscri-
bimus. Nam

Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est, pax
una triumphis

Innumeris potior.

Det ergo Deus pacem in diebus nostris,
det eam Deus pacis, cui pro præstito au-
xilio exantlatoque hoc labore sit laus &
gloria sempiterna.

F I N I S.



Österreichische Nationalbibliothek



02

